M. FRIDERICI CHRISTIANI

BAUMEISTERI

AUGUSTI GYMNASII GORLICENSIS
RECTORIS

INSTITUTIONES
METAPHYSICÆ

COMPLECTENTES

ONTOLOGIAM, COSMOLOGIAM
PSYCHOLOGIAM

THEOLOGIAM DENIQUE NATURALEM
Methodo WOLFII adornatæ.

EDITIO QUARTA VENETA,

Post XV. Wittembergensem

AUCTIOR ET EMENDATIOR.






VENETIIS, MDCCLXXXIX.

TYPIS ANTONII ZATTA.

Superiorum Facultate, & Privilegio.



A. Ω.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

ÆQue ita tandem, quam dudum dedi, fidem ſolvo, non profecto ſoluturus niſi vel me invitum ad laborem, quem inchoaram, perficiendum varia commoviſſent. Rem narrabo. Tres nunc ſunt anni, cum inſtitutiones philoſophiæ rationalis edidi. Verſabar tum Wittembergæ, in erudienda juventute occupatus. Libellum, meis adornatum uſibus explicabam commilitonibus, nec id ſine omni, ut opinor, fructu, cum maximo certe (quod præfiſcine dixerim) audientium plauſu. Vix dum ea, quæ typis curaveram excudenda, interpretari occœperam, cum auditorum haud pauci me rogarent, ut Metaphyſicam eadem conſcriberem methodo. Commilitonum ſatisfacturus precibus, meditabar opus. At, quod interea offerebatur mihi, novum munus nimium quantum! Rationes meas conturbabat. Cum enim, de Cathedra devocatus Academica, præter omnem meam ſpem & expectationem, rei ſcolaſticæ gubernaculis admoverer, iis me deſtinari videbam laboribus, ut de Metaphyſica ne cogitare quidem poſſem. Nec de ea, in lucem emittenda, nunc cogitaſſem, niſi

& Bibliopola, cum quo transegeram, me ursisset, & eruditorum plurimi, cum in litteris, ad me datis, tum in publicis scriptis, ad fidem liberandam essent cohortati. Amicorum itaque obsecutus voluntati, quicquid hujus est scriptionis, tibi offero, L. B. majoremque in modum Te rogito, velis naevos, qui, me absente, irrepserunt, benignius excusare. Quod reliquum est, sub novi anni auspicio, prosperrima quaeque Tibi apprecor, remque Tuam ex voto feliciterque agere Te volo. Vale, Gorlici. cIɔIɔccxxxvIII. Ipsis Calend. Januariis.



CON-

CONSPECTUS
CAPITUM
In hac Metaphysica contentorum.

ONTOLOGIÆ.

COSMOLOGIÆ GENERALIS.

PNEUMATOLOGIÆ

PSYCHOLOGIAM,

& Theologiam Naturalem Complexæ.

PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ.

De facultate cognoscendi, ejusque parte superiori.

PSYCHOLOGIÆ RATIONALIS.

THEOLOGIÆ NATURALIS.

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM

Numerus paginam indicat.

B

C

D

Ens

F

G. Gau-

G

H

I

In-

N

O



INSTITUTIONUM METAPHYSICARUM.

PROLEGOMENA

De Metaphysices Natura & Indole interiore, usuque item insigni.

§. 1.

CUM, qua ante hunc annum, methodo institutiones philosophiæ rationalis conscripsi, eadem nunc metaphysicam, in recitationum mearum academicarum usum, adornare mecum constituerim, operæ pretium existimo, nonnulla de elegantissimæ hujus utilissimæque disciplinæ natura intrinseca, usuque peramplo, præfari. Quæ autem hic, προλεγομένων loco, præmissurus sum, cum eo pertinebunt, ut ii, qui animum præceptis metaphysicis imbuere volunt, sciant, in qua potissimum re ipsorum curæ evigilare debeant, tum vel maxime ideo disputabuntur, ut imperiti rerum metaphysicarum osores desi-

nant tandem & erubeſcant metaphyſicam iniquius criminari, deſpicere, & ad quiſquilias, ac purgamenta amandare.

NOTA. Ut vero, quæ ſit metaphyſicæ interior natura, diſtinctius intelligatur, nonnullas præmittemus poſitiones, ex quibus, ſufficienter intellectis, evidentiſſime patebit, quid tandem ſit illud, quo metaphyſica ab omnibus aliis rebus & diſciplinis internoſcatur.

§. 2. Omnem noſtram cognitionem originem ſuam ultimam, & prima incunabula repetere a ſenſibus, id vero, nemo eſt qui negare audeat. Quidquid autem ſenſibus percipimus, id omni modo eſt determinatum (Log. §. 100.) & multiplicibus circumſtantiis, vel loci, vel temporis, vel perſonæ, involutum, & veſtitum nobis ſiſtitur.

§. 3. Quamvis vero res individuæ ſive exiſtentes, ſenſibus perceptæ, ob innumeras circumſtantias determinationeſque omnimodas ita a ſe invicem differant, ut altera alteri nunquam in omnibus ſimilis deprehendatur; nihilominus dantur determinationes & notæ, quas habent individua, multum alioquin a ſe invicem diſcrepantia, communes, & in quibus eadem perpetuo conveniunt. (Conf. Logic. §. 104.)

EXEMP. Sumas e. gr. complura individua, Cajum, Petrum, Paulum, Sempronium, hunc canem, hanc menſam, hoc atramentarium, hunc librum, &c. In his, quod negari non poteſt, miram animadvertes diverſitatem, ſed in quibuſdam tamen determinationibus eadem perpetuo ſibi ſimilia eſſe, deprehendes, exempl. gr. in eo, quod hæc omnia individua ſint ſubſtantiæ, quod ſint entia compoſita, quod exiſtant, adeoque ad claſſem entium referri debeant.

§. 4. Cum has determinationes, rebus pluribus communes, nobis animo ſiſtimus, tunc repræſentationes harum affectionum, rebus pluribus communium, dicuntur *notiones univerſales* (§. 108. 199.) Log.

Log.) itemque *abstracta*, quia formantur ope abstractionis, (§. 111. Log.) scientia autem universalium, sive disciplina illa, in qua notiones, a rebus individuis abstractæ, & iisdem communes, distinćte explicantur, generali nomine dicitur *Metaphysica*. (Conf. Log. §. 45.)

SCHOL. Metaphysices nomen, in numero singulari pro scientia universalium, sive disciplina notionum abstractarum usurpatum, in Aristotelis scriptis numquam legi, dudum observarunt eruditi. Aristoteles XIV. reliquit libros, quos inscripsit τὰ μετὰ τὰ φυσικά, idque vel ideo, quia ea, quæ in his XIV. libris Aristotelis pertractantur, post physicam demum sunt inventa, atque hoc sensu μετὰ significabit *post*, vel ideo, quia in libris metaphysicis ejusmodi notiones enodantur, quæ sunt supra res naturales, sensibus obvias, quæque adeo ad abstractionem pertinent.

In his libris, qui nomine τῶν μετὰ τὰ φυσικά circumferuntur, Aristoteles id unice sibi habebat propositum, ut de ente, prout ens est, ejusque primis caussis & principiis, commentaretur. Quid vero philosophus per ens, prout ens est, intellexerit, non satis definire videntur ipsius interpretes. Satis hic habeo, adduxisse verba *Cel. Hollmanni*, qui in prolegomenis philosophiæ primæ §. VII. *Nihil aliud*, inquit *Aristoteli in libris, quos vocat* τὰ μετὰ φυσικά *pertractare propositum fuit, quam ut maxima, qua quidem poterat* ἀκριβείᾳ *inquireret, num præter res sensibiles, perpetuo fluentes in rebus omnibus adhuc quid detur, quod magis constans & perpetuum sit, illisque qua si substet, quodque adeo & pro illorum principio caussaque prima reputari queat*. Plura addit eruditissimus vir, quæ, ad mentem sententiamque Aristotelis rectius inspiciendam, mirifice faciunt. Cæterum, in eo conveniunt, eruditorum plerique, quod Aristoteles in libris Metaphysicis tradere instituerit scientiam de Deo; atque id ita quidem,

ut præmiserit quædam, præparationis loco &, ordinis caussa, de ente generatim spectato spiritibusque finitis. Scholastici non intellecta recte Aristotelis mente, dici non potest, quam summa imis miscuerint, in systemate aliquo metaphysices, ad mentem Aristotelis efformando. Quam ipsi inierant metaphysicam tractandi rationem, nemo liberalioris ingenii nunc cogitat, quin, ipsam metaphysicam sibi exosam esse, sentiat. Usque enim adeo scholastici nugis ineptiisque operam dabant, ut quantivis sibi tum demum viderentur pretii, cum abstractionum abstractiones, & divisiones divisionum proferre cum terminos, mente cassos, barbaros, & ne fando quidem auditos, producere poterant. Quo factum, ut metaphysica plurium ludibrio fuerit exposita, & propemodum convicii loco habitum vocari metaphysicnm. At postquam, pulsa scholasticorum barbarie, metaphysica dignitati honorique suo pristino restitui cœpit, eo nunc prodit habitu, ut, quantum diversa est a veterum scholasticorum metaphysica, tantum sui cultoribus adferat emolumenti.

SCH. Aliorum conatus laudabiles, in afferenda Metaphysices dignitate, nunc reticemus, VVolfii tantum methodum, metaphysicam tractandi, hic paucis adducturi. Refert Vir illustris ad metaphysicam (α, *Ontologiam* sive *philosophiam primam*,) in qua prima & communissima omnis cognitionis humanæ principia explicantur, item notiones generalissimæ & universaliores enodantur distincte, & positiones, ob universalitatem suam, ad nullas disciplinas singulares referendæ, accurate demonstrantur. (β) A VVolfio ad metaphysicam referri, scimus, *Cosmologiam*, sive disciplinam illam, in qua de universo in genere agitur, & notionibus generalibus & abstractis de mundo explicatis, non nisi talia de mundo demonstrantur, quæ mundo, ut enti composito & mutabili, tribuuntur. (γ) Exponit VVolfius in Metaphysica *Psychologiam*,

sive

P

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM

Numerus paginam indicat.

C. Ca-

C

G. Gau-

G

H

I

In-

L

M

N

O

P. Pars



INSTITUTIONUM METAPHYSICARUM.

PROLEGOMENA

De Metaphyſices Natura & Indole interiore, uſuque item inſigni.

§. 1.

CUM, qua ante hunc annum, methodo inſtitutiones philoſophiæ rationalis conſcripſi, eadem nunc metaphyſicam, in recitationum mearum academicarum uſum, adornare mecum conſtituerim, operæ pretium exiſtimo, nonnulla de elegantiſſimæ hujus utiliſſimæque diſciplinæ natura intrinſeca, uſuque peramplo, præfari. Quæ autem hic, προλεγομένων loco, præmiſſurus ſum, cum eo pertinebunt, ut ii, qui animum præceptis metaphyſicis imbuere volunt, ſciant, in qua potiſſimum re ipſorum curæ evigilare debeant, tum vel maxime ideo diſputabuntur, ut imperiti rerum metaphyſicarum oſores deſi-

nant tandem & erubescant metaphysicam iniquius criminari, despicere, & ad quisquilias, ac purgamenta amandare.

NOTA. Ut vero, quæ sit metaphysicæ interior natura, distinctius intelligatur, nonnullas præmittemus positiones, ex quibus, sufficienter intellectis, evidentissime patebit, quid tandem sit illud, quo metaphysica ab omnibus aliis rebus & disciplinis internoscatur.

§. 2. Omnem nostram cognitionem originem suam ultimam, & prima incunabula repetere a sensibus, id vero, nemo est qui negare audeat. Quidquid autem sensibus percipimus, id omni modo est determinatum (Log. §. 100.) & multiplicibus circumstantiis, vel loci, vel temporis, vel personæ, involutum, & vestitum nobis sistitur.

§. 3. Quamvis vero res individuæ sive existentes, sensibus perceptæ, ob innumeras circumstantias determinationesque omnimodas ita a se invicem differant, ut altera alteri nunquam in omnibus similis deprehendatur; nihilominus dantur determinationes & notæ, quas habent individua, multum alioquin a se invicem discrepantia, communes, & in quibus eadem perpetuo conveniunt. (Conf. Logic. §. 104.)

EXEMP. Sumas e. gr. complura individua, Cajum, Petrum, Paulum, Sempronium, hunc canem, hanc mensam, hoc atramentarium, hunc librum, &c. In his, quod negari non potest, miram animadvertes diversitatem, sed in quibusdam tamen determinationibus eadem perpetuo sibi similia esse, deprehendes, exempl. gr. in eo, quod hæc omnia individua sint substantiæ, quod sint entia composita, quod existant, adeoque ad classem entium referri debeant.

§. 4. Cum has determinationes, rebus pluribus communes, nobis animo sistimus, tunc repræsentationes harum affectionum, rebus pluribus communium, dicuntur *notiones universales* (§. 108. 199.)

Log.

Log.) itemque *abstracta*, quia formantur ope abstractionis, (§. 111. Log.) scientia autem universalium, sive disciplina illa, in qua notiones, a rebus individuis abstractæ, & iisdem communes, distincte explicantur, generali nomine dicitur *Metaphysica*. (Conf. Log. §. 45.)

SCHOL. Metaphysices nomen, in numero singulari pro scientia universalium, sive disciplina notionum abstractarum usurpatum, in Aristotelis scriptis numquam legi, dudum observarunt eruditi. Aristoteles XIV. reliquit libros, quos inscripsit τὰ μετὰ τὰ φυσικά, idque vel ideo, quia ea, quæ in his XIV. libris Aristotelis pertractantur, post physicam demum sunt inventa, atque hoc sensu μετὰ significabit *post*, vel ideo, quia in libris metaphysicis ejusmodi notiones enodantur, quæ sunt supra res naturales, sensibus obvias, quæque adeo ad abstractionem pertinent.

In his libris, qui nomine τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ circumferuntur, Aristoteles id unice sibi habebat propositum, ut de ente, prout ens est, ejusque primis caussis & principiis, commentaretur. Quid vero philosophus per ens, prout ens est, intellexerit, non satis definire videntur ipsius interpretes. Satis hic habeo, adduxisse verba *Cel. Hollmanni*, qui in prolegomenis philosophiæ primæ §. VII. *Nihil aliud*, inquit *Aristoteli in libris, quos vocat* τὰ μετὰ φυσικὰ *pertractare propositam fuit, quam ut maxima, qua quidem poterat* τἀκριβῶα *inquireret, num præter res sensibiles, perpetuo fluentes in rebus omnibus adhuc quid detur, quod magis constans & perpetuum sit, illisque qua si substet, quodque adeo & pro illorum principio caussaque prima reputari queat*. Plura addit eruditissimus vir, quæ, ad mentem sententiamque Aristotelis rectius inspiciendam, mirifice faciunt. Cæterum, in eo conveniunt, eruditorum plerique, quod Aristoteles in libris Metaphysicis tradere instituerit scientiam de Deo; atque id ita quidem,

 ut

P

 ni-

IN-

tologia autem methodo mathematica pertractari debeat, (§. 11.) intelligitur, nullum terminum, nisi accurate definitum, in ontologia adhibendum esse.

SCHOL. Ex Logicis vero constat, in determinandis, & definiendis terminis non posse procedi in infinitum, (§. 97. Log.) nec illos quidem terminos definiri debere, qui satis sunt simplices, nec cum veritatibus demonstrandis ullum habent nexum.

NOT. Scholastici in ontologiæ pertractatione sæpenumero satis habebant, claram tantum & confusam cum terminis ontologicis conjunxisse notionem, definitione termini usurpati, vel nulla, vel spuria certe minusque legitima, adhibita, id quod in recitationibus ipsis illustrabo & confirmabo pluribus exemplis. Nos vero, lege methodi commonefacti, id vel maxime operam dabimus, ut terminos, cum quibus confusa alias notio a veteribus combinabatur, distinctius enodemus, & definitionibus legitimis in subsidium adhibitis, quæ cuique termino respondeat notio, exponamus.

§. 13. *Conficitur ex his, ontologiam, sive philosophiam primam, minus recte a quibusdam haberi pro lexico philosophico.*

Demonstr. Lexicorum proprium est, ut in iis vocum saltem significatus explicetur, & voces unius linguæ per voces alterius reddantur. Cum vero in ontologia, sive philosophia prima, non vocum modo significatus explicetur, sed generales positiones continuo legitimoque nexu demonstrentur, (§. 9.) oppido intelligitur, ontologiam minus recte appellari Lexicon philosophicum.

NOT. Fert ita nonnullorum consuetudo, ut, cum contemtum ontologiæ produnt, eam nominent *Lexicon philosophicum*, *farraginem* item *terminorum barbarorum & horrisonorum*. At hi, cum ontologiæ placita ejusdemque usum insignem ignorent, mirum non est, quod tam abjecte tamque hu-

humiliter sentiant de utilissima illa disciplina; quam merito optimoque jure acutissimus Leibnitius *scientiam principem* nominavit.

§. 14. Ex his omnibus constare nunc potest, quam amplus sit usus ontologiæ, sive philosophiæ primæ. Ut vero, quantæ sit utilitatis ontologia; luculentius intelligatur, nonnullas positiones hic adiiciemus; quibus usus ontologiæ uberius sigillatimque declarabitur.

§. 15. *Ontologia reliquis scientiis philosophicis omnibus antecellit; earumdemque caput merito dici potest.*

Demonstr. Cum enim in ontologia notiones generalissimæ determinentur, itemque propositiones communissimæ demonstrentur, (§. 4. 9.) patet, in ontologia ejusmodi principia suppeditari. quæ omnibus reliquis scientiis philosophicis sunt communia, & ex quibus peculiares cæterarum scientiarum veritates robur suum & stabilitatem nanciscuntur. Ut adeo recte, ontologiam reliquis scientiis antecellere earundemque caput esse, possimus affirmare.

§. 16. *Sine ontologia cognitio nostra veritatum, nec certa, nec solida esse potest.*

Demonstr. Cum cognitio nostra veritatum tum demum certa evadat, quando, veritates vel indubia sensione niti, comperimus, vel easdem demonstrare possumus, (§. 28. Log.) veritates vero tum demonstremus, cum easdem ex primis suis immotisque principiis derivamus (§. 386. Log.) manifestum est, sine distincta cognitione principiorum, quibus veritates nituntur, nullam omnino certam cognitionem posse obtineri. Jam vero cum generalissima veritatum principia in ontologia suppeditentur & stabiliantur. (§. 4.) evidens est, sine ontologia nostram cognitionem certam esse non posse.

NOT. Porro quia omnis solida cognitio illa est, qua veritates ita habemus perspectas, ut easdem possimus

mus demonstrare. (*per defin. solid.* conf. §. 483. Log.) nemo autem veritates ita possit perspectas habere, ut easdem possit demonstrare, nisi qui principia, quibus superstruuntur veritates, probe cognita habuerit & perspecta (§. 385. Log.) liquet, ontologiam, in qua quippe generaliora veritatum principia stabiliuntur, (§. 4.) necessario requiri ad cognitionem solidam.

Cum hac thesi exacte consentiunt Cel. Hollmanni cogitata de philosophiæ primæ usu. *Quum illa demum*, inquit vir Cel. in institut. philosoph. edit. rec. p. 607. T. I. *cognitio hic solida dici mereatur, quæ ad prima quæque principia revocare novit, qui, quæso, solide quid cognoscere aliquis potest, qui prima cognitionis omnis principia, primasque veritates, quæ fundamentum conclusionum omnium constituunt, adeoque soliditatem scientiæ nostræ unice conciliant, ignorat?*

§. 17. *Philosophia prima sive ontologia maximi quoque usus est in veritate invenienda.*

Demonstr. Cum enim veritates *inveniantur*, cum easdem ex aliis veritatibus, tamquam principiis suis, eruimus, (per defin.) facile patet, quemque facilius tum in veritate investiganda progredi posse, cum intellectus primis veritatibus notionibusque generalioribus probe imbutus est. Jam vero cum primas illas veritates conceptusque universalissimos, quibus aliæ veritates superstruuntur, distincte explicet ontologia, (§. 4.) intelligitur, usum ontologiæ in veritate invenienda esse manifestissimum.

§. 18. *Ontologia præterea usus per omnes omnino disciplinas philosophicas usque adeo se diffundit, ut sine ontologia, nec cosmologiam, nec psychologiam, nec theologiam naturalem, nec practicas denique scientias, intelligi riteque explicari posse existimem.*

Demonstr. Cum enim principia & dogmata philosophiæ primæ sint generalissima & communissima. (§. 1.) hoc autem latius cujusque dogmatis usus

pateat, atque ad hoc plura extendi poſſe, recte credatur, quo generalius dogma quoddam eſt, dubitari non poteſt, ontologiæ, generaliſſima & communiſſima dogmata complexæ, uſum per omnes philoſophiæ partes ſe diffundere, atque adeo, nec theoreticas, nec practicas, diſciplinas facile poſſe intelligi, & cum fructu tractari, niſi ontologicæ poſitiones fuerint ante diſtinctius explicatæ ſolideque demonſtratæ.

SCHOL. Uberius a poſteriore in ſubſequentibus, quæ ontologiæ adjungentur, diſciplinis intelliges, quantæ ſint utilitates univerſalia illa & abſtracta ontologiæ præcepta. Vix enim & ne vix quidem, vel in coſmologia, vel in pſychologia, vel in theologia denique naturali, occurret propoſitio, quæ ſine principiis ontologicis demonſtrabitur. Unico tantum alteroque exemplo dictis faciam fidem. In coſmologia e. gr. primo loco explicanda eſt definitio mundi, qui exponitur per congeriem omnium entium finitorum, ſimultaneorum, ſucceſſivorum, inter ſe connexorum. Hic aqua hærebit, ſi ignoraveris, nondum principiis imbutus ontologicis, quid ſint entia finita, quid ſimultanea, quid ſucceſſiva, & ſic porro. Ipſam quoque doctrinam de nexu, quæ, ut in coſmologia, ita in univerſa philoſophia, maximi omnino eſt momenti, plane non intelliges, niſi, quid ſit cauſſa, quid effectus, quidve item ſit relatio cauſſam inter & effectum, ex ontologia recte didiceris. In pſychologia complura obveniunt, quæ difficillima intellectu erunt, ſi ignoraveris ontologiam. Explica, ſi potes, demonſtra immortalitatem animæ ſine theoria generali de ente ſimplici. Nihil profecto proficies, fruſtraque, & irrito conatu, inſumetur labor. Quanti itaque intereſt, animi immortalitatem ἀκριβῶς demonſtrari, tanti quoque refert, doctrinam ontologicam de ente ſimplici recte capi: Libertatem quoque animæ nemo exponet enucleatius, nemo controverſias, de eadem ultro citroque motas, deci-

ſive ſcientiam animæ, in qua (1) ea tradit, quæ per experientiam de anima nobis innoteſcunt, (2) ea demonſtrat, quæ de anima, ope ratiociniorum, ex experientiis, rite ſtabilitis, deductorum, noſſe nobis datum eſt. Hinc pſychologiam dividit in *empiricam* & *rationalem*. (δ) Refert denique ad Metaphyſicam *Theologiam naturalem*, ſive ſcientiam de Deo, ejus exiſtentia, attributis, & operibus.

§. 5. Quæ quidem, metaphyſicem tractandi ratio, cum commodiſſima & maxime completa eſſe videatur, ducem Wolfium ita nunc ſequemur, ut primo notiones generaliſſimas, & principia cognitionis humanæ communiſſima, diſtincte in *Ontologia* exponamus, deinde his ſcientiam mundi in genere, ſive *coſmologiam tranſcendentalem* ſubjungamus, tum ea, quæ cum per experientiam, tum per ratiocinia, de anima novimus, in *pſychologia empirica*, & *rationali* adducamus, & denique in *Theologia naturali* de exiſtentia Dei, ejus attributis operibuſque commentemur.

SCHOL. Eadem Cel. Bilfingerus in *dilucidat. philoſophicis* §. 2 ad Metaphyſicam requirit. *Tenetur*, inquit vir acutiſſimus, *illa diſciplina* (metaphyſica nimirum (1) *ideas rerum generaliſſimas ſic volvere, ut ex vagis certa fiant, diſtinctaque & fœcunda concluſionum.* (2) *Tenetur ſumma rerum genera ordinare & connectere, diſcrimina etiam, ſubtilius licet eruenda, perveſtigare, exponere, & applicare tollendis difficultatibus.* (3) *Tenetur principia & propoſitiones generaliſſimas exhibere, quæ axiomatum requiſitis gaudent, declarare, & applicare in generalibus, in cæteris applicandi modum oſtendere, quæ axiomata non ſunt, ex talibus demonſtrare.* (4) *Tenetur doctrinas in phyſica, in philoſophia morali &c. præſuppoſitas, etſi non generaliſſimas, v. c. de natura animæ humanæ, & ſimiles, ſic evolvere, ut iiſdem, quoad fieri poteſt, demonſtrandis ſubſerviant & ſufficiant.* (5) *Tenetur denique* co-

cognitionem de rebus creatis generalem, & de Deo specialem sic tradere, ut intelligatur, quis sit rerum omnium a Deo ortus, sub Deo progressus, & ad Deum reditum. In §. III. subsequentia pergit ita Bilfingerus: *Non igitur, mea sententia, plena est tractatio metaphysica, nisi & Ontologiam, & Cosmologiam, & Psychologiam, & Theologiam naturalem complectatur*.

§. 6. His in unum collectis, *metaphysicam*, quatuor dictas disciplinas complexam, cum Thummigio definimus per scientiam entis, & mundi in genere rerumque immaterialium.

§. 7. De usu metaphysicæ, non est, quod multa hic proferamus. Quicquid enim ontologia, cosmologia, psychologia, Theologia denique naturalis tibi adferet commodi, id omne a metaphysica, has scientias complexa, (§. 5.) sperare poteris. Quare, cum in peculiari cujusque disciplinæ pertractatione usum quoque, quem quæque harum scientiarum sui cultoribus præstat, enarraturi sumus, non est, quod pluribus hic emolumenta metaphysicæ & fructus percenseamus.

IN-

INSTITUTIONES ONTOLOGIÆ SEU PHILOSOPHIÆ PRIMÆ

PROLEGOMENA.

§. 8.

CUm ontologia primam constituat metaphysices partem, (§. 5.) ab hujus disciplinæ pertractatione ordiendum esse, intelligitur. Et, quia ontologia in eo occupata esse debet, ut generalissimos conceptus & notiones distincte explicet, (§.4.) in eo autem conceptu omnia conveniant, quod *entia* sint, eum tractandi onttologiam ordinem observabimus, ut, præstructis primis omnium veritatum principiis, ab *entis* conceptu generaliori primordia capiamus, ex eo communissimas & generalissimas positiones deducturi. Atque hinc est, ut *Ontologiam* definiamus per scientiam entis in genere, seu quatenus ens est.

NOT. *Ontologia*, quæ erat veteribus metaphysica, stricte sic dicta, quamque nos pro prima & universali metaphysices parte habemus, dicitur alias quoque *Ontosophia*, item *philosophia prima*. Philosophia autem *prima* ideo appellatur, quia in eadem prima veritatum omnium principia, & primæ notiones, in aliis disciplinis applicandæ, & in ratiocinando maximo usui futuræ, traduntur.

§. 9. *Propositiones in ontologia occurrentes, debere demonstrari, ex definitione ontologiæ, §. antecedenti suppeditata, intelligi potest.*

De-

decidet, nemo adverſarios libertatem impugnantes, fatumque fatuum aſſerentes, confutabit, niſi, quid ſit neceſſarium, quidve contingens, ex Ontologia habuerit perſpectum. Alia lubens reticeo. In Theologia denique naturali, ſcimus, exiſtentiam Dei, ſine adſtructa mundi contingentia, demonſtrari non poſſe. Quo ipſo intelligis, Atheorum nullum ſine exquiſitiori doctrinæ ontologicæ de *neceſſario*, & *contingenti* cognitione poſſe refelli. Unitatem quoque Dei ſine principio indiſcernibilium in ontologicis explicari ſolito, nunquam ſolide, demonſtrabis. In moralibus, ut de his quoque nonnulla adjiciam, diſciplinis controverſa illa de moralitate actionum intrinſeca doctrina intelligi non poteſt, ſine præſtructa hac poſitione ontologica: *Eſſentiæ rerum ſunt neceſſariæ*. Differentia item actionum liberarum & neceſſariarum, neſcio, qua ratione explicari diſtincte poſſit ſine principiis ontologicis. In theologicis denique & aliis ſuperioribus ſcientiis ſoliditas nulla ſperari poterit, niſi, quæ identitem fundamenti loco in aſſertis noſtris confirmandis vel defendendis ſubſterni debent, principia ontologiæ communiſſima animo comprehenſa tenuerimus. Id quod ſelectis quibuſdam, ex omni diſciplinarum genere depromptis, exemplis coram illuſtrabo. *Conf. omnino Gotthſched, in oratione pro utilitate & neceſſitate Metaphys: in contemptores ejus Lipſ. habita, item Reinbech. in medit. part. II. prolegom.* §. *XXXI.*

CAPUT I.

De principio contradictionis.

§. 19.

CUM ontologia communiſſimas & generaliſſimas explicare debeat notiones, & univerſaliora cognitionis humanæ principia ſtabiliat, (§. 4. p. 5.)

duo autem a philoſophis omnis cognitionis humanæ principia conſtituuntur, alterum ſcilicet principium contradictionis, alterum vero principium rationis ſufficientis: ordinis rationem habituri a principio contradictionis (quod primum & abſolute ultimum omnis cognitionis humanæ principium eſſe, deinceps demonſtrabimus) ordiemur.

NOT. Ut vero, in quo principium contradictionis conſiſtat, quidve item ſibi velint poſitiones, de hoc principio annotari ſolitæ, rectius intelligi queat, notionem *contradictionis*, evolvemus ante, quam contradictionis principium explicabitur.

SCHOL. Cur vero duo tantum, nec plura, veritatum & cognitionis humanæ a philoſophis conſtituantur principia, hæc ratio eſt. Omnes ſcilicet veritates duplicis ſunt generis, aliæ ſunt neceſſariæ, id eſt, ejuſmodi, ut aliter eſſe non poſſint, (e. gr. hæ propoſitiones: *circulus eſt rotundus*, *bis duo ſunt quatuor*, ſunt veritates, neceſſariæ) quæ vero ſunt contingentes, i. e. ejuſmodi, ut aliter eſſe poſſint, (e. gr. hæ propoſitiones: *Cujus eſt eruditus*, *Theologiæ operam dat*, ſunt contingenter veræ.) Quia itaque omnes in univerſum veritates duplicis ſunt generis, diverſæque plane naturæ, diverſa quoque harum veritatum diverſarum conſtituantur, neceſſe eſt principia, diverſique allegentur fontes, ex quibus profluant. Cum itaque veritates neceſſariæ ex principio contradictionis demonſtrentur, veritates autem contingentes ex principio rationis ſufficientis derivari ſoleant; patet, cur duo tantum, nec plura cognitionis humanæ, veritatumque principia conſtituamus. *Conſ. Straehleri commentatio de ſenſu atque uſu principii rationis ſuff. Halæ* 1727.

§. 20. Cum de una eademque re aliquid ſimul affirmamus & negamus, tum dicimus nobis *contradicere*; ut adeo *contradictionem* recte definiamus per ejuſmodi orationem, qua de una eademque re idem ſimul affirmatur, & negatur.

EXEM-

EXEMPL. E. gr. Cum dixeris: *Sol lucet*, & *sol non lucet*, tum contradicis tibi; de uno enim eodemque subjecto, scilicet *sole*, affirmas, quod luceat, & negas simul, quod luceat. Contradictio autem vel fit ita, ut unio oppositorum expressis verbis significetur, uti in exemplo modo allato: vel fit ita, ut in una propositione aut in uno termino complexo combinentur ideæ, quarum altera alteram tollit. E. gr. *Circulus quadratus*. Illa dicitur *contradictio explicita*; hæc vero *implicita*, itemque *contradictio in adjecto*.

NOT. Per *principium* autem hic intelligo ejusmodi propositionem, quæ in serie veritatum prima est, & unde deduci intelligique debent reliquæ veritates. Definitionem tantum nominalem *principii* hic adferimus, plura infra in peculiari capite de principio allaturi.

§. 21. Cum multa omnino sunt, quorum datur cognitio, tum vero illud omnium eorum, quæ quidem nosse nobis datum est, primum est, *quod existimus*. Dum autem novimus, nos existere, fieri non potest, ut eodem tempore, *nos non existere* nobis persuadeamus. Atque idem, quod in existentiæ nostræ cognitione accidit nobis, in aliis quoque rebus nobis usu venire comperimus Unde experientia teste & magistra, hæc propositio certissima est: *fieri non potest, ut idem simul sit, & non sit*.

§. 22. Atque hæc quidem propositio: *fieri non potest, ut aliquid simul sit, & non sit*, dici solet *principium contradictionis*. *Principium* quidem, quia huic propositioni fundamenti loco substratæ, omnes veritates superstruuntur: *Contradictionis* vero principium ideo dicitur, quia sublata hac propositione, aperta adesset contradictio.

NOT. Dicitur quoque alias hoc principium *identitatis principium*, item *principium necessitatis*, neque minus *principium essentiarum*. Rationem, cur hoc principium ita appellitetur, specialem enume-

rabimus in commentationibus. Hæc propositio, quam appellamus Principium contradictionis, tam evidens est ex ipsis terminis, ut, non quemquam exstitisse unquam, aut existere etiam nunc, crediderim, qui serio hanc propositionem, vel in dubium vocare, vel negare prorsus, queat.

§. 23. *Principium contradictionis est principium absolute primum, quo prius nec datur, nec dari potest.*

Demonstr. Ponamus; principium contradictionis, non esse principium absolute primum, tunc dabitur propositio aliqua prior & notior, ex qua hæc propositio: *fieri non potest, ut idem simul sit, & non sit*, demum deduci debeat. Illa propositio prior, & notior, quam nunc A, vocabimus, aut est vera, aut est falsa. Si est falsa, tunc ex propositione falsa immediate fluet vera hæc propositio: *fieri non potest, ut aliquid simul sit, & non sit*. Quod jam est absonum. Si vero est vera propositio A, ex qua deduci debet principium contra dictionis, sive hæc propositio: *fieri non potest, ut idem simul sit, & non sit:* tunc, nondum supposito principio contradictionis, eodem jure affirmabo, esse propositionem A, falsam, quo tu affirmas, esse veram, (fieri enim potest, ut una eademque propositio, nondum præstructo contradictionis principio sit simul vera & falsa) Absonum hoc, inquies, est & impossibile. Atque hoc ipso concedis jam & supponis principium contradictionis, quod tamen demum ex propositione A, tanquan notiore, deducere vis. Ut itaque nihil aliud relinquatur, quam ut affirmemus, nullam dari posse notiorem, & priorem propositionem hac: *fieri non potest, ut idem simul sit, & non sit:* atque adeo principium contradictionis esse principium veritatum absolute primum.

§. 24. *Ex quo conficitur, principium contradictionis esse indemonstrabile.*

Demonstr. Cum enim principium contradictionis sit

ſit abſolute primum principium, neque adeo ex aliis principiis ſive propoſitionibus derivari poſſit, (§. 23.) illæ autem propoſitiones, quæ demonſtrantur, debeant ex aliis notionibus & prioribus poſitionibus, tamquam ex ſuis principiis, deduci, (§. 389. Log.) patet, principium contradictionis eſſe indemonſtrabile.

SCHOL. A poſteriori, ſive per experientiam, & inductionem plurium caſuum veritas hujus principii evinci quidem poteſt, & communiri; at a priori, ſive ex notioribus atque prioribus propoſitionibus illud demonſtrare velle, abſonum prorſus & fruſtraneum eſt. *Cl. Carpov*, in diſſert. *de principio rat. ſuff.* hanc in rem ita diſſerit: *Quandoquidem*, inquit, *quodcumque in medium profertur veri, veritatis omne robur & vim ab hoc principio accipit, convenienterque illius demonſtrandi nec via, nec ratio ex notioribus veritatibus apparet, ex falſis autem propoſitionibus illud demonſtrat, ridiculum foret, qui pro ultimo primoque illud habent, a veritate non alieni eſſe videntur*. §. VII.

SCHOL. *Straehlerus in Exam. Metaphyſ. VVolf. P. I. §. 3. item in diſſert. I. de Exiſtent. Dei* §. 321. principium hoc contradictionis ex notione *oppoſitorum* hunc in modum demonſtrare voluit: *Eſſe & non eſſe ejuſdem ſunt oppoſita*, (*vi defin.*) *Hinc unio eorum contradictionem conſtituit, quia contradictio dicitur oppoſitorum unio. Quod autem cum contradictione eſt, eſt impoſſibile. Ergo τὸ eſſe & non eſſe ejuſdem, eſt impoſſibile, ſive, quod idem eſt, impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe*. At, quod pace viri clariſſimi dixerim, in tota hac demonſtratione ſupponitur jam principium contradictionis, tanquam certum & verum, quod tamen debet demum demonſtrari. Unde enim minor propoſitio probabitur, *quod ſcilicet τὸ eſſe & non eſſe ſint oppoſita*, niſi ex principio contradictionis. Quia ſcilicet fieri non poteſt, ut idem ſimul ſit, & non ſit, inde ſequitur, ut eſſe & non eſſe pro

oppositis habeantur. Si vero nondum suppofueris principium contradictionis, tunc *esse* & *non esse* pro iisdem haberi poterunt. *Conf. citat. differtat. Carpovii*. §. 6. Atque hoc ipso patet, in tota hac probatione circulum committi (conf. §. 397. Log.) quem sollicite evitandum esse, monuimus in §. 398. Log. Idem circulus committitur in hac demonstratione principii contradictionis. *Esse*, & *non esse*, *involvit contradictionem* (*per def. contrad.*) *quicquid contradictionem involvit*, *est impossibile* (*per defin. imposs.*) *E. impossibile est*, *idem simul esse*, & *non esse*. Nulla enim præmissa in hoc ratiocinio est vera, nisi suppofueris principium contradictionis.

§. 25. *Principium contradictionis est universale*.

Demonstr. Ponamus enim, non esse illud universale, tunc casus aliquis individuus dabitur, in quo fieri potest, ut idem simul sit, & non sit. Cum vero ejusmodi casus nec allegatus unquam sit, nec allegari possit a quoquam, universalitatem principii contradictionis satis intelligitis.

§. 26. *Principium contradictionis est absolute necessarium*.

Demonstr. Cujuscumque oppositum involvit in se & sua natura contradictionem, illud est *absolute necessarium*, (per def. necess.) Jam vero principii contradictionis oppositum involvit in se & sua natura contradictionem; E. principium contradictionis est absolute necessarium. Cum enim principium contradictionis absolvatur hac propositione, *fieri non potest*, *ut idem simul sit*, & *non sit*; (§. 22.) patet, principii contradictionis oppositum esse hanc propositionem: *fieri potest*, *ut idem simul sit*, & *non sit*. Quæcumque vero propositio est ejusmodi, ut de eodem simul quid affirmet & neget, illa involvit contradictionem, (§. 20.) E. oppositum principii contradictionis involvit contradictionem.

§. 27. *Principium contradictionis est immutabile*.

Demonstr. Quodcumque est absolute necessarium,

it-

illud est ejusmodi, ut ejus oppositum involvat contradictionem, sive, quod idem est, ut aliter esse non possit. Quodcunque vero aliter esse non potest, illud dicitur *immutabile*. E. principium contradictionis, quia est absolute necessarium, (§. 25.) esse immutabile, patet.

SCHOL. Ne a Deo quidem mutari potest principium contradictionis, quia Deus contradictoria producere nequit, id quod omnes theologi & philosophi saniores ultro largiuntur.

§. 28. *Principium contradictionis est fons omnis certitudinis*.

Demonstr. Si enim fieri nequit, ut aliqua res simul existat, & non existat, consequens est, ut, cum res aliqua est, oppositum simul esse nequeat. Atque adeo ex hac propositione: *fieri non potest, ut aliquod simul sit, & non sit*, fluit hæc: *qualibet res, dum est, certo est*, item hæc: *quicquid novi existere, id ita scio, ut omnis formido oppositi exulet, sive ut oppositum simul non existere certo sciam*. Unde principium contradictionis recte appellatur fons omnis certitudinis.

SCHOL. Ut hæc propositio rectius perspiciatur, fingas principium contradictionis esse falsum, atque adeo possibile esse, idem simul sit, & non sit, tunc cum mensam quadratam cernis, non certo nosti, num sit quadrata, quia oppositum ejus, quod existere vides, simul existere potest: item, cum solem lucere vides, non certo nosti, num luceat. Ut ita, negato principio contradictionis, omnem tolli certitudinem, intelligatur; eodem vero posito, certitudo locum habeat.

§. 29. Ex principio contradictionis fluunt per immediatam consequentiam duæ hæ positiones: *Necesse est, aliquid vel esse, vel non esse*, sive quod idem est, *quodlibet est, vel non est*. Item hæc inde eruitur propositio: *Quodlibet dum est necessario est*.

SCHOL. Priorem propositionem, quam dicunt

principium exclusi medii inter duo contradictoria, a demonstrat *Hebenstreit in philosophia prima pag.* 2. *Quia*, inquit, *impossibile est, idem simul esse, & non esse, ideo quodlibet est, vel non est. Nam si v. g. aliquid simul nec est ens, nec non-ens, sequitur, aliquid simul esse non-ens, & non esse non-ens. Erit non-ens, quia non est ens, & non erit non-ens, quia nec ens, nec non ens esse dicebatur.*

Posterioris propositionis sensus non hic est, quod quælibet res existat absolute necessario. Sed hæc propositio ita est intelligenda: Quælibet res, quando existit eo ipso ita existit, ut non possit simul eo tempore, quo existit, non exsistere. Si enim res, dum existit, simul posset non exsistere, corrueret principium contradictionis. Adeoque quælibet res, dum existit, eo ipso existit necessario. Hæc propositio, *quodlibet, dum est*, dicitur *principium certitudinis*. Sed hactenus de principio contradictionis, quod quidem ubi & quanto cum fructu in disciplinis philosophicis adhiberi soleat, coram ostendetur. *De principio contradictionis conf. Bilfingeri dissertat. de Axiomatibus philosoph. Tubing. habit.* 1722.

CAPUT II

De Principio rationis sufficientis.

§. 30.

VEritatum contingentium, rerumque item existentium principium est *principium rationis sufficientis*, (§. 9.) quod nunc, exposito contradictionis principio, & explicari facilius, & distinctius poterit intelligi.

NOT. Ut vero natura & indoles principii rationis sufficientis rite perspiciatur, id agemus, ut ante, quid sit *ratio*, quid sit *sufficiens ratio*, explicemus, aliasque notiones, huc pertinentes, enodemus.

§. 31.

§. 31. *Ratio sufficiens* est id, ex quo intelligitur, cum aliquid potius sit, quam non sit, cur sit potius hoc modo, quam alio. Brevius: *Ratio sufficiens* est id, unde potest cognosci, cur sit alterum.

EXEMPL. Sic e gr. ponamus, Titium ad supplicium trahi [& capite plecti. Quod si fit, debet quid adesse, ex quo intelligi queat, cur Titius ad supplicium potius trahatur, quam non trahatur. Ponas itaque, Titium homicidium commisisse, atque ob homicidium commissum nunc capite plecti; tunc homicidium commissum erit ratio sufficiens supplicii, ad quod nunc rapitur Titius. Ex homicidio enim commisso intelligis & concipere potes, cur Titius capite potius plectatur, quam non plectatur, pluribus, huc pertinentibus, exemplis definitiones in recitationibus illustrabo.

NOT. Sunt, qui non omnem rationem *sufficientem* esse arbitrati, rationem distinguunt in *sufficientem* & *insufficientem*. Sed ratio insufficiens, meo quidem judicio, non est ratio, cum ad rationem si quidem debet esse vera ratio, requiratur, ut effectui producendo sit idonea, plena, integra, adeoque sufficiens.

Variæ dantur *rationis* differentiæ, quas, pro instituti nostri scopo, percensebimus. Alia ratio est *possibilitatis*, alia *actualitatis*. Illa est id, unde intelligitur, cur alterum potius esse possit, quam non. Hæc dicitur id, unde intelligitur, cur alterum potius actu sit, quam non sit, cur hoc & non alio modo. Rationem quoque distinguunt in rationem *intrinsecam & extrinsecam*. Illa vocatur, quæ rei, de qua quæritur, inest, hæc vero, quæ extra rem illam est posita.

Ratio denique sufficiens alia *simplex* est, alia *composita*. Illa est id, ex quo unico intelligi potest, cur alterum sit. Sed plura, ex quibus, simul sumtis, intelligi potest, cur alterum potius sit, quam non sit, constituunt *rationem sufficientem*

tientem compositam. Illustrabimus hæc exemplis, Sic e. gr. possibilitatis omnium rerum ratio sufficiens est intellectus divinus, quia infra in Theologia naturali demonstratum dabimus, radicem & fontem possibilitatis rerum esse intellectum divinum. Ratio vero suff. actualitatis omnium rerum est voluntas divina, id quod itidem in Theologia naturali demonstrabitur. Melancholiæ ratio sufficiens *interna* est vitiosa sanguinis constitutio, succusque corporis corruptus; externa sæpius est miseria, pauperies, injuriæ aliorum &c. *Ratio suffic. simplex* existentiæ hujus mundi est sola voluntas divina, quia ex hac unica concipi potest, cur mundus existat. Ut vero adsit peccatum in Spiritum Sanctum, requiritur, (1) plenaria veritatis cœlestis agnitio & convictio, (2) spontanea jusdem abnegatio, (3) veritatis confessorum persecutio, (4) perseverantia in ejusmodi statu usque ad finem vitæ. Hæc plura, simul sumta constituunt rationem suff. compositam peccati in Spiritum Sanctum.

Rationem a caussa, stricte & proprie sic dicta, causa scil. efficiente, distinguunt recentiores philosophi. Caussa scil. est id, quod continet rationem alterius in sese. Sic e. gr. Deus est caussa hujus mundi, non vero dici potest ratio hujus mundi. Cujus est caussa deambulationis quam suscipit, ratio vero, quæ ipsum ad deambulationem suscipiendam determinat, est repræsentatio tempestatis amœnæ. Hoc vero infra *de caussis* uberius excutietur.

§. 32. *Nihil est sine ratione sufficiente, sive quicquid est, debet habere rationem sufficientem, ex qua intelligi potest, cur potius sit, quam non sit, cur hoc modo sit, nec alio.*

Demonstr. Ponamus aliquid esse sine ratione sufficiente, tunc, cur aliquid existat, concipi & intelligi debebit ex nihilo. (§. 21.) Adeoque τὸ nihilum existet, & non existet simul. Existet, quia exi-

existentia alterius rei ex nihilo concipi debet, sive, quod idem est, quia alteri rei τὸ nihilum existentiam largitur, non existet, quia est nihilum. Cum vero impossibile sit, ut aliquid simul existat, & non existat: (§. 22.) impossibile quoque est, ut ex nihilo alterius rei existentia concipi & intelligi debeat, atque adeo impossibile quoque est, ut aliquid existat, nec tamen habeat rationem suff., ex qua intelligi potest, cur existat. E. nihil est sine ratione sufficiente, sive, quod idem est, quidquid existit, debet habere rationem sufficientem, ex qua intelligi potest, cur potius sit, quam non sit, cur sit potius hoc modo, quam alio.

§. 33. Ex his, necessaria consecutione, conficitur I. Id, quod ratione sufficiente destituitur, nec esse, nec esse posse. II. Hinc colligimus, omne, quod ratione sufficiente gaudet, eam aut in semetipso habere debere, aut in alio ente extra se. Ut adeo, quicquid rationem sufficientem suae existentiae non habet in se, eam habere debeat in alio, &, quodcunque rationem sufficientem suae existentiae in se habet, eam non habeat in alio extra se.

SCHOL. Has propositiones, tamquam consectaria, hic volo annotari, propterea quod in demonstranda existentia Dei, item in doctrina de necessario & contingenti, in subsequentibus multo usui nobis sunt futurae.

§. 34. Haec propositio: *nihil est sine ratione sufficiente*, sive affirmative enunciata: *quicquid est, debet habere rationem sufficientem*, dicitur a Leibnitio & VVolfio aliisque *principium rationis sufficientis*.

SCHOL. Dicitur alias quoque a Leibnitio principium *rationis determinantis*, quia ratio sufficiens determinat res, i. e. efficit, ut praecise hae res sint, nec aliae. Item appellatur principium *convenientiae*, vel quia inconveniens est dictu, quicquam esse, quod ratione sufficienti sit destitutum, vel quia ra-

rationem reddit, cur hoc illudve rei conveniat, vel minus. Nominatur denique principium *existentiarum*, quia res existentes dependent ab hoc principio, i. e. si quæritur, cur res existant potius, quam non, ad principium rationis sufficientis confugiendum est. *Veritates*, inquit Cel. Bilfingerus *in dilucidat. p. 62. de existentia rerum finitarum omnium sunt ejusmodi, ut ostendi non possit, si quis illas aliter concipiat, impingere illum in principium contradictionis. Aliud itaque principium quæri oportet, a quo pendeat existentiæ certitudo. Scilicet id ostendi potest, si rem aliter constitutam supponas, esse aliquid sine ratione sufficiente*. Occasione propositionum Archimedis de libra, sine ratione nullam partem inclinante, invenit, aut certe sagacius applicavit Leibnitius principium rationis sufficientis, cujus tamen demonstrationem suppeditare noluit, propterea quod omnes, qui rationis compotes forent, & infinita absurda effugere vellent, non posse non illud concedere affirmabat. Experientiam pro hujus principii confirmatione allegabat, ex qua nullum exemplum produci posse, ajebat, in quo ratio sufficiens prorsus absit, licet ignoretur. Negabat præterea Leibnitius, sine principio rationis sufficientis existentiam Dei probari posse.

Illustr. VVolfius hujus principii demonstrationem dedit in *Metaphysic. sua Germanica* §. 10. & 11. In Ontologia Latina §. 70. VVolfius ita demonstrat hoc principium: „ Aut, *inquit*, nihil est sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit, aut aliquid esse potest absque ratione sufficiente, cur sit potius, quam non sit. Ponamus esse A, sine ratione sufficiente, cur sit potius, quam non sit. Ergo nihil ponendum est, unde intelligitur, cur A sit. Admittitur adeo A esse propterea, quod nihil esse sumitur. Quod cum sit absurdum, absque ratione sufficiente nihil est, seu si quid esse ponitur, admittendum etiam est, aliquid, unde intelligitur, cur sit. "

Ve-

Venerandus Reinbeckius *in meditat. in Auguſt. Confeſſ.* T. I. p. 13. §. XII. & XIII. principium rationis ſuff. ex interiore ſui pretio æſtimat, adjecta eleganti demonſtratione. Verba ipſius, certas ob cauſſas, hic adponam: „ fundamentum, (*inquit*
„ *vir acutiſſimus*,) ex quo derivatur hæc veritas:
„ *Datur Deus*, in eo conſtituitur, ut nemo niſi
„ inſanæ mentis, id in dubium vocare poſſit, quæ
„ ſic ſonat: Res omnis ſuam rationem ſufficientem
„ habet, cur ſit, & cur ſic, & non alio modo
„ ſit. Qui hanc propoſitionem negare, & judicare
„ vellet, rem aliquam ſine ratione ſufficiente exi-
„ ſtere poſſe, hic concedere cogeretur, aliquid ſe
„ ipſum ex nihilo producere, vel nihilum rem ali-
„ quam creare poſſe; nam ſi res actu exiſtere po-
„ teſt, quæ nec in ſe, nec extra ſe fundamentum
„ habeat, cur exiſtat, tunc nihil erit, cur ſit,
„ atqui nihilominus exiſtit, ergo ex nihilo fuiſſet
„ productum, hic autem manifeſta contradictio pa-
„ tet, eſſe nihilum & tamen aliquid produxiſſe. Si
„ autem dicatur rem ſeipſam produxiſſe; tamen
1 3 4 5 2
„ manet contradictio, quod res a ſe ipſa producta
„ deberet jam antea extitiſſe, antequam fuiſſet.
„ Contradictio autem eſt: fuiſſe antequam eſſe fa-
„ ctum; ergo verum manet: res omnis ſuam ra-
„ tionem ſufficientem habet, cur ſit, & cur ſic,
„ & non alio modo ſit, qui autem hoc non con-
„ cedere vellet, non operæ pretium eſſet, ut cum
„ ipſo de hac re diſſeratur, quia defenderet, rem
„ aliquam eodem tempore nigram & albam eſſe
„ poſſe. “

Cl. Straehlerus in commentat. de ſenſu & uſu principii rationis ſuff. p. 41. principium rationis ſuff. ita demonſtrat: „ quicquid eſt perfecte intel-
„ ligibile ſeu conceptibile, illud habet rationem
„ ſufficientem, (per def.) Atqui, quicquid eſt, ſeu
„ quicquid habet eſſe, ſcilicet ſine contradictione,
„ perfecte intelligi ſeu concipi poteſt, quia non-
„ en-

„ entis tantum nulla datur notio & nullum esse .
„ E. quicquid est, habet rationem sufficientem. "
Carpovii demonstratio, quia principium rationis sufficientis corroborat, hæc est: „ Si aliquid sine
„ ratione est, ex nihilo aliquid fieri, necesse est:
„ Nihilum autem, hoc est, quod nullam habet e-
„ xistentiam, vel negative, vel privative tale est:
„ Si negative, nec ullo modo potest existere, eju-
„ sque existentia per se contradictionem involvit;
„ sin privative, non quidem existit, existere ta-
„ men potest, ejusque existentia contradictionem
„ non involvit. Jam si nihilum negativum debet
„ aliquid fieri, impossibile debet ad existentiam
„ pervenire, & convenienter possibile fieri, quia
„ omnis existentia supponit possibilitatem. Nam
„ possibilitas, sive potentia, habitudo ad actum est:
„ Sed impossibile est, impossibile fieri possibile,
„ propter contradictionis principium. Ergo ex ni-
„ hilo negativo non potest aliquid fieri. Quod si
„ vero a, vel ex nihilo privativo omnimodo h. e.
„ tali, ubi omnis ratio actu abest aliquid fit, non
„ existens debet actuare, sive effectum producere:
„ Antea enim non fuisse, & sine causa vel ratio-
„ ne orta esse res assumitur Si non existens a-
„ ctuat, gaudet attributo positivo actuali, quia at-
„ tributum positive actuale est, quod aliquid actua-
„ liter affirmat. Si non existens habet attributum
„ positivum actuale, sequitur, ut sit ens revera
„ existens, quia attributa actualia positiva, tan-
„ quam actualiter aliquid de re affirmantia, exi-
„ stentibus, competunt; non entis autem nulla
„ sunt prædicata, scilicet positiva, quia affirmatio
„ attributi existentis & negatio existentiæ de eo-
„ dem, sibi invicem contradicunt. Ergo si ex ni-
„ hilo privativo aliquid fit, non existens est exi-
„ stens. Sed propter posterioris absurditatem prius
„ etiam pro absurdo habendum est. Si autem ex
„ nihilo, tam privativo, quam negativo, non po-
„ test aliquid fieri, omne, quod est, debet se ad
„ ali-

„ aliquid referre, ex quo possit cognosci, cur potius
„ sit, quam non sit; propter contradictionis prin-
„ cipium. Si omne quod est, debet aliquid agno-
„ scere, ex quo possit cognosci, cur sit, omne,
„ quod est, debet habere rationem sufficientem.
„ Conf. dissertat. de ration. suff. principio §. XV. "

§. 35. *Principium rationis sufficientis ex principio contradictionis demonstratur.*

Demonstr. Cum enim hæc propositio: *Nihil est sine ratione sufficienti*, ideo vera sit, quia, si negaretur, nihilum existeret & non existeret simul, (§. 34.) adeoque in principium contradictionis impingeretur, (§. 22.) facile intelligis, hanc propositionem: *Nihil est sine ratione sufficiente*, ex principio contradictionis robur suum, & firmitatem nancisci, ex eodemque demonstrari. Cum vero hæc propositio: *Nihil est sine ratione sufficienti*, constituat principium rationis sufficientis; (§. 34.) intelligitur, principium rationis sufficientis ex principio contradictionis demonstrari.

§. 36. *Principium rationis sufficientis non est absolute primum principium.*

Demonstr. Cum enim principium rationis sufficientis ex principio contradictionis demonstretur; (§. 35.) consequens est, ut, quia principium rationis sufficientis aliud prius principium, ex quo fluit, agnoscit, non possit pro principio absolute primo haberi.

NOT. Quia principium rationis sufficientis ex principio contradictionis fluit; (§. 35.) patet principium rationis sufficientis in relatione ad principium contradictionis esse principiatum: in respectu autem ad alias veritates, robur suum & stabilitatem inde acquirentes, esse principium.

(§. 37.) *Principium rationis sufficientis est absolute necessarium.*

Demonstr. Cum enim principium rationis sufficientis ex principio contradictionis immediate fluat, (§. 35.) principium autem contradictionis sit absolu-

lute necessarium, (§. 26.) intelligis, principium rationis sufficientis fluere ex principio absolute necessario. Si vero principium rationis sufficientis fluit immediate ex principio absolute necessario, non potest non quoque principium rationis sufficientis esse absolute necessarium, quia, qualis est caussa, tale quoque existere debet effectus.

SCHOL. Ut vero hoc theorema recte intelligatur, sensum ejusdem hunc esse, scito: Absolute necessarium est, quicquid est, habeat rationem sufficientem, cur sit; & fieri omnino non potest, ut quicquam, vel existat, vel existere possit, quod omni prorsus ratione sufficienti destituatur. Hoc vero non est absolute necessarium, ut hæc præcise ratio adsit, poterat enim alia adesse. Memini, Cel. Bilfingerum affirmare, principium rationis sufficientis esse necessarium in *actu signato*, i. e. in genere, sine applicatione asserta exemplo perquam luculento explicabo. Fac, te exspatiari. Si revera extra portas exspatiatus fueris, tunc debet adesse ratio sufficiens necessario, ex qua concipi potest & intelligi, & cur exspatieris potius, quam domi maneas. Hactenus rationis sufficientis principium est necessarium, quia fieri non potest, ut deambulatio sine ratione sufficiente suscipiatur. At alia aliave potest adesse ratio, quæ te determinat ad exspatiandum. Poteris exspatiari ob tempestatem serenam, ob sanitatem per corporis motum conservandam, & ob nescio quas, alias caussas. Ut adeo in applicatione, sive, ut Bilfingerus loquitur, in actu exercito, principium rationis sufficientis non absolute necessarium esse, facile intelligas.

§. 38. *Principium rationis sufficientis est universale.*

Demonstr. Si principium rationis sufficientis est absolute necessarium, consequens est, ut idem quoque sit universale. Atqui vero principium rat. suff. est absolute necessarium, (§. 37.) E. idem quoque erit universale. Si enim non esset universale, casus darentur, in quibus ratio sufficiens nulla es-

esset: Si vero casus darentur in quibus ratio sufficiens nulla esset, tunc hæc propositio: *Non omne, quod est, habet rationem sufficientem*, esset vera & possibilis. Hæc propositio: *Non omne, quod est, habet rationem sufficientem*, est huic propositioni opposita: *Omne, quicquid est, habet rationem suff.* E. Si darentur casus, in quibus nulla adesset ratio suff. principium rationis suff. esset contingens. (*per def. conting.*) Cum vero demonstratum sit illud esse absolute necessarium, (§. 37.) intelligitur, idem quoque esse universale.

SCHOL. Sunt, qui quidem rationem suff. debere habere locum in corporibus, concedunt, at quod principio ratione sufficientis etiam in spiritibus semper locus sit, id vero negant & pernegant. Ex demonstratis autem patet, nullam mutationem, neque in corporibus, neque in spiritibus, contingere posse sine ratione sufficienti. Alia vero ratio sufficiens est in corporibus, alia in spiritibus. In corporibus ratio sufficiens est *tradens*, *necessitans*, *pellens &c.* In spiritibus vero ratio suff. est *suaviter inclinans*, *moraliter suadens*, *alliciens*, *invitans &c.*

SCHOL. Universalitati principii rationis suff. opponunt nonnulli ipsam experientiam, ex qua quippe constet, dari complura, & evenire multas mutationes, cum in homine, tum extra hominem, quæ omni ratione sufficienti sunt destitutæ. At, si quid hic ex experientia præsidii peti potest, id tantummodo ex ea constare, arbitror, quod in pluribus rebus nullam videamus rationem sufficientem. Numquam vero casus ex experientia poterit adduci, in quo omnis ratio suff. plane exulet, & in quo demonstrare poteris, nullam rationem adesse.

SCHOL. Universalitati denique rationis suff. obstare, nonnulli existimant, ipsum Wolfii assertum, quippe qui §. 142. *Metaphysic. Germ.* contendat, in somnio omnia esse sine ratione suffi-

 cien-

cienti. Sed Wolfius hic recte intelligendus est. Sumit Wolfius *somnium* hic *objective* i. e. pro iis rebus, quas somniamus, quas, negat Wolfius; principio rationis sufficientis conformiter existere. Non enim sunt illa phantasmata actu existentia, non datur in illis nexus, nulla itaque ratio suff. potest habere in iis locum. Somnium autem, subjective consideratum, pro operatione scilicet imaginationis, habet omnino rationem sufficientem, qua ex lege imaginationis derivari debet. Sed de his plura in recitationibus, in quibus objectiones, contra principium rationis sufficientis formatas, quantum satis est, confutabimus.

§. 39. *Ex his satis patescit, omne, quicquid est, esse in se conceptibile.*

Demonstr. Quicquid est, debet habere rationem sufficientem; (§. 32.) quicquid habet rationem sufficientem, illud habet quid, ex quo existentia possit concipi: (§. 31.) E. quicquid est, ex aliquo, qua existentiam suam, concipi debet & potest: E. quicquid est, est in se conceptibile.

NOT. Sed studio & data opera dico, est *in se* conceptibile. Licet enim nos complura nec concipiamus distincte, nec ob arctos intellectus humani limites concipere possimus, *in se* tamen omnia, quia gaudent ratione sufficiente, sunt conceptibilia. Ex quo intelligitur, id, quod ratione sufficiente destituitur, esse in se conceptibile. Nihil igitur in se inconceptibile esse, ex his potest manifestum fieri.

§. 40. Cæterum adhuc observes, principium rationis sufficientis mirifice se commendare ob egregium usum in omnibus eruditionis partibus.

SCHOL. Nulla omnino philosophiæ pars est, nullaque prorsus disciplina, in qua non positiones occurrant, ex rationis sufficientis principio demonstrandæ. In ontologia principium indiscernibilium ex hoc principio demonstratur, item universa doctrina de ente simplici sæpenumero requirit,

ut

ut ad principium rationis sufficientis confugiatur.. In cosmologicis perutilis illa de nexu doctrina sine Rat. suff. principio intelligi non potest. In psychologicis principium Rat. suff. utramque facit paginam, cum nec lex imaginationis, nec appetitus aversationisque natura, nec alia denique absque hoc principio perspici queant. In theologia vero naturali, dici non potest; quanti sit usus principium Ration. sufficientis. Tolle principium hoc, & reperies, existentiam Dei, eo sublato, demonstrari non posse. Agnoverunt hoc Leibnitius, Reinbeckius, Carpovius, qui in dissertat. de principio rat. suff. dilucide demonstravit, omnia argumenta; quæ pro existentia Dei ab eruditissimis viris adferri solent, hoc principio niti. Conf. §. 17. Providentiam quoque & sapientiam Dei, nescio, quomodo adstruere queas, si sustuleris ex mundo principium rationis sufficientis. Equa enim ratione fortuitum atomorum concursum, ex quo, totum mundum forte fortuna coaluisse, putant nonnulli, destrues, si negaveris principium rationis sufficientis? In moralibus quantæ sit utilitatis principium Rat. suff. vel hoc unicum commonstrare poterat, quod sublato hoc principio, nescias; quid vera libertas, quæ tamen in moralibus, vel maxime consideranda est. Alia, brevitatis caussa, taceo:

SCHOL. Quantæ vero utilitatis hoc principium est in universa omnino philosophia, tanti quoque usus idem esse comperimus, in superioribus & altioris indaginis disciplinis. In Theologia tolle principium rationis sufficientis, quomodo destrues absolutum Calvinianorum decretum? Tolle principium rationis sufficientis, quid obstat tunc, quo minus Scripturam sacram, prout libuerit, interpreter; & quidvis ex quovis eruam? A proprietate vero, iniquis, literæ sine urgente necessitate, (i. e. *sine ratione sufficienti*) recedendum non est. En? usum & necessitatem principii Rat. suff. *Leib-*

nitius in Epist. V. Clarkium observat priccipio rat. suff. sublato, præscientiam Dei contra Socinianos non posse asseri. De quo suo loco, *Cl. Canzius in usu philosophiæ Leibnitianæ & VVolfianæ in Theolog. Tom. I. pag.* 169. solide impugnat auctoritatem Pontificis Romani, idque principio rationis sufficientis in subsidium adhibito. Plures usus hujus principii in Theologia allegabo coram. In jurisprudentia vel ideo principio nostro denegari non posse usum, patet, quia in foro omnia secundum acta & probata aguntur, i. e. principio rationis sufficientis conformiter. Tolle autem principium rat. suff. quid impedit, quo minus judex reum sine ratione absolvat, & innocentem damnet? Conf. interim de hoc principio, præter *Strabelerum in commentat. de sensu, & usu principii rat. suff. Halæ ed.* 1727. *& Carpou. in dissertat. de principio Rat. suff. Jenæ hab.* 1725. *Bilfingerus in diluc. philosophicis* §. 67. *seqq. item in dissertat. de Axiomat. Philosophicis, Tubing.* 1726. *hab. Hagmajer. in dissertat. de princip. rat. sufficient.* 1723. *Tubing. habit.* & denique *Ludovici in disserat. de veris & falsis cognitionis humanæ principiis, Lips.* 1721. *habit.*

CAPUT III.

De Possibili & Impossibili.

§. 41.

Explicatis hactenus generalioribus omnis cognitionis humanæ principiis, *principio scil. contradictionis*, (Cap. I.) *& principio rationis sufficientis*, (Cap. II.) nunc ad communissimas notiones, in quibus enodandis Ontologia versatur, explicandas accedemus. Cum vero in eo omnia omnino conveniant, quod sint possibilia, & ultra possibilitatem rei in abstrahendo ascendere non liceat, ab

ab eo, quod est possibile, merito ordimur maxime, cum, quæ de ente dicentur in sequentibus intelligi nequeant, nisi ante notionem, τῶ possibilis, & impossibilis rite evolverimus.

§. 42. Cum fieri non possit, sive impossibile sit, ut idem simul sit, & non sit, vel idem affirmetur de eodem, & negetur, (§. 21.) simultanea autem ejusdem rei affirmatio, & negatio constituat contradictionem, (§. 21.) *impossibile* recte definiemus per id, quod involvit contradictionem.

EXEMPL. E. gr. *Deus dependens* est impossibile, quia duo hi conceptus, quos conjungis, ejusmodi sunt, ut alterum alter tollat, manifestaque adeo adsit contradictio.

§. 43. Ex quo intelligitur, nihil esse pro impossibili habendum ante quam contradictio fuerit demonstrata.

§. 44. *Possibile* dicimus id omne, quod contradictione caret, sive, quod idem est, *possibile* est id, quod nullam involvit repugnantiam.

NOT. Vox *possibilis* duplici potissimum sensu sumitur. (α) Τὸ *possibile* denotat id, quod quidem existere potest, quamvis non actu existat. Atque hoc est τῶ *stricte possibile*, quod opponimus τῶ actuali, sive ei, quod revera & actu existit. (β) Τὸ *possibile* latius paulo sumitur, & significat tum omne id, quod actu & revera existit; tum id quoque, quod non quidem existit, interim tamen existere potest. Quo sensu opponitur illi, quod est impossibile.

NOT. Ut vero definitio τῶ *possibilis* plenius intelligatur, ex antecedentibus repetendum, quid sit *contradictio*, quam §. 20. ejusmodi orationem esse diximus, in qua de una eademque re idem affirmatur, & negatur. Si itaque *possibile* diximus esse illud, quod nullam involvit contradictionem, hoc ipso possibile ejusmodi quid esse, affirmavimus, in cujus ideam non ingrediuntur duo aut plura, quorum alterum ait, negat alterum eodem modo.

 e, gr.

e. gr. Homo eruditus est possibile quid, non enim contradicit idea *hominis* ideæ *eruditi*, nec conceptus *eruditi* tollit conceptum *hominis*.

SCHOL. Equidem offendere poterat nonnullos definitio τὸ *possibilis*, propterea, quod negativa est. At ex Logicis constat, definitiones negativas tolerari posse, sicubi unus terminorum immediate & contradictorie oppositorum definiri debeat. Quod num hic locum habeat, commonstrabo in recitationibus ipsis. Conf. interim Log. §. 171. Si vero definire negative nolueris τὸ *possibile*, cum Bilfingero affirmative ita definias: *possibile* est, cui præstando vires alicujus caussæ existentis sufficiunt. De qua definitione *vid. Bilfing. tr. de Orig. mali. p.* 78.

§. 45. Expositis distincte notionibus possibilitatis & impossibilitatis, id nunc agemus, ut diversas τὸ *possibilis & impossibilis*, species percenseamus. Nisi enim hæ differentiæ, quæ in doctrina de possibilibus occurrunt, rite fuerint evolutæ, dici vix potest, quam parum proficiatur in decidendis controversiis philosophicis, quæ, tum in cosmologia, tum in theologia naturali, recentiori ætate, motæ sunt.

§. 46. Si quid ita est comparatum, ut in se & sua natura involvat contradictionem, tunc dicitur *absolute impossibile*. Si quid vero sub certis quibusdam conditionibus & circumstantiis involvit contradictionem, tunc dicimus illud *hypothetice impossibile*.

EXEMPL. E. gr. Circulum esse quadratum, est absolute impossibile, cum τὸ *quadratum esse* naturæ circuli prorsus repugnet, nec per absolutam quidem Dei potentiam fieri possit, ut circulus unquam sit quadratus. *Hypothetice* vero *impossibile* est, ut, sole radios suos per fenestram transmittente, tenebræ maneant in conclavi. Non quidem in se, & sua natura involvit contradictionem, conclave esse tenebricosum, involvit tamen contradictionem,

po-

posita scilicet hac conditione, si sol radios suos per fenestram transmiserit.

§. 47. *Moraliter impossibile* dicitur illud, quod quidem non in se contradictionem involvit, infert tamen repugnantiam in hoc illove subjecto, ob intercedentes subjecti illius perfectiones morales.

EXEMPL. *E. gr. Deterius praeferre meliori*, non in se quidem involvit contradictionem, adeoque in se non est impossibile, at Deo tamen id est impossibile, ob ipsius sanctitatem & sapientiam. Tò *deterius* itaque *praeferre meliori*, repugnat sapientiae divinae & sanctitati, tanquam perfectionibus Dei moralibus, adeoque est *moraliter* impossibile. Hanc moralem impossibilitatem vocat Bilfingerus impossibilitatem *impropriam*; item *respectivam*. *Conf. ipsius dilucidat. philos.* §. *VII. seqq.* item ejus *tract. de origine mali* §. 136. *seqq.*

NOT. Accidit nonnunquam, ut id quoque impossibile vocemus, quod est difficile, item, quod est interdictum & illicitum. De quo plura in praelectionibus.

§. 48. In dijudicanda alicujus rei possibilitate attendendum (α) ad rem ipsam ejusque naturam intrinsecam, (β) ad vires caussae efficientis. Quod est ejusmodi, ut in intrinseca sua natura non inferat repugnantiam, id dicimus *intrinsecus possibile*. Quod vero simul est ejusmodi, ut non modo in intrinseca sua natura nullam involvat contradictionem, sed quoque rebus externis, caussae scilicet efficientis viribus, temporibus, tempori, loco, non repugnet, id dicimus *extrinsecus possibile*. Unde orta distinctio philosophorum inter possibilitatem rei *intrinsecam & extrinsecam*.

EXEMPL. Sic e. gr. cera, quia nihil habet, quod impediat, quo minus liquefieri possit, intrinsecus possibile est, ceram liquefieri. Miracula item habent *intrinsecam possibilitatem*, quia leges motus in intrinseca sua natura ita sunt comparatae, ut possint suspendi. Quia praeterea liquefactio cerae

non repugnat caussæ efficientis externæ viribus, sed potius ex calore ignis intelligi potest, quare liquefieri cera possit, extrinsecus quoque possibile esse dicimus, ut cera liquefiat. Si demonstrasti, dari ens, quod leges motus suspendere possit, demonstrasti miraculorum possibilitatem extrinsecam.

§. 49. His notionibus legitime determinatis, nunc positiones quasdam, de possibilitate & impossibilitate, subnectendas putamus.

COROL. I. Ex his intelligis, id; quod est absolute, & in sua natura impossibile, non fieri posse possibile (*per princip. contradict.* §. 22. explicatum.)

COROL. II. Manifestum ex his est, id, quod hypothetice impossibile est, posse esse in se, & sua natura possibile.

EXEMPL. E. gr. hypothetice impossibile est, ut Cajus, si usque ad finem vitæ in malitia & mentis obstinatione perseveraverit, salvetur. Non tamen in se, & sua natura impossibile est.

COROL. III. Possibilitas externa nunquam potest esse sine possibilitate interna. Si enim extrinsecus quid esset impossibile, quod tamen in sua natura & absolute esset impossibile, tunc caussa aliqua efficiens externa daretur, cujus vires sufficerent ad producendum id, & ad possibile adeo reddendum id, quod in se, & sua natura esse impossibile, (quod est contra pos. 1.)

COROL. IV. Interna vero possibilitas potest esse sine externa.

EXEMPL. Ut hæc intelligantur facilius, exemplum perquam perspicuum adferre lubet. Ponas e. gr. te demonstrasse, daris ens, quod possit motus leges suspendere, atque adeo patrare miraculo, tunc demonstrasti miraculorum possibilitatem extrinsecam. Fac vero, suspensionem legum motus miracula in se esse impossibilia, tunc ob intrinsecam impossibilitatem nulla quoque locum habere potest possibilitas extrinseca, quia nullum ens, licet

cet ſit infinitum, datur quod poſſit contradictoria, & intrinſecus impoſſibilia proferre.

SCHOL. Vides hinc, quam præpoſtera methodo utantur nonnulli noſtræ ætatis philoſophi, cum æternitatem mundi poſſibilem demonſtrare volunt. Poſſibilitatem extrinſecam prius probant, confugientes ad potentiam Dei, qua ipſe mundum ab æterno producere potuiſſet, non de eo ſoliciti, num creatio mundi ab æterno intrinſece ſit poſſibilis. Cum vero demonſtrari poſſit, intrinſece æternitatem mundi eſſe impoſſibilem, (quia ab æterno eſſe, & tamen creari, ſibi repugnant) eo ipſo etiam externa poſſibilitas remota eſt, quia, vi poſ. III. externa poſſibilitas ſive intrinſeca eſſe non poteſt.

NOT. Quod vero interna poſſibilitas poſſit eſſe ſine externa, facile comprobari poteſt exemplo circuli. Quamvis enim nunquam circulus exſtitiſſet, quamvis etiam nulla cauſſa externa foret, quæ circulum produceret, aut producere poſſet, manet tamen circulus intrinſece poſſibilis, quia in interna ſua natura nullam involvit repugnantiam.

SCHOL. Ex his denique intelliguntur & explicari poſſunt Theologorum locutiones: *Impoſſibile, ut nulla ſcandala veniant*; *Impoſſibile eſt, ut regenitus ſtudio & data opera peccet*, item; *Impoſſibile eſt, ut, qui ſemel illuminati ſunt, & in priſtina peccata relabuntur, denuo converti queant*; *Hebr. VI.* 4. Duæ priores poſitiones loquuntur de impoſſibiliate hypothetica, poſterior & ultima de difficultate. Impoſſibile enim ſæpius pro difficili ſumi, jam ſubmonuimus §. 47.

CA-

CAPUT IV.

De existentia.

§. 50.

CUM ad *τὸ possibile* nihil aliud requiratur, quam ut nulla interna adsit repugnantia & contradictio, (§. 44.) palam est, quidpiam posse esse possibile, quamvis non actu existat. Ad existentiam enim non sufficit sola non-repugnantia & mera contradictionis absentia, sed status ille, qui superaccedit possibilitati, quo id, quod possibile est, aptum est vel ad agendum, vel ad patiendum, constituit id quod dicimus *existentiam*.

Not. Notionem existentiæ hic ideo distincte explicandam putamus, ut, quæ de ente occurrunt dicenda, & rectius intelligantur.

§. 51. *Patet hinc, existentiam recte explicari per complementum possibilitatis.*

Demonstr. Cum enim id, quod possibile potest habere præter possibilitatem suam, dicamus *complementum possibilitatis*, possibile autem, præter possibilitatem suam, possit habere statum, quo possibile aptum est ad agendum, vel patiendum, consequens est, ut status ille, quo possibile aptum est ad agendum, vel patiendum quid, constituat complementum possibilitatis. Atqui vero status ille, qui superaccedit possibilitati, & quo possibile aptum est ad agendum; vel patiendum quid, est id, quod vocamus *existentiam* (§. 50.) E. existentiam recte vocari complementum possibilitatis, hinc evidens esse potest.

SCHOL. Existentia & actualitas sunt philosophis synonyma. Sunt, qui notionem *existentiæ* tam claram esse arbitrantur, ut definitione nulla indigeat. Veterum nonnulli *existentiam* per id definiebant, per quod aliquid est extra caussas suas, item

item, *existentia* est id per quod aliquid desinit esse intra caussas suas. *Hebenstreit. in philosoph. prima* definit existentiam ita; existentia est, qua res actu, & nemine cogitante, in hac rerum universitate præsens est, ac existit. *Conf. philos. prima p.* 150. *VVolfius in Ontologia Latina p.* 143. *existentiam* definit per complementum possibilitatis. *Bilfingerus autem in dilucidat. philos.* §. 270. *existentiam* explicat per illum essentiæ statum, quo apta est ad agendum vel patiendum. Quas duas definitiones facile posse conciliari, ex dictis perspicuum est. Plura de existentiæ definitione coram.

§. 52. *Quicquid existit, debet quoque esse possibile.*

Demonstr. Cum enim existentia sit complementum possibilitatis, (§. 51.) consequens est, ut existentia sua notione includat possibilitatem. Ut adeo recte contendamus, quicquid existit, debere quoque posse existere, sive esse possibile.

Ponamus, id, quod existit, non esse possibile, consequens est, ut debeat esse impossibile. Quia, quod non est possibile, (voce hac latius sumta) debet esse impossibile. Si vero id, quod existit, est impossibile, consequens est, ut id existat, quod involvit contradictionem, sive quod non potest existere. (§. 42.) Cum vero hoc sit contra princ. contradictionis, (§. 22.) liquet, id, quod existit, debere esse possibile.

SCHOL. Si res incipit existere, tunc exspirat quidem *possibilitas stricte sic dicta* (vocem scil. *possibilis* hic oppono τῷ actuali) manet tamen illa res, quæ existit, etiam tum, cum existit, possibilis, (voce *possibilis* ita sumta, ut opponatur *impossibili*.) Rem illustrabo exemplo. Ante, quam mundus existebat actu, erat possibilis, i. e. poterat existere, quamvis non actu existeret. Vides hic, τὸ *possibile* actuali contradistingui, quæ possibilitas nunc; cum mundus existat revera, exspiravit. Sed

Sed manet tamen altero sensu mundus, quamvis actu existat, etiam possibilis. Scilicet, cum mundus hic existens non involvat contradictionem, &, dum existit, possit etiam existere, verum est, mundum, dum existit esse quoque possibilem. Alias illum, si hæc negaveris, necesse est, appelles impossibilem.

SCHOL. Veteres, id ipsum ita enunciabant: *Ab esse ad posse valet consequentia.* Si mensa est quadrata, potest quoque esse quadrata, si Cajus est eruditus, potest quoque esse eruditus.

§. 53. Per immediatam consequentiam hinc eruitur hoc, quod, posita existentia, necessario quoque ponatur possibilitas. Atque hinc simul patet modus cognoscendi a posteriori, quænam sint possibilia.

§. 54. *Quod possibile est, id non ideo existit.*

Demonstr. Cum enim ad possibilitatem, qua talem, nihil aliud requiratur, quam mera contradictionis absentia, (§. 44.) plura autem ad existentiam requirantur, quam sola non repugnantia, sive contradictionis absentia, (§. 50.) perspicuum est, id, quod possibile est, non ideo statim existere, quia possibile est.

SCHOL. Veteres hanc positionem ita enunciabant: *A posse ad esse non valet consequentia.* Cujus propositionis veritas ipsa corroboratur experientia, qua edocti novimus, non ideo mensam statim esse rotundam, quia possibile est, ut sit rotunda. Notandum tamen hic est, assertum hoc unice in rebus contingentibus, creatis, & finitis, locum habere. Ad ens enim perfectissimum & necessarium quod attinet, scias, ejus existentiam per ipsam ejus possibilitatem determinari, & possibilitatem entis perfectissimi esse rationem sufficientem actualitatis & existentiæ entis perfectissimi, ita quidem ut, si possibilitatem entis perfectissimi probasti, eo ipso jam existentiam ejusdem demonstraveris. Sed plura de his in Theologia naturali. Ex propositione

positionibus adstructis intelliguntur quoque hæ positiones.

§. 55. I. Quod impossibile est, id quoque non potest ad existentiam pervenire. Veteres ita: *A non posse ad non esse valet consequentia*.

II. Quod non existit, ideo non est habendum pro impossibili, sive veterum ut verbis utar, *A non esse ad non posse non valet consequentia*.

CAPUT V.

De notione entis, & non entis.

§. 65.

ENs definimus per id, quod est possibile, sive, ut VVolfii verbis utar, *ens* est, quod existere potest, consequenter, cui existentia non repugnat, *Vid. VVolfii Ontologia Latin.* §. 134.

SCHOL. Ita ens definiendum putamus, ut definitio ad omnes species entis possit applicari. Sunt quidem, qui per ens id tantum intelligunt, quod revera & actu existit, licet nemo de eo cogitet. Sed ideo, hac entis descriptione, paulo angustiori, missa, vocem *entis* latius sumimus, ut ita sub definitione nostra & *ens actuale*, quod vocant, & *ens potentiale* comprehendatur.

§. 57. Cum id, quod possibile est, revera, & actu existit, tunc dicitur *ens actuale*, sive *ens actu*. Cum vero quod non existit, existere tamen potest, dicitur *ens in potentia*, sive *potentiale*.

SCHOL. Ens actuale veteres vocabant *ens participale*; ens vero potentiale appellabant *ens nominale*. Cur vero ita nominaverint ens actuale & potentiale, rationem reddam in ipsis prælectionibus, sive participalia, existunt enim actu & revera. E. gr. *hic mundus*, *Deus*, *sol*, sunt entia actualia, Judicium vero JESU extremum, quo rationem factorum ab hominum quovis exiget, est *ens potentiale*

tiale & nominale: Si vero ens potentiale, sive *ens in potentia*, recte consideraveris, tunc reperies; aliud ens esse *in potentia proxima*, aliud in *remota*. De quo plura coram.

§. 58. *Ens rationis* dicitur, quod quidem non revera existit, interim tamen existere fingitur; sive, ens rationis est, quod non existit; nisi in mentis fictione. E. gr. regnum chiliasticum Fanaticorum est ens rationis & suave somnium.

SCHOL. Veteres ens rationis distinguebant in *ens rationis ratiocinantis*, & *ens rationis ratiocinatæ*. Hoc definiebant scholastici; quicquid quidem fingitur; sed cum fundamento in re; illud autem dicebant id; quicquid sine omni fundamento in re ipsa fingitur. Fundamentum hujus distinctionis hoc est. Deprehendimus scilicet per experientiam; cum res singulares, sive individua; inter se conferimus, tunc ex comparatione hac plurium individuorum nos pervenire ad notiones abstractas; specierum scilicet & generum. Quicquid vero notione specierum & generum continetur, illud non existit seorsum; ita; uti nos nobis concipimus, sed tantum existit in individuis. E. gr. Homo; quatenus, ut species; consideratur, non existit seorsum, ut species; sed tantum abstrahitur hæc notio ab individuis. (Conf. Log. §. 104.) Rerum itaque existentium conceptus; a rebus singularibus abstracti; genera scilicet & species, referebantur a veteribus inter entia rationis ratiocinatæ. Si quid vero fingebatur, sine ratione; in objecto deprehensa, id appellabatur *ens rationis racionantis*: E. gr. regnum chiliasticum Fanaticorum.

SCHOL. VVolfius *ens fictum* appellat id, cui existentiam non repugnare sumimus; ut revera idem repugnet; *Ens* autem *imaginarium* appellat, quod notione imaginaria continetur. *Notionem autem imaginariam* vocat, qua ob quandam similitudinem fingitur, quod non est, ut per imaginem quandam veluti oculis præsens sistere queamus; quod

quod in eos non incurrit. *Conf. Ontolog. Lat.* §. 140. & 141. E. gr. si concipis memoriam tibi, ut idearum receptaculum, tunc notio memoriæ est imaginaria, & receptaculum idearum in anima est ens imaginarium. Respublica Platonica est ens fictum, quia sumimus, existentiam ejusmodi reipublicæ non repugnare, licet revera repugnet.

§. 59. Enti rationis, ficto imaginario, opponimus *ens reale*, quod non per fictionem mentis existit, sed existit actu & revera, licet de ejus existentia nemo cogitet.

§. 60. *Ens positivum* VVolfius vocat, quod est aliquid. *Aliquid* autem dicitur id omne, cui notio respondet.

EXEMPL. E. gr. Mensa est *res*, est ens positivum, quia cum voce mensæ cogitari quid potest, & determinata notio conjungi.

§. 61. Enti positivo opponitur *privativum*, quod vocamus defectum realitatis, instar entis considératum.

EXEMPL. E. gr. Cœcitas consistit in puro, puto, defectu realitatis, qui tamen defectus realitatis cum sæpius a nobis instar entis consideretur, fit, ut cœcitatem ens aliquod privativum nominemus. *Privatio* enim nihil est aliud, quam defectus alicujus realitatis. E. gr. ignorantia est privatio; quia, ubi adest ignorantia, ibi absunt realitates, quæ adesse poterant.

SCHOL. Veteribus erat *privatio* absentia veræ, & realis existentiæ ex *subjecto capaci*. Quam quidem privationem distinguebant a pura negatione, quam esse dicebant absentiam veræ, ac realis existentiæ ex *subjecto incapaci*, e gr. Absentia imaginis divinæ in homine est privatio; homo enim est subjectum capax imaginis divinæ, & gauderet profecto ea, nisi per lapsum deperdita esset. Absentia autem visus vel auditus in lapide est pura negatio, quia lapis non est subjectum capax auditus vel visus.

SCHOL.

SCHOL. *Privationem* porro veteres ab *ente privativo* distingui volebant. De quo conf. Hebenstreit, Philos. prim. p. 100.

SCHOL. Quid sit ens privativo-positivum, definiam in ipsis lectionibus, occasione quæstionis, a Theologis identidem in medium prolatæ: *Num peccatum in genere, sed speciatim peccatum originis, sit aliquod reale ac positivum*? Peccatum *abstracte*, & *formaliter* sumtum, pro carentia scil., & absentia imaginis divinæ, est mera privatio; *concretive* vero, sive in subjecto peccante, spectatum, infert quoque positivi quid. Includit enim in suo conceptu nonnunquam habitum, dispositionem & inclinationem, nonnunquam etiam actum positivum. Unde est, ut Theologorum nonnulli peccatum dicant ens privativo-positivum. De quo plura adferam coram in eorum gratiam, qui rebus sacris operantur.

NOT. De privatione has potissimum regulas inculcasse veteres, scimus. (α) *A privatione* (totali) *ad habitum* (eundem numero) *non datur regressus* (naturaliter.) (β) *Omnis privatio supponit habitum*, (vel de facto, vel de jure.) Quæ scholasticorum dicteria ne omnino nesciantus, in recitationibus exponam sufficienter.

§. 62. Quemadmodum ens, generatim spectatum, id esse diximus, quod est possibile, sive existat, sive minus: (§. 56.) ita intelligitur, non-ens nihil aliud esse, quam quod est impossibile, adeoque contradictionem involvit, sive, quod nec est, nec esse potest.

SCHOL. Non-ens & *nihilum negativum* sunt nobis synonyma. Nihilum autem negativum est, quod esse nequit. Quod nihilum negativum distingui volumus a *nihilo privativo*, per quod nihil aliud intelligitur, quam ejusmodi quid, quod quidem non est, interim tamen esse potest. E. gr. lignum ferreum est nihilum negativum, quia lignum ferreum nec est, nec esse potest. Sparta autem futura

tura Titii est nihilum privativum, quia quidem nondum Sparta futura existit, existere tamen potest. Ut adeo, secundum has explicationes nihilum privativum, & ens in potentia, tanquam synonyma considerari possint (§. 57.). *Nihilum* Wolfius definit ita: *Nihilum*, inquit, *dicimus, cui nulla respondet notio*. Conf. Ontol. Lat. §. 57. Paulo aliter vocem *nihil* determinari novimus, cum a Theologis in articulo de creatione asseritur, opera primi diei esse creata ex nihilo negativo. Per nihilum negativum non intelligunt impossibile, & contradictorium, sed id, quod plane non existit, quamvis existere possit. Opera reliquorum dierum, ajunt, esse producta *ex nihilo privativo*. Producta enim sunt, ex operibus primi diei, sed indispositis, & indigestis. Materiam itaque indispositam, respectu operum, quae ex ea provenerunt, pro nihilo haberi volunt. Quod nihilum est theologis nihilum privativum.

SCHOL. Ad non-ens a veterum nonnullis referri quoque, constat, *ens per accidens*, quod consistit in aggregatione plurium entium, quæ nullum in unione sua servant ordinem. Quapropter ens per accidens vocabant quoque veteres *ens per aggregationem*. Tale *ens per aggregationem* est e. gr. acervus lapidum, vel frumenti &c. Ens autem per accidens ideo referebant ad non-ens, quia ens per accidens involvit plura, adeoque hoc respectu non est ens, sed entia. Quicquid autem non est ens, inquiunt Metaphysici veteres, illud est non-ens. Conf. *Velthemii metaphys. p. 62. seqq. & Hebenstreit. philosophia prima p.* 113.

NOT. Cæterum observa hic regulas, quæ circa non-ens tradi solent, & jam dudum omnium ore tritæ sunt. α) *Non-entis nulla sunt prædicata*. β) *Non-entis nulla est scientia*. Quæ explicabimus, & confirmabimus, quantum satis est, in scholis nostris, ita tamen, ut limitationem, quibus

hæc dicteria veterum ſcholaſticorum reſtringi debent, neutiquam ſumus obliturі.

§. 63. *Fieri non poteſt, ut non-ens fiat ens.*

Demonſtr. Ponamus, fieri, poſſe, ut non-ens fiat ens, tunc, quod impoſſibile eſt, debebit fieri poſſibile. Non-ens enim eſt id, quod eſt impoſſibile (§. 62.), & ens eſt id, quod eſt poſſibile (§. 56.). Quod cum adverſetur principio contradictionis (§. 22.) facile intelligis, fieri non poſſe, ut non ens fiat ens.

CAPUT VI.

De eſſentia.

§. 64.

Quid ſit poſſibile, quid ſit exiſtentia, quid ſibi velit ens, itemque non-ens, hactenus perſpeximus. Nunc jam, ex ordinis lege, pervenimus ad doctrinam de eſſentia diſtinctius explanandam. Ut vero, in quo eſſentia rei alicujus conſiſtat, cuivis perſpicuum ſit, ad ſequentia potiſſimum volo attendi.

§. 65. Omnes res, quas perſpicimus ſenſibus, animadvertimus, in eo convenire, quod exiſtant. Sed unumquodque tamen, obſervamus, continere in ſe quid, quo ab aliis rebus ſimul exiſtentibus internoſcatur, quodque efficiat, ut ad aliquam entium claſſem ſpecialiorem referatur.

EXEMPL: Sic e. gr. novimus, Deum exiſtere, novimus quoque, exiſtere mundum, item menſam, librum, hominem, exiſtere, non ignoramus. In eo itaque conveniunt quidem Deus, mundus, homo, menſa, liber, &c. quod exiſtant; attamen debet quid eſſe, quod Deum, mundum, librum, hominem, menſam, a ſe invicem internoſcat, debet quid adeſſe, quod efficiat, ut Deum ab homine,

mine, & hominem a Deo, &c. discernam, quodque adeo singula illa individua, quæ dicimus homines, ad certam classem redigat. Cum enim nihil sit sine ratione sufficiente; (§. 32.) debet quoque ratio adesse sufficiens, cur librum non habeam pro mensa; & cur mensam non appellitem hominem, & sic porro.

§. 66. Cum itaque aliquid in qualibet re adesse debeat, quod efficiat, ut alterum ab altero internoscam, quodque unumquodque ad suam classem referat, (§. 65.) nunc facile intelliges, quid sit essentia: Scilicet cujusvis rei *essentia* est id, per quod res præcise hæc res est, & non alia, sive per quod res ab omnibus aliis rebus, simul existentibus, potest internosci.

EXEMPL. E. gr. Considera hominem, ut hominem. Homo habet hoc commune cum innumeris aliis rebus, quod existat. Sed per hoc homo præcise est *homo*, quod sit rationalis; & per hoc homo ab omnibus aliis rebus, cum quibus aliis optime convenit, accurate discernitur. Rationalitas itaque est essentia hominis. Considera creaturam ut *creaturam*. Per hoc præcise creatura est creatura; quod sit limitata, & per limitationem creatura a creatore internoscitur; ut adeo, limitationem constituere essentiam creaturæ, non difficulter intelligas. Considera denique *invidum*, ut invidum. *Invidus* per hoc præcise est invidus, quod aliorum ob felicitatem doleat, ut adeo essentiam *invidiæ* absolvi videas dolore ob aliorum felicitatem. Essentia rei, sive id, (ut verbis scholasticorum utar,) per quod res est id, quod est, dicitur alias *natura rei*, *ratio formalis*, *item forma*, & *quidditas*, quia per essentiam declaratur, non quod res sit, *quid* res sit.

SCHOL. Verum definitio essentiæ cum recentiorum definitione optime convenit. Ita vero illi: *Essentia* est id, quod primo in re concipitur, & per quod res ab omnibus aliis rebus distinguitur:

Huic definitioni perquam similis est *Wolfiana*; Wolfius enim in *Ontolog. Lat. p.* 137. §. 168. *essentiam* definit per id, quod primum de ente concipitur, & in quo ratio continetur sufficiens, cur cætera, vel actu insint, vel inesse possint. Ea autem, quibus essentia constat, dicuntur *essentialia*.

§. 67. *Ex his intelligi potest, entis, qua ens est, essentiam esse possibilitatem ejus intrinsecam.*

Demonstr. Cum ens generatim & abstracte spectatum, per hoc præcise sit ens, quod sit possibile (§. 56.) & per possibilitatem a non-ente distinguatur (§. 62.) id autem, per quod res aliqua præcise hæc res est, & non alia, & per quod ab aliis rebus distinguitur, dicatur rei *essentia* (§. 66.) evidens est, possibilitatem entis intrinsecam absolvere ejusdem essentiam.

Poterat hoc theorema ita quoque demonstrari. Cum essentia sit id, quod primum in re concipitur (§. 66. not. 2.) nihil autem prius in ente, qua ens est, concipi possit, quam ejusdem possibilitas, (ultra possibilitatem enim cogitando progredi non possumus, id quod per se patet,) palam est, entis, generatim spectati, essentiam absolvi possibilitate intrinseca.

NOT. Hanc propositionem, scio, impugnatam recentius a nonnullis, ab aliis vero defensam esse. At, quisquis demum fueris, neges, per me licet, hanc positionem. Dic ergo, in quonam essentiam entis in genere constitues? Num in existentia? Sed ita existentiam, & essentiam non discernis. Quæ tamen a se invicem discerni debent. Ergo, cum præter existentiam & possibilitatem, in ente quatenus ens est, cogitare & discernere nil possimus, relinquitur, ut, essentiam entis in possibilitate ejusdem consistere, ajamus.

NOT. Quemadmodum vero entis, generatim spectati, essentia possibilitas ejusdem intrinseca est, ita speciatim rei ejusdem essentiam intelligere qui cen-

censendus est, si modum, quo quæque res fieri potest, perspicit. E. gr. creatura per *limitationem* non nisi possibilis est, homo item alio modo ad existentiam pervenire non potest, quam per rationalitatem. Limitatio itaque & rationalitas sunt creaturæ & hominis essentia.

§. 68. *Hinc perspicuum est, quodlibet ens sua gaudere essentia.*

Demonstr. Ponas enim, dari ens, quod careat sua essentia, ergo dabitur ens, quod destituatur eo, per quod ens est ens, quodque adeo careat possibititate interna (§. 67.). Ens vero, quod caret possibilitate interna, est ens, & non ens. Ens est, (*per hypothesim*) non est ens, quia caret possibilitate (§. 62.) Cum vero impossibile sit, ut aliquid simul sit ens & non ens (§. 22.) intelligitur, impossibile quoque esse, ut aliquid sit ens, & tamen sua careat essentia. Quodlibet ergo entium, sua gaudeat essentia, necesse est.

SCHOL. Potest vero unum idemque ens diversis sub respectibus considerari. Qui diversi respectus quoque essentiam diversam in uno eodemque ente inferunt. Sumas e. gr. *hominem*. Poteris ipsum considerare, ut animal, quo respectu peculiarem habet essentiam: poteris ipsum considerare ut hominem, qua ratione aliam rursus habet essentiam. Poteris porro ipsum tibi repræsentare, ut *creaturam*, & sic nova adsit essentia, necesse est: poteris denique ipsum tibi sistere, ut *ens*, quo respectu non eam habet essentiam, quam habet ut homo, ut animal, ut creatura, &c. Hæc vel ideo monenda hic putavi, quia complures, artis abstrahendi & discernendi quæque insueti, confundunt non confundenda. Sic, cum Wolfium audiunt affirmare, quod entis essentia sit ejusdem possibilitas, oppido instant: Atqui vero homo est ens. E. hominis essentia est possibilitas: At fallacia compositionis est manifesta. Hominis, ut entis consi-

 de-

derati, essentia est quidem possibilitas intrinseca; at hominis, essentia est rationalitas. Homo enim non fit homo per possibilitatem, sed per rationalitatem.

§. 69. *Nullum ens potest essentia sua privari.*

Demonstr. Fac, ens aliquod essentia sua posse privari tunc privabitur possibilitate sua intrinseca (§. 67.) Atque ita ens cessabit esse possibile. Si vero ens cessat esse possibile, fiet impossibile. Quod cum fieri nequeat, (§. 22.) intelligitur, nullum ens posse privari sua essentia.

§. 70. *Ex dictis colligi potest essentiam entis posse esse sine entis existentia, quamvis existentia entis non possit esse sine ejusdem essentia.*

Demonstr. Cum enim possibilitas entis intrinseca entis essentiam constituat; (§. 67.) ens autem possit gaudere sua possibilitate, quamvis non existat, (a posse enim ad esse non valet consequentia) (§. 54.) manifestum est, entis essentiam posse esse sine ejusdem existentia.

THEOR. Quia vero nihil existere potest, nisi quod sit possibile (§. 52.) possibilitas autem cujusvis entis essentiam constituit (§. 67.) evidens rursus est, quod nullum ens existere possit sine ejusdem essentia.

NOT. Hoc theorema specialioribus exemplis illustrabo in scholiis.

§. 71. *Essentia entis est absolote necessaria.*

Demonstr. Si verum est, entis essentiam esse possibilitatem intrinsecam, consequens est, ut essentia entis sit absolute necessaria. Jam vero prius est (§. 67.) E. etiam posterius. *Connexio majoris propos.* facillime probatur. Cum enim possibilitas oppositum sit impossibilitas, intelligis, possibilitatis oppositum tum involvere contradictionem. (§. 42.) Cujuscumque vero oppositum involvit contradictionem, illud est absolute necessarium *per defin. necessar.*) E. possibilitas entis est absolu-

solu-

solute necessaria. E. si essentia entis absolvitur ejusdem possibilitate (§. 67.), essentia entis erit absolute necessaria,

NOT. Poteras hanc propositionem, verissimam profecto & multarum conclusionum feracissimam, ita quoque stabilire. Ens, dum est possibile, & quatenus est possibile necessario est possibile. Non enim potest simul esse impossibile, *per princ. contrad.* §. 52.) At fac, ens, dum est possibile, esse etiam impossibile, tunc non foret ens, (per defin. §. 56. traditam) si itaque entis possibilitas est necessaria, & possibilitas entis absolvit ejusdem essentiam (§. 76.) consequens est, ut essentiam entis sit necessaria.

EXEMPL. Clarius veritas hujus theseos perspicietur, si casu aliquo specialiori eandem illustraverimus. E. gr. Triangulum nullo alio modo possibile est, quam ut tribus lateribus constet. Essentiam itaque trianguli constituunt tria latera certo modo inter se combinata. Necessarium itaque est, ut omne triangulum tria habeat latera, sive, quod idem est, essentia trianguli est necessaria. *Creatura* nullo alio modo possibilis est, nisi per *limitationem*, adeoque limitatio est essentia creaturæ, & necessarium est, ut creatura semper sit limitata. Sed dicis: Triangulum poterat, si Deus ita voluisset, quatuor habere latera. *Resp.* Tunc non esset amplius triangulum, sed aliud quid. Porro excipis: Poteratne quoque creatura esse sine limitatione? Respondeo: Tunc non esset amplius creatura, sed ens illimitatum.

NOT. Caveas vero, a necessitate essentiarum ad necessitatem existentiæ cum *Vener. Langio in clara annot.* p. 12. & 39. concludas, ac cum eo statuas, ex necessitate essentiarum adstructa fatum Stoicum, & Spinozianum fluere. Non enim sequitur. Circulus, quando existere, debet, necessario debet existere per rotunditatem. E. existentia circuli est necessaria. Non sequitur, creatura necessario

sario per limitationem existit, & alio modo existere non potest. E. creatura necessario existit: Confutavit tamen semetipsum vir S. R. in *clara explicatione*. Recension. n. 117. ubi concedit ultro, quod essentia alicujus rei aliter esse non possit, quam uti est.

§. 72. *Consequitur hinc, essentiam tam entis in genere, quam rerum quarumvis, esse immutabilem:*

Demonstr. Cum enim essentia entis sit necessaria, (§. 71.) id autem, quod necessarium est, ejusmodi sit, ut oppositum ejus involvat contradictionem, (*per defin.*) sive, ut aliter esse non possit; consequens est, ut essentiæ rerum sint immutabiles. *Immutabile* enim dicitur illud, quod aliter esse non potest.

SCHOL. Ne Deus quidem easdem mutare potest. Non enim potest potentissimum Numen efficere, ut circulus sit circulus, & tamen simul quadratus; non potest efficere, ut creatura sit maneatque creatura, & tamen illimitata. Entia quidem, qua existentia, mutare potest, e. gr. aquam in vinum, manent tamen essentiæ rerum, in mera possibilitate consideratæ immutabiles. Eadem ratione potes circulum, in tabula pictum, in quadratum, vel triangulum commutare, essentia tamen circuli, generatim considerati, manet semper immutabilis.

§. 73. *Essentia entis est æterna.*

Demonst. Cum enim tempus nullum detur, quo cœperit ens esse possibile, nullumque tempus futurum sit, quo desinet ens esse possibile, alias aliquando id, quod nunc est possibile, fuisset impossibile, aut futurum in posterum esset impossibile, quod est contra princip. contradict. (§. 22.) facile intelligis, ens, qua possibilitatem suam, esse æternum. (*per def. ætern.*) Cum vero possibilitas entis essentiam constituat. (§.67.) exinde consequitur, entis essentiam esse æternam.

SCHOL. Non eo sensu accipi volumus hanc posi-

tio-

tionem, ac si res cum sui essentiis ab æterno extiterint, ut in æternum exstituræ sint. Sed sensus hic est: Deus omnium rerum essentias ab æterno sibi intellectu suo immenso repræsentavit, & si res, quæ nunc existunt, ab æterno exstitissent, non alio modo possibiles fuissent. Accipe, ut abstractam regulam clarius intelligas, exemplum perquam perspicuum. Circulum Deus ab æterno sibi non alio modo repræsentare potuit, quam rotundum. Quidni, inquies, quadratum? Sic non circulum sibi repræsentasset. Et circulus ab æterno non alia ratione possibilis fuit, quam per rotunditatem. Præclare hanc in rem " Clericus in Ontolog. " Cap. IV. Essentias rerum, *inquit*, qui æternas & " immutabiles dicunt, id volunt, per quod ens est " id, quod est, seu ipsum ens non posse a nobis in" telligi, esse aliud ens, & simul idem. Itaque si " Deus ab omni eternitate habuerit ideas entium nunc " existentium, qualia sunt, illas necessario easdem " fuisse, ac nunc sunt. Alioqui non fuissent ideæ eo" rum entium, si diversæ esse potuerunt, nisi muta" rentur species entium. Quis autem hoc negare " sustineat, si nulla perturbatione laboret, & ex " animi sententia loquatur. Conf. Kindleri disput. " de æternitate essentiarum sub præsid. Magnif. " Schroederi VVitembergæ habita. " 1727. Ubi simul argumenta *Cl. VVucherrei*, contra essentiarum æternitatem formata, sunt examinata & confutata.

§. 74. *Essentia est incommunicabilis.*

Demonstr. Ponamus essentiam τῷ A, posse tribui & communicari τῷ B, tunc A, privaretur sua essentia. Cum vero nullum ens sua essentia possit privari, (§. 69.) perspicuum est, essentias rerum esse incommunicabiles.

THEOR. Poterat hæc propositio ita quoque demonstrari. Si essentiæ rerum sunt immutabiles: consequens est, ut etiam sint incommunicabiles, (facta enim communicatione, adesset mutatio.)

Atqui

Atqui prius eſt verum, (§. 72.) E. etiam poſterius, quod eſſentiæ rerum ſint incommunicabiles.

NOT. Ex hoc theoremate poteſt facile decidi quæſtio illa controverſa, num poſſit fieri, ut Deus corpori facultatem & vim cogitandi tribuat? Hic reſpondemus negando. Si enim corpus cogitandi vi gauderet, tunc eſſentia ſpiritus, quæ abſolvitur vi cogitandi, corpori communicaretur, adeoque corpus eſſet corpus, (per hypoteſin,) & tamen ſimul etiam ſpiritus, quia eſſentia ſpiritus gauderet. Quod eſt contra princ. contradictionis.

§. 85. *Ex his conſtare nunc poteſt, eſſentiam cujuſvis rei nec minui, nec augeri poſſe.*

Demonſtr. Cum enim eſſentia rei cujuſvis ſit immutabilis, (§. 72.) intelligis, eam nec minui, nec augeri poſſe. Si enim minueretur, mutaretur, ſi augeretur, itidem mutaretur.

Atque hoc ſenſu eſſentiæ dicuntur eſse, ſicut numeri. Sic e. gr. numero ternario nihil addi, & nihil demi poteſt, ſalvo numero ternario. Si enim quid addideris, non amplius eſt numerus ternarius, ſi aliquid demſeris, itidem ceſsat eſse numerus ternarius.

CAPUT VII.

De Generalibus Entis Affectionibus.

§. 76.

Expoſita in antecedentibus & notione entis, & eſſentia, ad affectiones entis generaliores explicandas nunc nos accingimus. Per *affectiones* autem entis intelligimus quævis ipſius prædicata, quorum ratio vel in eſſentia ſola, vel extra eandem continetur.

EXEMPL. E. gr. libertatis capacitas eſt affectio hominis: Eſt enim ejuſmodi prædicatum: quod de homi-

homine eunciatur, ut ex essentia hominis, scil. rationalitate, immediate fluat. Eruditum esse, est itidem affectio hominis, quæ vero non ex essentia hominis ortum suum ducit.

§. 77. Ejusmodi affectio, quæ suam rationem sufficientem agnoscit in sola essentia, sive ejusmodi modi prædicatum, quod ex essentia sola fluit, dicitur *attributum* (*consecutivum*.)

EXEMPL. E. gr. Tò posse esse eruditum, est attributum hominis, fluit enim ex essentia hominis, nempe rationalitate. Quia attributa ex essentia rei consequuntur, manifesta est ratio, cur veteres attributum vocent *essentiale consecutivum*. Ipsam autem essentiam, & ea, quibus essentia continetur, vocant *essentiale constitutivum*.

§. 78. *Posita itaque rei essentia ponuntur quoque rei attributa*.

Demonstr. Cum enim in essentia ratio attributorum contineatur, (§. 77.) consequens est, ut, posita essentia, ponantur quoque attributa. Posita enim rei alicujus ratione sufficiente, ipsam rem poni, ex superioribus constat. Sive, ut veteres ajunt, posita caussa, ponitur effectus.

§. 79. *Hinc attributa entis ab ejusdem essentia separari non posse intelligis*.

Demonstr. Ponamus, attributa ab essentia sejungi posse, tunc fieri posset, ut attributa, aut sine ratione essent, aut ratio eorumdem non contineretur in esentia sola.

Si fine ratione esent, corrueret principium rationis sufficientis. (§. 34.) Si ratio illorum non contineretur in sola esentia, esent attributa (*per hypothesin*) & non essent attributa. (per def. §. 77. traditam) Cum vero fieri nequeat, aut aliquid simul fit, & non sit, (§. 22.) fieri quoque non posse, intelligitur, ut attributa entis ab ejusdem esentia sejungantur.

§. 80. *Attributa entis sunt necessaria*.

Demonstr. Cum enim attributa sint ejusmodi, ut

ut ab esſentia ſejungi non poſſint, (§. 79.) eſſentia autem entis ſit neceſsaria, (§. 71.) conſequens eſt, ut attributa quoque ſint neceſſaria.

EXEMPL. Fieri e. gr. non poteſt, ut, quamdiu homo eſt homo, adeoque gaudet rationalitate, tamdiu careat docilitate. Neceſſaria itaque in homine eſt docilitas, tamquam attributum, ex eſsentia hominis fluens.

§. 81. Ex quo porro pateſcit, attributa, ex entis eſsentia reſultantia, pariter, ac ipſas eſsentias, eſſe æterna, immutabilia, incommunicabilia, omniſque augmenti, & diminutionis incapacia. (conf. §. 72. ſeqq.)

§. 82. Attributis opponimus *modos ſive accidentia*. Eſt autem modus ſive accidens nihil aliud, quam ejuſmodi affectio, cujus ratio ſufficiens extra eſsentiam in entibus aliis continetur.

EXEMPL. E. gr. Eruditio eſt modus ſive accidens hominis. Eruditio enim fluit ex eſsentia hominis.

§. 83. *Hinc conſequitur, modos a re, cujus ſunt modi, poſſe ſeparari.*

Demonſtr. Cum enim id omne, quod rationem ſui ſufficientem non habet in rei eſſentia, ab eadem ſeparari poſſit, (§. 79.) modi autem rationem ſui ſufficientem non agnoſcant in rei eſſentia, (§. 82.) evidens eſt, modos poſse a re ſeparari.

EXEMPL. Sic e. gr. *eruditio* poteſt ab homine ſeparari, & nihilominus homo manet homo. Modos dicebant veteres ſcholaſtici *accidentia prædicabilia*, quia apta ſunt, ut prædicentur ſive enunciëntur de ſubjectis ſuis. Hæc itaque accidentia prædicabilia definiebant recte per ea, quæ poſſunt adeſſe, & abeſſe ſine ſubjecti interitu. Accidentia autem prædicabilia diſtinguebant ab accidentibus prædicamentalibus. Accidens ſcilicet prædicabile contra diſtinguebant proprio ſive attributo, quod neceſſario, & conſtanter rei ineſt. Accidens autem

præ-

prædicamentale opponebant ſubſtantiæ , & ſub accidenti prædicamentali complectebantur tum propria , tum accidentia ſtricte ſic dicta , ſive prædicabilia . Quam quidem diſtinctionem , vel ignoraſſe , vel in diſputandi fervore non ſatis attendiſſe videtur Flacius , qui , in celebri illa ſatiſque nota diſputatione , cum Victorino Strigelio inſtituta , peccatum originis ipſam eſſe hominis ſubſtantiam , contendebat . De quo plura in ſcholis noſtris.

§. 84. Quandoquidem itaque modi a re , cujus ſunt modi , ſejungi poſſunt , (§. 83.) perſpicuum eſt, modos cujuſvis rei eſſe mutabiles , & contingentes.

§. 85. *Quamvis vero modi , qua actualitatem ſuam , & exiſtentiam , non ex eſſentia rei fluant , (§. 82.) poſſibilitates tamen modorum rationem ſui ſufficientem in eſſentia agnoſcant , neceſſe eſt.*

Demonſtr. Cur modi ineſſe poſſint, debet adeſſe ratio (§. 32.) Illa ratio aut in eſſentia rei , cui modi ineſſe poſſunt , quærenda eſt , aut in attributis rei , aut in modis . Quia plura in re quapiam non dantur . Si dicis : ratio eſt in modis ipſis , rei jam inexiſtentibus , qærenda , tunc ex exiſtentia modorum concipi debet , cur modi ineſſe poſſint , (§. 31.) adeoque, quia fluit poſſibilitas hac ratione ex exiſtentia, exiſtentia prior erit, quam poſſibilitas. Cum vero exiſtentia omnis ſupponat jam poſſibilitatem , (§. 32.) facile intelligis , exiſtentiam modorum non eſſe priorem , quam poſſibilitatem eorumdem , adeoque , quod modi rei ineſſe poſſint , non concipi poteſt ex eorumdem actualitate. Si dicis : Ratio ſufficiens, cur modi ineſſe poſſint, latet in attributis , tunc conceditur hoc ipſo, rationem ſufficientem, cur modi ineſſe poſſint , latere in eſſentia , quia attributa ſui rationem ſufficientem habent in eſſentia (§. 77.) Relinquitur ergo nihil aliud , quam ut ſtatuamus, modorum poſſibilitatem, vel proxime , vel remote ,

in-

intervenientibus attributis, ex essentia rei cujusvis fluere.

EXEMPL. E. gr. Eruditio, tanquam modus, & accidens hominis, non fluit, qua actualitatem suam, & essentia hominis, quod vero homo possit esse eruditus, id dependet ab ipsius essentia. Solicite profecto actualitas, & possibilitas modorum sunt distinguendæ, maxime cum hæc in intricata illa controversia; *num malum ex essentia creaturæ fluat*, multo usui sint futura, uti id infra in Theologia naturali patescet.

NOT. Ex his patet nunc, quid sit dispositio naturalis. Quatenus scilicet ens ad modos admittendos aptum est per essentiam, eatenus ipsi *dispositionem naturalem* ad illum modum, quem recipere potest, tribuimus. Homo, exempl. grat. gaudet dispositione naturali ad eruditionem recipiendam, quia eruditionem, tanquam modum, homo per essentiam recipere potest.

§. 68. *Possibilitates itaque modorum loco attributorum esse habendas, ex his nunc cumulatissime intelligi potest:*

Demonstr. Cum enim possibilitates modorum in ipsa essentia fundatæ sint, (§. 85.) id autem, quod in essentia rei cujusdam fundatum est, sive quod ex essentia rei resultat, attributi loco recte habeatur, (§. 77.) consequens est, ut possibilitates modorum attributorum loco sint habendæ.

EXEMPL. E. gr. Posse calidum esse, est attributum lapidis, quamvis calor actualis sit inter modos lapidis referendus,

§. 87. *Possibilitates itaque modorum sunt necessariæ, & immutabiles.*

Demonstr. Cum enim attributa rei sint necessaria, & immutabilia, (§. 80. 81.) possibilitates autem modorum loco attributorum sint habendæ, (§. 86.) consequens est, ut possibilitates modorum sint necessariæ, & immutabiles.

EXEMPL. Quamdiu e. gr. homo, est homo, & ra-

rationalitate gaudet, tamdiu quoque necessarium est, ipsum posse fieri doctum.

§. 88. Ex his optime nunc poterit judicari, quid sit *entis unitas:* Complexus scilicet eorum omnium, per quæ ens aliquod præcise hoc ens est, & non aliud, constituit entis cujusvis *unitatem*.

EXEMPL. Considera e. gr. hunc librum, quem coram intueris. Hic liber constat ex variis determinationibus, quæ efficiunt, ut liber hic præcise hic liber sit, & non alius. Atque universus ille complexus variorum, hunc potissimum librum constituentium, efficit id, quod unitatem libri dicimus.

§. 89. *Unitatem itaque in complexu totaque comprehensione eorum, quæ essentiam rei constituunt, cum eademque immediate & necessario connexa sunt, consistere, ex demonstratis fit manifestum.*

Demonstr. Cum enim unitas entis consistat in complexu eorum, per quæ ens præcise hoc ens est, & non aliud (§. 88.) per essentiam autem, sive ea, quæ essentiam constituunt, adeoque etiam per attributa, cum essentia immediate & necessario connexa, (§. 77.) res aliqua præcise hæc res sit, & non alia (§. 66.) intelligitur, recte affirmari, cujusque rei unitatem in complexione eorum, quæ essentiam constituunt, cum eademque immediate, & necessario sunt connexa, consistere.

SCHOL. Hinc est, ut Thumingius *unitatem* definiat per inseparabilitatem eorum, per quæ ens in esse suo determinatur. *Conf. Institut. Philos. VVolfianæ p.* 47.

§ 90. *Omne ens est unum.*

Demonstr. Cum enim omne ens habeat suam essentiam (§. 68.) adeoque etiam attributa, ex essentia necessario fluentia (§. 77.) in complexu autem seu comprehensione illorum, quæ essentiam entis constituunt, cum eademque, tanquam attribu-

ta, necessario sunt connexa, consistat *unitas* (88.) palam est, omne ens debere esse unum.

SCHOL. Unitatem, de qua nunc loquimur, vocabant veteres *metaphysicam transcendentalem*, & *absolutam*, referebantque illam inter affectiones entis simplicia, qua simpliciter, & sine oppositorum disiunctione cum ente reciprocari possunt. Distinguebatur præterea unum metaphysicum ab *uno numerico*. *Unum numericum, sive exclusivum*, vocabant, quod negationem plurium infert. Unum vero *absolute* sumtum, & *transcendentale* appellabant id, quod essentiam indivisam, ac minime multiplicem habet. *Unitatem* vero constituebant in essentiæ indivisione. Ex his *Hebenstr. phil. prim. p.* 498. nostrum theorema: *omne ens est unum*, ita demonstrat: „Si non, *inquit*, omne ens esset unum, „ seu non haberet essentiam indivisam, tunc non „ esset ens, sed entia, cum diversa essentia arguat multitudinem, aut minimam qualitatem essentiarum, multiplicata autem essentia, quippe „ quæ est formale entis, multiplicetur ipsum ens, „ necesse est.

SCHOL. Unum autem metaphysicum multiplex est: (*a*) est vel *indivisum* ita, ut non sit actu divisum, interim tamen dividi possit. E. gr. pomum est indivisum, dividi tamen potest. Vel est ita *indivisum*, ut nec actu sit divisum, nec dividi possit. Quod dicimus indivisibile. E. gr. *Deus*. (*β*) *Unum est* vel *unum per se*, *vel unum per accidens*.

Illud dicitur, quod, si ex partibus pluribus coagmentatum est, ex ejusmodi partibus est conflatum, quæ a natura per se ac primo ad id ordinatæ sunt, ut ad tale quid constituendum uniantur. E. gr. Homo est unum per se. Unum vero per *accidens*, quod etiam vocant *unum per meram aggregationem*, dicitur a veteribus, quod includit plura entia, quæ nullum inter se ordinem servant, nullamque unionem habent, sed aggregantur saltem. E. gr. *acervus frumenti*.

§. 91.

§. 91. Cæterum obſerves, omnia attributa rei cujuſdam, ex eſſentia oriunda, (§. 77.) omneſque omnino modos, rei alicui inexiſtentes, genarali nomine *adjunctorum* deſignari. Ut adeo, adjunctum & affectionem unum fere idemque eſſe, pateat. (conf. §. 76.) Res autem illa quæ eſſentia & attributis gaudet, modorumque capax eſt, dicitur *ſubjectum*.

NOT. Attributa, quæ rei neceſſario & conſtanter inſunt, vocant veteres *adjuncta propria*, modos autem, qui poſſunt a re, cui inſunt, ſejungi, dicunt *adjuncta communia*. Subjectum, cui inſunt adjuncta, vocant alias *ſubjectum metaphyſicum*, item *ſubjectum inhæſionis*. Ideo autem dicitur res illa, cui inſunt attributa & accidentia, ſubjectum metaphyſicum, ut diſtinguatur a ſubjecto logico ſive prædicationis, de quo actum eſt in Logica, §. 191.

CAPUT VIII.

De eo, quod idem eſt, ac Diverſum.

§. 92.

EVolutis hactenus generalioribus entis, eſſentiæ, attributorum, & modorum denique notionibus, nunc ad peculiares quaſdam entis proprietates explanandas nos accingemus.

§. 93. Si res quaſcumque inter ſe comparaverimus, tunc vel eaſdem, vel diverſas, vel ſimiles, vel diſſimiles eſſe, reperiemus.

§. 94. *Eadem* dicuntur, quæ ſibi mutuo poſſunt ſubſtitui, ita ut facta ſubſtitutione, nulla adſit mutatio, ſive A, & B, dicuntur eatenus *eadem* quatenus, quod eſt in A, id quoque in B, reperitur. Si omne id, quod eſt in A, quoque deprehenditur in B, tunc A, & B, dicuntur *abſolute eadem*. Si vero A, continet tantummodo

aliquid, quod est in B, tunc A, & B, dicuntur *respective eadem*.

EXEMPL. E. gr. *Bis duo*, & *quatuor* sunt eadem. Si quatuor grossos expenderis, & substitueris in eorumdem locum duos grossos, bis sumtos, nullam mutationem in marsupio tuo deprehendis. Eadem absolute talia non existere, evincet infra principium indiscernibilium. Eadem autem respective talia, & dari possunt, & dantur. E. gr. Homo, & brutum sunt *respective eadem*. Homo enim vivit, & sentit, adeoque brutum continet quid, quod est in homine, & hoc respectu homo, & brutum sunt eadem.

§. 95. Affectio illa, qua entia sunt eadem. (§. 54.) dicitur barbaro, sed recepto tamen, vocabulo *identitas*.

NOT. Sic in Cajo, & Titio deprehendi *identitatem*, quatenus Cajus, & Titius α) vivunt & sentiunt, β) rationalitate gaudent.

§. 96. *Idem numero*, quod vocatur quoque *idem ipsum*, est, quod bis existere, adeoque numerari non potest, quoque ideo de se ipso tantum dici potest.

EXEMPL. Si e.gr. monetam quandam pretiosiorem tibi mutuam dedero, & tu *eandem ipsam* individuam monetam, quam tecum communicavi, post aliquod temporis spatium, mihi reddideris, tunc *eandem numero* mihi reddere diceris. Quodlibet individuum, quia de se tantum, nec de alio dici potest, est idem numero. In Theologicis dicuntur tres personæ habere eandem numero essentiam, & naturam, quia Pater eam ipsam individuam naturam possidet, quam Filius & Spiritus Sanctus.

§. 97. Convenientia autem plurium individuorum in conceptu illorum specifico constituit *identitatem* eorum *specificam*.

EXEMPL. E. gr. *Cajus*, *Titius*, *Sempronius*, non sunt quidem iidem numero, sed sunt tamen iidem specie, quia, & Cajus, & Titius, & Sempronius,

in eo

in eo conveniunt, quod ſint *homines*. Si vero plures ſpecies in aliquo conceptu inter ſe convenerint, tunc illa plurium ſpecierum convenientia in conceptu illarum generico dicitur *identitas generica*. E. gr. Anima, angeli, Deus, in eo conveniunt, quod ſint ſpiritus, ergo animæ, angeli, Deus, ſunt iidem genere.

NOT. In rebus divinis diſtinguere adhuc ſolemus *eſſentialem identitatem* ab *identitate perſonali*. E. gr. Pater, & Filius ſunt idem *eſſentialiter*, ſed Filius Dei, & Dei verbum, & Chriſtus eſt idem *perſonaliter*.

§. 98. *Diverſa ſunt*, quorum unum continet aliquid, quod non eſt in altero, ſive, quorum ſubſtitutio mutationem producit.

EXEM. Sic ſi in bibliotheca in locum libri alicujus in folio ſubſtitueris librum in 8vo, tunc, ſubſtitutione facta, magnam obſervabis mutationem, cum quod deprehendebas in libro formæ maximæ, non itidem videas in libro minoris formæ. Adeoque hos duos libros diverſos eſſe, ultro fateberis.

§. 99. *Diverſa numero* ſunt, quorum unum de altero affirmari nequit, ſeu quorum unum quoque propriam ſibi habet exiſtentiam.

EXEM. E. gr. Si Cajum, & Paulum, ut duas perſonas, conſideraveris, videbis, Cajum non dici poſſe Paulum, & Paulum non poſſe dici Cajum. Quo ipſo intelligis, Cajum eſſe a Paulo, & Paulum a Cajo diverſum, & quidem numero.

§. 100. *Diverſa ſpecie* ſunt, quæ in conceptu generico non conveniunt.

EXEMPL. E. gr. Homo & lapis ſunt diverſa ſpecie, cum non ſub uno genere contineantur. Homo enim cum vivat & ſentiat, eſt animal, id quod de lapide dici nequit. Quæ diverſa ſunt ſpecie, dicuntur habere *diſtinctionem eſſentialem*. Sic eſſentialiter differunt ſpiritus, & corpus, propterea, quod habent eſſentiam, ſpecie diverſam.

§. 101. Expositis nunc, & declaratis sufficienter *ejusdem*, & *diversi* notionibus, facile nunc erit intellectu, quid sint *similia*, quid *dissimilia*.

§. 102. *Nota characteristica* dicitur id, ex quo res cognoscitur, & a reliquis distinguitur.

EXEMPL. Sic. e. gr. *latratus* est nota characteristica canis, cum per id, quod latret canis, ab aliis rebus soleat internosci.

§. 103. Quæ easdem habent notas characteristicas, dicuntur *similia*, quæ vero diversas habent notas characteristicas, appellamus *dissimilia*. Si notæ characteristicæ omnes eædem sint, adest *similitudo absoluta talis*. Si vero tantum quædam notæ fuerint eædem, adest *similitudo respective talis*.

EXEMPL. E. gr. Cajus, Titius, Sempronius, in hoc similes sunt, quod sint *homines*. Habent enim easdem notas characteristicas; scilicet Cajus anima rationali, cum corpore organico connexa gaudet, item Titius, & Sempronius. Cajus vero, Titius, & Sempronius in quibusdam sunt dissimiles, cum in Cajo, ut individuo considerato, observes notas, quibus ipse a Titio, & Sempronio discernitur, quæque adeo in Titio, & Sempronio non reperiuntur.

VVolfius *similia* dicit *in Ontologia Lat. p.* 160. esse ea, in quibus ea eadem sunt, per quæ a se invicem discerni debebant.

§. 104. Ut autem notio *similitudinis*, & *dissimilitudinis*, *æqualitatis*, item & *inæqualitatis* distinctius evolvatur, insimulque, quomodo a similibus æqualia differunt, rectius perspiciatur, opus est, ut hic, quid sit *qualitas*, & *quantitas*, exponamus. Sine his enim notionibus doctrina de similibus, & æqualibus vix explicari potest.

§. 105. *Qualitatem* dicimus determinationem rei internam, quæ sine alio assumto intelligi potest.

SCHOL. Per determinationem autem rei internam intelligo id omne, quod rei inest, quodque

que efficit, ut res præcise hæc res sit, & non alia. Ad qualitates itaque referimus omnia attributa, quæ rei constanter insunt, (§. 77. 81.) item omnes modos, & accidentia, quæ rei tantum ad tempus insunt. (§. 83.) Attributa vocat *VVolfius in Ontolog. Lat.* §. 160 & 461. *qualitates derivativas*. Qualitas autem dividitur in *physicam*, & *moralem*. *Moralis* deprehenditur in actionibus hominum liberis, exempl. gr. bonitas actionum. *Physica* in aliis rebus naturalibus consideratur.

SCHOL. Ut vero definitio qualitatis nemini non perspicua sit, sequentia observari volo. Si e. gr. dulcedo cibi est qualitas cibi. Est enim dulcedo consideranda, tanquam quid intrinsecum cibo, adeoque cum dulcedo præcise hunc cibum constituat, & non alium, patet, dulcedinem esse (α) determinationem cibi intrinsecam (β). Dulcedo cibi intelligi potest sine alio assumpto cibo, i. e. si alteri dixeris; te cibum dulcem tecum sumsisse intelliget, qualis ille sit, idque sine alio dato cibo, vel potu, ad quem cibus gustatus referri debeat.

SCHOL. *Qualitatem* definiebant veteres per ejusmodi accidens, a quo substantia denominatur *qualis*, *Conf. Velthemii Metaphysic.* p. 1810. item *Scharfii Log.* p. 171 Sed quis non videt, hanc definitionem idem per idem explicare? Quas definitiones evitandas esse, monuimus in Logic. §. 163.

§. 106. *Ex his vides, qualitates referri posse inter notas rei characteristicas*.

Demonstr. Cum enim qualitates sint determinationes rei intrinsecæ (§. 105.) determinationes autem rei intrinsecæ efficiant, ut præcise res aliqua hæc res sit, & non alia, (per defin.) manifestum est, qualitates efficere, ut res aliqua præcise hæc res sit & non alia. Si efficiunt qualitates, ut res aliqua præcise hæc res sit, & non alia, intelligitur, per qualitates alteram rem ab

altera internoſci. Cum vero id, quod rem alteram ab altera dignoſcit, ejus rei, quam ab altera internoſcit, ſit *nota characteriſtica*, (§. 102.) perſpicuum eſt, qualitates referri poſſe inter notas rei characteriſticas.

§. 107. Quæcumque itaque eaſdem habent qualitates, eaſdem quoque habent notas characteriſticas; ubi vero diverſæ adſunt qualitates, ibi diverſas quoque notas characteriſticas locum habere intelligitur.

§. 108. *Quantitatem* definimus per multitudinem eorum, quæ rem conſtituunt. Ut adeo, ubi determinata multitudo locum habet, ibi locum habere quantitas recte dicatur. *Multitudo* autem conſtat ex unitatibus junctis.

SCHOL. VVolfius *quantitatem* definit per determinationem rei intrinſecam, quæ tantum dari, ſine alio autem aſſumto intelligi nequit. Dari autem *poſſe* dicitur, cujus notionem habere nequis, niſi ubi idem actu præſens intuearis. Notionem adeo abſentis excitare non potes, niſi id retuleris ad aliud homogeneum præſens, ſive datum. Si exempli grat. ex me quæſiveris, quanta fuerit dulcedo cibi, quem ſumpſi, tunc diſtincte explicare nunquam potero, quanta fuerit dulcedo cibi, niſi alia quanta aſſumſero, ad quæ, tamquam ad menſuras, dulcedinis quantitatem exigam. Quære ex Titio, quantus fuerit Coloſſus, ſive ſtatua Coloſſea? Diſtinctam quantitatis notionem non ſuppeditabit, nec intelliges unquam, quanta hæc ſtatua fuerit, niſi aſſumſeris aliud quantum, ad quod Coloſſi quantitatem exigas. Si vero res, cujus quantitatem vis explorare, præſens eſt, tunc intuere tantum rem, & diſtinctam quantitatis ideam acquires.

SCHOL. Veteres quantitatem dividebant α) in *quantitatem molis*, & *quantitatem virtutis*. Illam quam proprie quantitatem eſſe patet, dicebant extenſionem ſubſtantiæ naturalis, exem. gr. quantitas

titas lapidis est quantitas molis. Hanc vocabant quamlibet perfectionem rei internam, sive cujusque rei valorem, secundum quem cum alia re, tanquam cum mensura, comparabilis est. Sic, cum interrogo te, *quanta est sapientia Dei;* Intelligis, me non loqui de quantitate molis, sed virtutis. *ß)* Quantitatem dividebant praeterea in *continuam*, *& discretam*. Ad illam referebant lineam, superficiem, & corpus mathematicum, h. e. corpus, in longum, latum, & profundum extensum. Ad hanc referebant *numerum*, quam VVolfius in Ontol. Lat. p. 328. definit ita: *Numerus* est id, quod ad unitatem eam habet relationem, quam recta quaedam data ad rectam datam aliam habere potest.

§. 109. *Quantitas non pertinet ad notas rei characteristicas.*

Demonstr. Cum enim res, seorsum considerata, non possit per quantitatem agnosci, & ab aliis rebus distingui, sed quantitas rei cognoscatur tantum in respectu ad aliam quantitatem, sive mensuram (§. 108.); nota autem rei characteristica dicatur id, ex quo res cognoscitur, & a reliquis distinguitur (§. 102.), manifestum hinc fit, quantitatem rei non pertinere ad ejusdem notas characteristicas,

(§. 110.) Quae eandem habent quantitatem, dicuntur *aequalia*; quae vero diversam, appellamus *inaequalia*. Ut adeo *aequalitas* in abstracto recte definiatur per identitatem quantitatis, & inaequalitas per quantitatis diversitatem.

Hinc veteres; *Maxime proprium est quantitatibus, ut sint aequales, vel inaequales.*

§. 111. His expeditis, perfaciles nunc erunt intellectu positiones abstractae, quas de identitate, & diversitate, de similitudine item, & dissimilitudine, & de aequalitate, atque inaequalitate nunc demonstraturi sumus.

§. 112. *Quæ in aliquo tertio conveniunt, illa eadem sunt, sive illa inter se conveniunt.*

Demonstr. Fac enim, A, & B, in aliquo tertio convenire, nec tamen eatenus esse eadem, tunc aliquid in A erit, quod non est in B. (§. 94.) Cum vero sumamus, A, & E, in tertio C, convenire, intelligis, debere eateuus, quatenus in C, conveniunt, esse A, & B, eadem. Alias non convenirent in tertio, quod est contra hipothesin.

EXEMPL. E. gr. Anima, & Deus inter se conveniunt, quatenus conveniunt in hoc tertio, quod Deus sit *spiritus*, & anima sit *spiritus*. Atheus, & stultus sunt iidem, quatenus, in hoc tertio conveniunt, quod Atheus contra rationem agat, & stultus etiam.

NOT. Hæc propositio habetur a philosophorum nonnullis pro vero, & legitimo fundamento, quo omnia nostra ratiocinia nituntur. Quotiescumque enim ratiocinamur, toties ita procedimus, ut alteram ideam, nempe subjectum conclusionis semel in præmissis, cum idea aliqua tertia conjungamus & combinemus, & semel prædicatum conclusionis cum eadem tertia idea connectamus. Hinc concludimus, ipsum subjectum, & prædicatum conclusionis inter se convenire, quia conveniunt in idea aliqua tertia.

§. 113. *Quæcumque in iisdem rationem sui sufficientem agnoscunt, illa eatenus sunt eadem.*

Demonstr. Fac enim, A, non minus, quam B, in C, rationem sui sufficientem habere, tunc A, non minus, quam B, in hoc tertio conveniunt; quod in C, rationem sui sufficientem habeant. Quæcumque in aliquo tertio conveniunt, ea conveniunt inter se, sive illa sunt eadem (§. 122.) E. quæcumque rationem sui sufficientem in iisdem agnoscunt, illa conveniunt inter se, & eatenus sunt eadem.

EXEMP.

EXEMPL. Fac e. gr. Cajum duas conscripsisse disputationes, quas quidem, non nego, posse in mutuis differre, eatenus tamen conveniunt inter se, & sunt eadem, quatenus ad rationem sufficientem, & caussam, a qua producta sunt, respicitur.

§. 114. *Patet itaque ex his, ubicumque adsunt eadem essentiae, ibi eadem esse attributa.*

Demonstr. Cum enim ea eadem sint, quae in iisdem rationem sui sufficientem habent (§. 113.), attributa autem sint ejusmodi affectiones, quarum ratio continetur in sola essentia (§. 77.), patet, positis iisdem essentiis, poni eadem attributa.

EXEMPL. E. gr. Cajus, & Titius eandem habent essentiam, rationalitatem scilicet. Unde sequitur, ut Cajus aeque, ac Titius gaudeant facultate libere agendi. Facultas enim libere agendi est attributum, ex rationalitate, tanquam hominis essentia immediate, & necessario proveniens.

§. 115. Unde necessaria consecutione conficitur, diversitatem essentiarum gignere attributorum diversitatem.

§. 116. *Quaecumque habent easdem qualitates, illa sunt similia; quae vero diversas habent qualitates, sunt dissimilia.*

Demonstr. Cum qualitates rei referantur inter notas ejusdem characteristicas (§. 106.), atque adeo, quaecumque easdem qualitates habent, easdem quoque habeant notas characteristicas (§. 107.), intelligitur, ea, quae easdem habent qualitates, esse similia, & quae diversas, dissimilia (§. 103.)

NOT. Hinc vides, cur veteres dixerint, *secundum qualitatem dicimur similes, & dissimiles.* E. gr. Demosthenes, & Cicero sunt sibi similes ratione eloquentiae, ovum est nivi simile ob albedinem, Cajus vero, & Titius sunt sibi dissimiles ratione diligentiae, & eruditionis. Vides hic qualitatum identitatem & diversitatem.

§. 117. *Quaecumque habent essentiam eandem, eadem*

dem item attributa, & modos eosdem, illa sunt similia.

Demonstr. Cum enim essentia, attributa, modique qualitatum in numerum referantur (§. 105.), ea autem, quæ habent qualitates easdem, sint similia (§. 116.), patet, ea, quæ habent essentiam eandem, eadem item attributa, & modos eosdem, esse similia.

§. 118. Ubicumque itaque essentialia sunt diversa, & modi sive accidentia diversa, ibi, patet, adesse dissimilitudinem.

§. 119. *Si duo eidem tertio sunt similia, ipsa quoque sibi similia esse debent.*

Demonstr. Fac, A, & B, similia esse tertio, quod C, vocabimus, tunc A, & B, ratione notarum characteristicarum, conveniunt, sive eadem erunt cum C. (§. 103.) Quæcumque eadem sunt, sive conveniunt in tertio quodam, illa inter se sunt eadem (§. 112.). Ergo si duo eidem tertio sunt similia, ipsa quoque sibi similia esse debent.

EXEMPL. E. gr. Si lac, & ovum, ratione albedinis, similia sunt nivi, dubitari non potest, lac, & ovum sibi ipsis, ratione albedinis, esse similia.

§. 120. *Omnia entia, quæcumque tandem existant, sunt ita comparata, ut aliqua ex parte sint similia sibi.*

Demonstr. Cum omnia entia, quæcumque tandem extiterint, in eo conveniant, ut possibilitate gaudeant (§. 56.), possibilitas autem constituat entis essentiam (§. 67.) consequens est, ut omnia entia eandem habeant essentiam. Quæcumque habent eadem essentiam, sunt similia (§. 117.), Ergo omnia entia sunt sibi similia, certe in eo, quod sint possibilia.

NOT. Hæc similitudo entium quamvis non concedi non possit, si tamen diversi respectus, sub quibus entia considerari possunt, rursus intercesserint, adest entium summa dissimilitudo: Ut adeo recte

recte dixerint veteres. *Omne simile est etiam dissimile.*

§. 121. *Quamvis similia ob easdem notas characteristicas, quibus a se invicem distingui debebant, distingui non posse videantur; possunt tamen illa, salva similitudine, quantitate differre.*

Demonstr. Cum enim quantitas non pertineat ad notas rei characteristicas (§. 109.), facile intelligis, posse duas res habere easdem notas characteristicas, adeoque esse similes, quamvis diversa adsit quantitas. Ut adeo intelligas, similia, salva similitudine, quantitate differre.

EXEMPL. Potest e. gr. ovum alteri ovo ratione albedinis exacte simile esse, quamvis alterum ovum ab altero, ratione quantitatis, multum differat.

SCHOL. Si vero contigerit, ut similia simul eandem habeant quantitatem, adeoque sint æqualia, (§. 110.) tum vero illa a se invicem distinguimus per respectum ad alia externa entia, loci e. gr. ratione habita. Fac, duo ova oculis tuis obversari, & similia, & æqualia. Si unum ab altero, post aliquod temporis, spatium discernere volueris, ad locum, ubi alterum alteri coexistit, & ad alias πισῶν, externas attendas. Cumque hac ratione similia non distinguantur, nisi per externas loci vel temporis alteriusque rei circumstantias quæ simul sensibus offeruntur, & simul præsentes sunt, intelligis, cur *Leibnitius* similia definiverit per ea, quæ non possunt distingui, nisi per compræsentiam. *Conf. VVolfii Ontologia p.* 169.

§. 122. Cum omnia similia, salva similitudine, possint differre quantitate (§. 121.); Tum autem, cum similia per quantitatem diversam discernimus, non opus habeamus, ut externam circumstantiam loci in subsidium adhibeamus; patet, hanc differentiam similium, quæ a quantitate petitur, posse dici internam. Ut adeo nunc intelligas, quid sit, quod VVolfius definiat in *Ontolog.*

Lat-

Lat. §. 348. *quantitatem* per discrimen interdum similium, h. e. illud, quod similia, salva similitudine, intrinsece differre possunt. *Conf. Thumingii institut. philos. VVolf. p.* 48.

NOT. Cum multitudo eorum, quæ rem constituunt, efficiant rei quantitatem (§. 108.), illa autem ipsa multitudo possit aliter aliterque esse (*per exper.*) adeoque augeri minuive, *quantum* quoque dicere poterimus id, quod potest augeri, & minui.

§. 123 *Quemadmodum, quæ similia sunt; possunt quantitate differre* (§. 121.) *adeoque esse inæqualia* (§. 110.) *ita contra, quæ æqualia sunt, adeoque eandem habent quantitatem* (§. 110.) *possunt esse dissimilia.*

Demonstr. Cum quantitas rei non pertineat ad notas rei characteristicas (§. 109.) intelligis, ea, quæ eandem habent quantitatem, non ideo statim habere easdem notas characteristicas. Ea, quæ habent eandem quantitatem, dicuntur *æqualia* (§. 110.). Ergo æqualia possunt habere diversas notas characteristicas. Quæ diversas habent notas characteristicas, dicuntur dissimilia (§. 103.). Ergo æqualia possunt esse dissimilia.

EXEMPL. Sic e. gr. liber, & urceus, quem coram intueor, possunt esse æquales, & tamen, ob diversas notas characteristicas, & qualitates dissimiles.

§. 124. *Omne quantum non potest non sibi ipsum esse æquale.*

Demonstr. Cum enim omne quantum sit id, quod est (§. 22.), intelligis, si quantum A, bis posueris, tunc semper te ponere *idem* quantum A. Ubi vero *eadem* adest quantitas, ibi est æqualitas (§. 110.): ut adeo evidens sit, omne quantum sibi ipsum non posse non esse æquale.

§. 125. *Quæ æqualia sunt eidem tertio, illa æqualia sunt inter se.*

Demonstr. Si enim A, & B, sunt æqualia, ... C, tunc

C, tunc A, & B, eadem sunt cum C, ratione quantitatis (§. 110.). Quæ *eadem* sunt cum tertio, illa sunt inter se *eadem* (§. 112.): Ergo quæ æqualia sunt eidem tertio, sunt inter se æqualia.

EXEMPL. Fac e. gr. mensam A, esse æqualem mensæ C, & mensam B, itidem esse æqualem mensæ C, facile intelligis, mensas A, & B, sibi esse æquales.

§. 126. *Hinc cogitur hæc propositio; Si A, & B, sunt æqualia mensuris C, & D, & mensuræ C, & D, sunt sibi ipsæ æquales, intelligitur, ipsa quoque A, & B, sibi ipsa esse æqualia.*

Demonstr. Si enim A, est æquale mensuræ C, & B, est æquale mensuræ D, mensuræ autem C, & D, sunt sibi æquales, consequens est, ut mensuræ C, & D, sint eædem ratione quantitatis (§. 110.). Adeoque, si A, & C, sunt æquales mensuris C, & D, sequitur, ut A, & B, ratione quantitatis in eodem tertio conveniant (§. 110.), Quæ in eodem tertio conveniunt, sive eadem sunt, inter se conveniunt, sive eadem sunt (§. 112.), Ergo si A, & B, ratione quantitatis eadem sunt cum mensuris C, & D, consequens est, ut A, & B, sint inter se *eadem* ratione quantitatis. *Eadem* ratione quantitatis dicuntur æqualia (§. 110.). Ergo si A, & B, sunt æqualia mensuris C. & D, & mensuræ C, & D, sunt sibi ipsæ æquales, intelligitur, ipsum quoque A, & B, sibi ipsa esse æqualia.

THEOR. Hoc theorema Mathematicorum filii ita enunciant: *Æqualia æqualibus sunt sibi ipsa æqualia*. Ut vero hoc theorema distinctius intelligatur, accipe exemplum. Ponas, mensam A, esse æqualem filo B, & alteram mensam C, esse æqualem filo D. Ponamus porro, filum B, esse æqualem filo D. Quid inde consequetur aliud, quam ut mensam A, æqualem esse mensæ C, ajamus?

NOT. Has positiones, de eodem, & diverso, de simi-

ſimilitudine, & diſſimilitudine, de æqualitate denique, & inæqualitate, vides, eſſe ſatis abſtractas, maximeque generales. Adeoque, ob univerſalitatem ſuam multum nobis commodi ab iis in applicatione, & praxi polliceri poterimus. Quare, quanta potuimus, brevitate & perſpicuitate hic illas demonſtravimus, uberius eaſdem in ſcholis noſtris illuſtraturi.

CAPUT IX.

De determinato, & indeterminato.

§. 127.

Doctrinæ de convenientia, & diverſitate entium ſubnectimus nunc ea, quæ determinato, & indeterminato ſunt annotanda. Hæ notiones generaliores τῶ *determinati*, & *indeterminati* hoc magis nunc ſunt evolvendæ, quo frequentius occurrunt, cum in omni philoſophia, tum vero vel inprimis in ſubſequentibus ontologiæ capitibus.

NOT. Subinde quidem voce *determinationis* in ſuperioribus uſi ſumus, notione clara hujus vocabuli contenti. Nunc vero pateſcet ex dicendis clarius, quæ ſit terminis *determinati*, *indeterminati*, itemque *determinationum* tribuenda idea diſtincta.

§. 128. *Determinare*, vi originis, nihil aliud ſignificat, quam terminos limiteſque rei dare, eamque ab omni alia diſtinguere.

EXEMPL. Sic. e gr. cum animadvertimus, Cajum animo fluctuare, atque dubitare, num ſatius ſit Theologiæ quam juris prudentiæ operam dare ita quidem, ut animus maneat in ſuſpenſo, cogitationeſque in utramque partem diſtrahantur, tum dicimus, *Cajus fluctuat animo indeterminato*, i. e. non poteſt fluctuantibus, & dubiis cogitationibus fixum aliquem terminum ponere. Ita quo-

quoque vocabulum aliquod *determinare* dicimur; si, missis aliis conceptibus omnibus, quos poterat involvere, tribuimus ipsi certum aliquem & fixum significatum, atque adeo illud terminis quibusdam, intra quos contineatur, includimus.

SCHOL. *Canzius in usu Philosoph. Leibnitianæ, & VVolfianæ in Theolog. Tomo II. p.* 235. *τὸ determinare* ita definit: *Determinare*, inquit, h. l. dicimus indicare differentiam, qua aliud ab alio distat.

§. 129. *Determinatum* est, de quo aliquid ita prædicatur, ut oppositum ejus, quod prædicatur, simul excludatur, sive, ut *Bilfingerus in dilucidat.* p. 78. loquitur, *determinatum* est, de quo una propositionum contradictoriarum est vera, & altera falsa.

EXEMPL. Sic e. gr. cum scribo, tum hæc actio dicitur actio determinata; fieri enim non potest, ut, dum scribo, simul non scribam, adeoque *scribere* ita de me prædicatur, ut oppositum scriptionis, quæ de me prædicatur, excludatur. Cum Vitembergæ existo, tum existo in loco determinato, quia fieri non potest, ut, dum commoror Vitembergæ, simul Jenæ, vel Lipsiæ existam.

§. 130. Cum *determinatum* sit id, de quo aliquid ita prædicatur, ut oppositum ejus, quod prædicatur, simul excludatur (§. 119.), consequens est, ut *determinatum* dici quoque possit id, quod est sui generis unicum.

§. 131. Determinato opponitur *indeterminatum*, de quo aliquid adhuc prædicari non potest, etsi de eo in posterum prædicari posse non repugnet.

EXEMPL. E. gr. Voluntas nostra, quatenus sumitur pro facultate, & potentia appetendi vel aversandi, est facultas indeterminata, respectu appetitus actualis, vel aversationis. Nondum enim de voluntate, pro facultate sumta, prædicari potest, quod revera appetat, aut revera aversetur, quamvis non repugnet, de voluntate in posterum prædica-

dica-

dicari, ipsam appetere aut aversari, si scilicet motiva accesserint, quæ determinatam volitionem producant.

§. 132. Ea omnia, quæ in aliquo subjecto certo respectu determinata sumuntur, dicimus *determinationes*, sive *determinationes* rei vocantur ea omnia, quæ efficiunt, ut res aliqua præcise hæc res sit, & non alia.

EXEMPL. E. gr. *Intellectus*, & *voluntas* sunt determinationes spiritus, quia per intellectum, & voluntatem spiritus præcise est *spiritus*, & non aliud quidpiam.

§. 133. *Si ponitur determinans, ponitur quoque ipsum determinatum.*

Demonstr. Si ponitur determinans, tunc ponitur aliquid, quod efficit, ut res aliqua præcise hæc sit, & non alia. (§. 128. 132.) Si vero ponitur id, quod efficit, ut res aliqua præcise hæc sit, & non alia; ponitur simul id, quod efficit, ut de re cum certitudine aliquid prædicari possit. Id, de quo aliquid cum certitudine prædicatur, dicitur determinatum. (§. 129.) E. Si ponitur determinans, ponitur quoque determinatum.

EXEMPL. E. gr. Quod de anima cum certitudine possit prædicari, *illam esse indestructibilem*, id vero dependet ab hoc, quod anima sit *ens simplex*. Cum itaque hæc propositio: *anima est ens simplex*, efficiat, ut hoc de anima prædicari possit, ipsam necesse est indestructibilitatem determinari per ejusdem simplicitatem. Posita itaque animæ simplicitate, ponitur quoque ejus indestructibilitas.

§. 134. Unde manifestum est, si eorum, quæ per se invicem determinantur, unum adfuerit, alterum quoque adesse debere.

§. 135. *Porro hinc constare potest, essentiam rei per aliud non determinari, ipsum autem determinare attributa, rei constanter inexistentia.*

Demonstr. Fac, essentiam per aliud quid, rei in

inexistens, determinari, tunc supponet essentia aliquod determinans in re, per quod ipsa determinetur. Quod autem determinans est, semper prius est determinato, (*per sensum communem*, ut adeo hac ratione prius quid in ente concipi debeat, quam ipsa essentia. Cum vero essentia sit illud, quod *primum* in ente concipi debet, (§. 66.) perspicuum est, essentiam per aliud quid non determinari.

NOT. Quia vero attributa, rei constanter competentia, sui rationem sufficientem in essentia rei agnoscunt, (§. 77.) consequens est, ut ex essentia concipi, & intelligi debeat, cur hæc, & non alia rei insint attributa. Essentia itaque efficitur ut hæc potius, quam alia, in re quadam deprehendantur attributa. Id ipsum vocamus *determinare*. (§. 128.) E. essentia determinat attributa.

§. 136. *Ab indeterminato ad determinatum non valet consequentia.*

Demonstr. Cum *indeterminatum* sit id, de quo nihil certi prædicari potest, quamvis certi quid de ipso prædicari posse, non repugnet, (§. 131.) intelligitur, inde terminatum, quatenus est indeterminatum, non posse referri ad ea, quæ actu sunt, & existunt. Si enim actu essent indeterminata, tunc ita essent actu, ut oppositum, scilicet non existentia, eodem tempore excluderetur, adeoque certi quid cum exclusione oppositi de ipsis prædicaretur, & sic indeterminata essent determinata. (§. 129.) Quod est contra primum principium contradictionis. (§. 22.) Relinquitur itaque, ea, quæ sunt indeterminata, adhuc in vaga possibilitate versari. Cum vero a posse ad esse non valeat consequentia, (§. 54.) ab indeterminato ad determinatum itidem non valere consequentiam, intelligis.

EXEMPL. E. gr. Voluntas mea est adhuc indeterminata in relatione ad appetitum hujus libri. Potest ipsum pro diversis circumstantiis appetere,

potest ipsum quoque, accedentibus novis motivis, aversari. Si itaque quæstio mota fuerit, cur appetam hunc librum potius, quam averser, & ego respondebo, quia facultate hunc librum appetendi gaudeo, tunc ab indeterminato ad determinatum concludam. *Conf. Bilfingeri dilucidationes philosophicæ*. §. 82. *seqq.* item ejusdem tr. de *origine mali*. §. 182.

CAPUT X.

De toto, & parte.

§. 137.

PLura, quæ, simul sumta, constituunt unum aliquod ens, dicuntur *partes*; quod autem partibus constat, dicitur *totum*.

SCHOL. Doctrinam de toto, & partibus hic exponendam æstimamus; quia quæ de ente composito in subsequentibus tradentur, sine præmissa doctrina de *toto* intelligi non possunt. Notiones itaque quasdam generaliores primum evolvemus, & varias totius species enumerabimus, deinde his nonnulla theoremata superstruemus.

Totum autem hic consideramus in oppositione ad *partem*; si vero totum consideratur in oppositione ad *mutilum*, tunc totum dicitur id, quod constat ex omnibus partibus debitis.

§. 136. Cum, ubicumque plura simul sumta constituunt unum, ibi sit totum, (§. 137.) intelligitur, pro varietate plurium illorum, quæ constituunt unum, varie quoque dividi posse totum.

§. 139. Si quid constat materia, & forma, & materia adeo, ac forma, tanquam *multa*, consideratæ unum quid constituunt, tunc inde emergit totum *physicum*. Cum vero quid constat ex genere, & differentia, specifica; genus autem, & differentia specifica, tanquam *multa* considerata, unum quid constituunt, inde oritur *totum metaphysicum*

EXEM.

EXEMPL. E. gr. *Homo*, quatenus constat materia, & forma, corpore scilicet & anima, dicitur totum *physicum*. Quatenus vero homo est animal simul, & rationalis; & ex his duobus conceptibus, tanquam pluribus, conceptus hominis constat, tunc homo consideratur, ut *totum metaphysicum*. Ejusmodi autem totum physicum, & metaphysicum generaliori nomine appellatur *totum essentiale*, *quia* constat ex partibus essentialibus, & necessariis, iisque, vel physicis, vel metaphysicis.

§. 140. Cum individua plura, simul sumta, ob similitudinem, constituunt *speciem*, (§. 105. Log.) & plures species, simul sumtæ, ob similitudinem, & quandam convenientiam; constituunt *genus*, (§. 107. Log.) tum genus in respectu ad plures species, ex quibus constat, & species ad plura individua, quæ ipsam efficiunt, dicuntur *totum universale*.

EXEMPL. E. gr. Animal in respectu ad hominem, canem, leonem, gallum, equum, & plura alia, est totum universale. Et homo in respectu ad Cajum, Titium, Semproninm, Paulum, Petrum & alia similia individua, itidem est totum universale.

§. 141. Cum corpora plura, & diversa componunt aliud quoddam corpus A, tunc corpus A; ex pluribus compositum corporibus, vocatur *totum integrale*. Corpora autem illa plura, quæ simul sumta ipsum corpus A, constituunt, dicuntur *partes integrantes*, *seu quantitativa*.

EXEMPL. E. gr. Corpus humanum est totum integrale, quia ex pluribus aliis corporibus, capite scilicet, & trunco, constat, & artus corporis humani dicuntur partes integrantes, sive quantitativæ.

Hoc totum integrale a veteribus Metaphysicis dispescitur in *totum similare*, *sive homogeneum*, & *totum dissimilare*, *sive heterogeneum*. *Totum similare*, *sive homogeneum* vocatur illud, cujus partes

 sunt

ſunt ejuſdem naturæ cum toto. E. gr. vinum eſt totum ſimilare, quia quælibet guttula vini eſt ejuſdem naturæ cum toto vino, adeoque partes vini ſunt *ſimiliares*, ſive *homogeneæ*. *Diſſimilare vero*, ſive *heterogeneum totum* eſt, quod habet partes diverſæ naturæ cum toto: E. gr. Corpus humanum eſt totum aliquod *integrale*, *idque diſſimilare*, *&* *heterogeneum*, quia corpus humanum conſtat ex partibus, quæ plane ſunt diverſæ naturæ, & rationis cum toto, conſtat enim ex capite, trunco, reliquiſque membris.

SCHOL. His addunt nonnulli *totum poteſtativum*. Cum ſcilicet in re aliqua plures potentiæ, & vires reperiuntur, eæque conjunctim ſumtæ unum quid conſtituunt, tum inde reſultat totum aliquod, quod vocant poteſtativum. Sic e. gr. anima conſiderari poteſt, ut *totum poteſtativum*, quatenus in anima facultas intelligendi, judicandi, reflectendi, attendendi, abſtrahendi, ratiocinandi, appetendi denique, & averſandi, ut plura, conſiderantur, ex quibus anima conſtat.

§. 142. Pro diverſa *totius* denominatione diverſimode quoque partes poſſunt denominari. Quæ totum eſſentiale conſtituunt, dicuntur *eſſentiales*, quæ integrale, *integrales*, quæ poteſtativum, *potentiales* &c.

§. 143. *Pars aliquota* eſt, quæ aliquoties repetita toti fit æqualis. E. gr. Numerus ternarius eſt pars aliquota numeri nonarii. *Pars* vero *aliquanta* eſt, quæ aliquoties repetita non fit toti æqualis, e. gr. Numerus ternarius eſt pars aliquanta numeri ſeptenarii.

§. 144. Partes, quæ toti poſſunt ſimul ineſſe, vocantur *actuales*. Quæ vero ſimul ineſſe nequeunt, appellantur *partes poſſibiles*.

EXEMPL. E. gr. Septem unitates, quas numerus ſeptenarius continet, numeri ſeptenarii ſunt partes actuales, ſed, 1, 2, 3, 4, in quæ numerus ſeptenarius poteſt ſolvi, ſunt partes poſſibiles.

§. 145.

§. 145. Multitudo partium, totum constituentium, dicitur *magnitudo*. Ipsum autem totum, quod plures habet partes respectu ejus, quod paucioribus est præditum, appellatur *magnum*. Totum vero, quod pauciores habet partes respectu ejus, quod pluribus constat, nominatur *parvum*.

§. 146. Illud totum, cujus pars alteri toti æqualis est, appellatur *majus*; quod vero parti alterius æquale est, dicitur *minus*.

EXEMPL. Ut hæ definitiones plenius intelligantur, sumas duos libros A, & B. Liber A, est in folio, & liber B, est in forma octava. Liber itaque A, est major libro B. Sed quid ita? Nunc itaque applicentur nostræ definitiones. Si librum A, in partes secueris, tunc efficere poteris, ut pars aliqua libri A, sit æqualis toti libro B. Adeoque vides, *majus* esse illud, cujus pars alteri toti est æqualis. Sumas porro librum B, qui minor est libro A. Hic liber B, tanquam *totum* consideratus, erit æqualis demum parti libri A. Ut adeo *minus* id esse videas, quod, tanquam totum, æquale est alterius parti.

NOT. His notionibus distincte evolutis, nunc perfaciles erunt intellectu positiones generaliores, de toto, & partibus observandæ.

§. 147. *Totum est idem cum omnibus partibus, simul sumtis, & omnes partes simul sumtæ, sunt idem cum toto.*

Demonstr. Cum enim omnes partes, simul sumtæ, constituant ipsum totum, (§. 137.) consequens est, ut totum, & omnes partes, simul sumtæ, sibi, salva omni mutatione, substitui possint. Quæcumque vero sibi, salva omni mutatione, substitui possunt, illa sunt eadem. (§. 94.) E. manifestum est, totum esse idem cum omnibus partibus simul sumtis, & omnes partes simul sumtas, esse idem cum toto.

NOT. Hinc est, ut *VVolfius in Ontolog. Latin. P.* 265. *totum* definiat per unum, quod idem est cum

 mul-

multis, & *partes* dicat esse multa, quæ idem sunt cum toto.

§. 148. *Posito itaque toto, ponuntur omnes ejus partes, & positis omnibus totius partibus, ponitur ipsum totum.*

Demonstr. Cum enim totum sit idem cum omnibus ejus partibus simul sumtis, omnesque partes simul sumtæ, sint idem cum toto, (§. 145.) nemo non intelligit, posito toto, poni omnes ejus partes simul sumtas; & positis omnibus totius partibus simul sumtis, ipsum poni totum.

§. 149. *Quod continetur in parte, continetur etiam in toto, sive pars partis, est quoque pars totius.*

Demonstr. Si enim partes b, c, d, continentur in toto A; partes autem e, f, g, continentur in partibus b, c, d, consequens est, ut partes e, f, g, contineantur quoque in toto A. E. Quod continetur in parte, continetur quoque in toto, sive, quod idem est, pars partis est quoque pars totius.

§. 150. *Omne totum est æquale omnibus partibus suis simul sumtis: & omnes partes, quibus totum constituitur, simul sumtæ, sunt æquales toti.*

Demonstr. Cum totum sit idem cum omnibus partibus simul sumtis, & omnes partes simul sumtæ sint idem cum toto, (§. 147.) idem autem quantum sibi ipsum debeat esse æquale, (§. 124.) palam est, totum esse æquale omnibus suis partibus simul sumtis, & omnes partes simul sumtas, esse æquales toti.

§. 151. *Qualibet pars totius toto est minor.*

Demonstr. Considera quamlibet partem totius, tanquam novum totum. Cum vero omne totum sibi ipsi æquale sit, (124. 150.) consequens est, ut pars totius, tanquam totum considerata, sit æquali parti totius. Id, quod tanquam totum, æquale est parti totius, dicitur *minus*, (§. 146.) sequitur ergo, quamlibet partem totius esse toto minorem.

§. 152.

§. 152. *Totum itaque majus esse qualibet sua parte, hinc potest nullo negotio intelligi.*

Demonstr. Cum enim quælibet pars totius ipso toto sit minor. (§. 151.) consequens est, ut pars totius hujus parti tanquam toti æqualis. Cujuscumque vero pars alteri toti sit æqualis est, illud dicitur *majus*; (§. 146.) E quodlibet totum qualibet sua parte majus est.

NOT. Has positiones, quas pro axiomatibus complures habent, legitime demonstratas, esse, evincemus in scholis nostris, uberius insimul demonstrationes allatas explicaturi.

§. 153. *Dimidium* totius est, quod, bis sumtum, toti est æquale.

§. 154. *Hinc intelligis, dimidia ejusdem totius sibi debere esse æqualia.*

Demonstr. Cum enim dimidia bis sumta, sint æqualia eidem toti, (§. 153.) consequens est; ut dimidia sint æqualia eidem tertio. Quæ eidem tertio æqualia sunt, sunt sibi ipsa æqualia. (§. 225.) E. dimidia ejusdem totius sibi æqualia esse debere, patet.

CAPUT XI.

De ente singulari, & universali.

§. 155.

ENs *singulare*, seu individuum dicitur, quod omnimode est determinatum.

SCHOL. *Omnimode* autem *determinatum* dicitur ens aliquod, cum ita est determinatum, ut alio modo determinari nequeat. Unde intelligitur, cur ens singulare, sive individuum, de se tantum, nec ullo alio, dici queat. Si enim de alio dici posset, alio modo determinari posset.

NOT. Ut hæc intelligantur plenius, consideres hanc, quam coram intueris, mensam. In hac men-

sa omnia ita sunt determinata, ut non aliæ novæ determinationes possint accedere, si hæc mensa manere debeat hæc mensa. Atque ob has omnimodas determinationes hæc mensa non potest de alia quadam mensa prædicari, sed unice de se ipsa dici potest.

§. 156. Cum nihil sit sine ratione sufficienti, (§. 32.) debet quoque quid adesse, ex quo intelligi potest, cur aliquod habeamus pro ente singulari, sive individuo.

§. 157. Id, ex quo intelligi potest, cur ens sit individuum, dicitur *principium individuationis*.

SCHOL. Hoc principium inviduationis dicitur a scholasticis *hæcceitas*, propterea quod ex eo intelligi potest, cur aliqua res præcise hæc res sit, sive quia per principium individuationis res aliqua hæc res constituitur.

§. 158. *Principium itaque individuationis esse omnimodam determinationem eorum, quæ enti actu insunt, ex dictis colligi potest.*

Demonstr. Cum enim individuum constituatur per id individuum, quod sit omnimode determinatum, (§. 155.) consequens est, ut ex omnimoda determinatione intelligi possit, cur res aliqua sit hoc individuum: Id ex quo patet, cur ens aliquod sit individuum, dicitur *principium individuationis*, (§. 159.) E. Omnimodam determinationem eorum, quæ enti actu insunt, constituere principium individuationis, evidens est satisque manifestum.

§. 159. *Quicquid existit, omni modo est determinatum.*

Demonstr. Si enim ens existit, tunc in eo deprehenditur possibilitatis complementum, (§. 51.) adeoque omnis existentia involvit consummatam entis determinationem. Quicquid ergo existit, non potest alio modo determinari. Quicquid non potest alio modo determinari, id omni modo determina-

minatum est. (§. 155.) Et quicquid existit, omni modo est determinatum.

NOT. Hæc mensa, quam coram intueor, existit. In hac itaque mensa ita jam omnia sunt determinata, ut, quamdiu hæc mensa debet esse, & manere hæc mensa, non possint plures determinationes accedere. Fac enim, nondum omnia in hac mensa, quæ existit coram, esse determinata, tunc adhuc supersunt circumstantiæ, & determinationes possibiles, quæ nondum in hac mensa adsunt. Hac ratione hæc mensa, quæ existit, erit *hæc* mensa, (*per hypothesin*), & non erit *hæc* mensa, quia nondum omnes determinationes adsunt, quæ ad *hanc* mensam constituendam requiruntur. Quod ut vides, est contra principium contradictionis. (§. 22.) Atque eandem reliquarum rerum, quæ existunt rationem esse, clarius perspicies, si quodlibet eorum, quæ existunt, attente consideraveris.

§. 160. *Quicquid existit, est ens singulare, & individuum.*

Demonstr. Cum, quicquid existit, sit omni modo determinatum (§. 159.) id autem quod omni modo determinatum est, sit ens singulare, sive individuum (§. 155.) consequens est, ut quicquid existit, sit ens singulare, sive individuum.

§. 161. Quicquid itaque non omni modo determinatum est, illud non existit.

§. 162. Enti singulari, sive individuo opponitur ens *universale*, quod omnimode determinatum non est, seu, quod, ob determinationes intrinsecus, communes pluribus singularibus, de pluribus prædicari potest.

EXEMPL. E. gr. in spiritu, qua tali, non concipimus, nisi intellectum, & voluntatem, non dum omnia determinata sunt, quæ in spiritu determitari possunt. Potest enim spiritus de anima, de Angelis, de Deo, prædicari. Adeoque spiritus est ens universale, oppositum ens singulari,

lari, quippe quod tantum de seipso, non vere de aliis pluribus, prædicari potest. (§. 155.)

§. 263. *Universale, ut universale, existere non potest.*

Demonstr. Cum, quicquid existit, sit omni modo determinatum, (§. 159.) universale autem non sit omni modo determinatum (§. 162.), consequens est, ut universale, tanquam universale, existere nequeat.

EXEMPL. E. gr. Animal, ut animal, existere nequit. Si enim animal, ut animal, existere deberet, tunc existere deberet ens, quod viveret, & sentiret. (Hæc duo enim universalis *animalis* notio involvit.) Adeoque nulla alia determinatio accedere deberet. Sed dic, ubi locorum unquam exstiterit, aut existat etiam nunc ens, quod tantummodo vivat, & sentiat, nullisque præterea aliis determinationibus & circumstantiis involutum exhibeatur.

Quamvis vero universalia, ut universalia, non existant, insunt tamen individuis, & singularibus, e quibus, inter se comparatis, per abstrahendi artem eruuntur. *Conf. Log. p.* 179.

SCHOL. Ex hoc intelligi potest, & decidi controversia illa, quæ olim inter scholasticos, quorum alii *nominales*, alii vero *reales* vocabantur, fuit agitata: *Num scilicet universalia sint res, an mera nomina*) Si per res idem intelligi volunt, quod nos vocamus individua, omni modo determinata, manifestum est, non posse non universalia, in quibus non omnimoda conspicitur determinatio (§. 162.) nominibus annumerari. Si autem id *reale* esse conceditur, quod aliquo modo determinatur, intelligitur, universalia inter realia posse referri.

§. 264. Id, in quo plura entia singularia, sive individua, perpetuo conveniunt, constituit *speciem*, ut adeo speciem recte definiamus per similitudinem individuorum.

EXEM-

EXEMPL. E. grat. Cajus, Titius, Sempronius, Gasparus, Paulus, Petrus, tanquam entia singularia, & individua, sunt ejusmodi, ut ubique deprehendas diversitatem. In hoc tamen conveniunt, quod sint *homines*. Hinc est, ut classem entium constituamus, cui *hominis* nomen imponimus. Quo simul intelligitur, cur notio *hominis* speciem constituat.

§. 165. Si plures species inter se comparaveris, easdemque deprehenderis in nonnullis proprietatibus inter se perpetuo convenire, & similes esse, tum observata illa perpetua similitudo specierum classem quandam constituit superiorem, quæ, species illas sub se complexas, *gentes* vocatur.

EXEMPL. E. gr. Anima, Angeli, Deus, tanquam entia specie diversa, in hoc semper conveniunt, quod sint *spiritus*. Ut adeo spiritus genus constituere recte dicatur.

§. 166. Si plura genera inter se comparantur, id, in quo conveniunt illa plura genera, efficit novum genus, quod vocant *genus superius*. Plura autem illa genera, quæ superius genus comprehendit, dicuntur *inferiora*.

EXEMPL. gr. Animal, & spiritus sunt genera; sed animal, & spiritus in eo conveniunt rursus, quod existant ita, ut vi agendi sint prædita, quod vocamus substantiam, *substantia* itaque est genus superius. Hinc intelligi quoque potest, quod sit *genus summum*. Est id scilicet, in quo omnia alia genera conveniunt. Exempl. gr. Possibile sive ens, est genus summum. Altius enim cogitationibus nostris ascendere non possumus.

§. 167. *Quicquid in specie deprehenditur, id vero non potest non quoque in singulis ejus individuis deprehendi.*

Demonstr. Cum enim species sit individuorum similitudo, (§. 164.) consequens est, ut nihil possit esse in specie, quin simul sit in singulis ejus individuis.

§. 168.

§. 168. *Quicquid generi inest, singulis quoque ipsius speciebus inesse debet.*

Demonstr. Si enim quid inesset generi, quod non inesset singulis ejusdem speciebus; tum genus non posset dici specierum similitudo. Quod est contra §. 165.

EXEMPL. E. gr. *Homini*, tanquam speciei, inest rationalitas; omnibus itaque individuis, quæ species hæc sub se continet; ibidem rationalitas conveniret, necesse est. *Animali*, tanquam generi; competit vita, & sensio; omnibus itaque speciebus; sub hoc genere contentis, vitam, & sensionem tribui debere intelligis.

NOT. Plura de genere, & specie universalibusque poteris demonstrata legere in *institutionibus* nostris *philosophiæ rationis* §. 97. *seqq.*

§. 169. *Non dantur duo individua, quæ sibi in omnibus sunt similia, ita ut in uno non detur, per quod discermi possit ab altero.*

Demonstr. Si darentur duo individua, quorum neutrum ab altero ulla ratione differret, tunc illa duo individua essent unum idemque (§. 94.), adeoque unum idemque bis existere fingeretur; cum vero unum idemque bis existere, contra sensum communem sit, (absurdum enim e. gr. est, ut hæ literæ, in hoc ipso §pho occurrentes, sint eadem, quæ in præcedenti §pho occurerunt) intelligitur, fieri non posse, ut duo dentur individua, quæ in omnibus ita sibi sint similia, ut ab altero alterum discerni nequeat.

SCHOL. Hæc propositio dicitur a Leibnitio *principium identiatis indiscernibilium*. Dissimilitudinem autem omnium rerum existentium Leibnitius demonstravit ex principio rationis sufficientis. Si enim duo existant individua, in omnibus sibi similia, nullam tunc adesse rationem sufficientem, arbitratus est vir perspicacissimus, ex qua possit intelligi, cur existant. Illam enim rationem, ait Leibnitius, nec in individuis, quæ perfecte simi-

lia

lia sunt, deprehendi, nec extra eadem. Si enim existere debeant duo individua, in omnibus sibi perfecte similia, tunc, putat, adesse debere rationem sufficientem, cur alterum in loco A, potius sit, quam in loco B. Hanc autem rationem, negat, deprehendi in ipsis individuis, perfecte similibus, quia ob perfectam similitudinem neutrum altero præstantius sit; neque rationem deprehendi posse extra perfecte similia, existimat Leibnitius. Cum enim individua duo sumantur perfecte similia, nullaque ratione a se invicem discernibilia, consequens est, ut, si quid existit extra duo individua, perfecte similia, quod producat potius individuum A, quam individuum B, & individuum A, potius hoc loco, & hoc tempore, quam individuum B; tunc illud, quod individuum A, potius, quam B, producit sine ratione individuum A, producat, cum individuum B, ob perfectam similitudinem æque producere potuisset. Cum itaque sine ratione sufficiente fieri nihil possit, fieri quoque non posse, contendit Leibnitius, ut existant duo individua, quæ plane sint omnibus similia, nulloque modo discernibilia, *Conf. Leiben Epistola IV. ad Clarckium p. 4. seqq. p. 94. & Epist. V. ad eund. §. 23. seqq. p. 174.* Qua occasione Leibnitus in hoc principium inciderit, disseram uberius in recitationibus. *Conf. Hansch. princip. philosoph. Leibn. p. 81.*

SCHOL. *Cel.Bilfingerus* Leibnitii mentem in *diluc. phil.* his verbis exprimit. „ Suppone, *inquit*, vel finge potius duo in omnibus similia A, & B, quæ solo differant numero, in cæteris omnibus indiscernibilia. Non illa eundem locum occupabunt, si eodem tempore existunt, non existent eodem tempore, si eundem spatii, quod fingitur, absoluti locum occupare supponuntur. Sunt igitur in diversis loco, aut tempore. Nulla est ratio, quare A, sit potius hoc loco aut tempore, quam B. Igitur, sin est, est aliquid sine ratione. Si a Deo suo collocatum est,

„ collo-

„ collocatum erit sine ratione sufficienti ad hoc, ut
„ potius A, quam B, sit hoc loco, aut tempore.
„ Erit igitur aliquid sine ratione.

SCHOL. *Cel. Hollmanus* hanc in rem præclare:
„ Experientia, *inquit*, constat, adeo infinitam fere
„ esse rerum existentium, in primis materialium,
„ & corporearum, varietatem, ut ne duas quidem
„ res singulares, ejusdem speciei deprehendere liceat,
„ quarum determinationes eodem modo utrobique
„ se habeant, &, si vel maxime omnes eodem
„ modo se habere, vellemus supponere, vel solo tamen
„ loco coexistendique modo, semper adhuc inter
„ se differrent. Duæ ergo pluresve res, uti dici vulgo
„ solet, numero inter se differentes, neque, si
„ loci intuitu simul spectentur, dari possunt. Vid.
„ ipsius Institut. Philosoph. primæ §. 255. "

SCHOL. Cæterum hoc Leibnitianum principium mirifice facit ad distinctius intelligendam stupendam, & infinitam rerum in universo varietatem, id quod *VVolfius in Metaphysic.* § 591. ostendit, & ad demonstrandam Dei unitatem vel in primis requiritur, id quod *Canzius* uberius evicit in *usu philosoph.*, *Leibnit. & VVolfiana in Theologia T. I. p.* 156. *seqq.* Conf. Gottschedii dialog. philosophic. de quæstione: *Num plura possunt esse entia infinita?* Hic dialogus annexus est parti I. institut. ipsius philosophic.

CAPUT XII.

De necessario, & Contingente.

§. 170.

DOctrina de *Necessario*, & *Contingente* in ontologicis hoc distinctius est explicanda, quo plura ex notionibus *Necessarii*, & *Contingentis* in cæteris disciplinis, & explicari possunt, & solide demonstrari. Ut vero, quid sit necessarium, quidve con-

contingens rectius intelligi possit; antea, quid sint *opposita*; determinabimus.

§. 171. *Opposita* sunt, quorum unum involvit negationem alterius.

EXEMPL. E. gr. calidum, & frigidum sunt sibi opposita, cum adessentia, sive præsentia calidi inferat negationem frigidi.

SCHOL. Opposita sunt vel *contrarie*, vel *contradictorie*, vel *privative*, vel *relatione* opposita. Quæ eidem enti simul inesse nequeunt, dicuntur contrarie opposita, exemp. gr. calidum, & frigidum. Quæ simul esse non possunt; dicuntur *contradictorie* opposita, exempl. grat. calidum, & non calidum. Ens autem positivum, &, quod rei respondet, privativum nominantur *privative opposita*. Vitæ, exemp. grat. tanquam enti positivo, respondet mors; tanquam ens privativum, vita ergo, & mors sunt privative opposita. Relative autem opposita nihil aliud sunt; quam relata illa, quorum unum non potest esse alterum, exempl. grat. pater, & filius, dominus, & servus.

Ab oppositis differunt *disparata*, quæ naturam habent quidem diversam; inter se tamen non pugnant, exemp. gr. eruditio, & pietas.

§. 172. *Necessarium* est id; cujus oppositum est impossibile, seu contradictionem involvit, (§.42.) sive, quod non potest non esse.

EXEMPL. E. g. bis duo sunt necessario quatuor. Sumas enim oppositum: *Bis duo non sunt quatuor:* & habes apertam contradictionem. Ita quoque necessarium est; *totum esse majus qualibet sua parte.* Sumas oppositum hujus propositionis, & manifesta aderit contradictio sive repugnantia.

§. 173. *Necessarium est, vel absolute, vel hypothetice necessarium.*

Demonstr. Cum enim aliquid impossibile sit, vel in se, & in sua natura, vel certo tantum sub respectu, & conditione, (§. 43.) intelligis, oppositum alicujus rei, vel in se, & sua natura, vel sub

ali-

aliqua conditione tantum contradictionem involvere. Cujuscumque oppositum in se, & simpliciter contradictionem infert, illud dicimus esse *absolute* necessarium. Cujuscumque autem oppositum sub conditione tantum est impossibile, illud dicimus *hypothetice necessarium*. Ut adeo omne necessarium recte dispesci videas in necessarium absolute, & hypothetice tale.

EXEMPL. E. gr. Absolute necessarium est, ut bis duo faciant quatuor, quia oppositum in se, & sua natura est impossibile, sive contradictionem involvit. Ut vero, sole splendente, sit dies, hypothetice necessarium est. Posita scilicet hac conditione, quod sol splendeat, necessarium est, ut sit dies.

NOT. Necessitas absoluta dicitur alias quoque *necessitas essentiæ*, quia essentiæ rerum sunt absolute necessariæ (§. 71.) item appellatur *necessitas metaphysica*, quia metaphysica versatur circa essentias rerum.

NOT. Dicitur præterea necessitas *intrinseca*, quia rebus nihil magis est intrinsecum, quam essentia. *Geometrica* quoque nominatur quoniam hæc necessitas maxime in rebus geometricis deprehenditur. *Logicam* denique hanc necessitatem, memini, vocari, idque procul dubio ideo, quia in Logica definitiones, essentialesque notiones indagantur, & examinantur.

§. 174. Necessitas hypothetica pro diversitate conditionum, quas vocant, necessitantium varia est.

SCHOL. Conditionem autem necessitantem *Cl Bilfingerus* aliam dicit esse *antecedentem*, *aliam concomitantem*, *consequentem* denique aliam. *Conf. dilucid. philos. p.* 47. Ut hæc intelligantur rectius, ad sequentia potissimum volo attendi.

NOT. Novimus, si qua res facta est, tum fieri non posse, ut sit eadem res non facta. Atque non omnia, quæ præterita sunt, *necessario* facta sunt,

eo

eo scilicet respectu, quo supponitur, ea, quæ facta sunt, non posse simul esse infecta. Quæ præteritorum necessitas est hypothetica, & quidem ex conditione actionem consequente.

NOT. Novimus porro, unamquamque rem, dum est, ita esse, ut non possit simul non-esse (§. 22.) Atque adeo quodlibet, dum est, necessario est. Quæ omnium rerum existentium necessitas a Bilfingero vocatur necessitas ex *hypothesi*, sive *conditione concomitante*.

NOT. Novimus denique, experientia edocti, posito splendore solis, tamquam caussa, poni necessario diem, tamquam effectum, & positis in homine vitiis, tamquam caussis, necessario poni funestos eventus, & consectaria perniciosa. Hæc necessitas, qua, posita caussa, non potest non sequi effectus, dicitur a Bilfingero *necessitas ex conditione antecedenti*.

SCHOL. Hanc conditionem antecedentem, ait, vel in ipsam effectus productionem *influere*, ut necessitantem, (e. gr. splendor solis ratione diei est conditio antecedens, influens, & necessitans, effectum) vel *non influere*. E. gr. Præscientia divina, ratione rerum existentium, est conditio antecedens, non influens. Etsi enim, posita Dei præscientia, necessarium est, rem ita fieri, uti præscitur, nihilominus hæc præscientia non influit in res existentes, tanquam caussa in effectus. Res enim non ideo fiunt, aut existunt, quia easdem Deus præscit.

Necessitas *physica*, in regno naturæ, naturalique eventuum consecutione, locum obtinens, itemque *necessitas hypothetica moralis*, in spiritibus reperiunda, a nobis in recitationibus fusius exponetur.

§. 175. *Contingens* dicitur id, cujus oppositum possibile, sive quod aliter esse potest.

EXEMPL. E. gr. Contingens est, quod nunc scri-

 bam

bam, poteram etiam non scribere, poteram meditari, vel librum philosophicum evolvere.

NOT. Contingens quoque nonnunquam sumi solet pro eo, quod est fortuitum, & præter agentis intentionem accidit. Ita contingit, Cajum, dum domum præterit, tegula, ex tecto delapsa, percussum interire. Nos vero sumimus contingens ita, ut opponamus ei, quod est necessarium.

§. 176. *Mutabile* dicitur, quod potest esse aliter: Quod vero minus aliter esse potest, id vero appellamus *immutabile*. Ut adeo nunc intelligas, quod est absolute necessarium, idem, esse *immutabile*, (§. 173.) & quod contingens est, inter *mutabilia* referri debere. (§. 175.)

§. 177. *Existentia entis absolute necessaria, cujus ratio sufficiens in essentia ejusdem continetur.*

Demonstr. Cum omne id, quod rationem sui sufficientem in essentia habet, sit attributum (§. 77.) consequens est, ut entis existentia, cujus ratio sufficiens in entis essentia continetur, sit entis attributum. Quia vero attributa sunt absolute necessaria (§. 80.) sequitur, ut existentia entis sit absolute necessaria, cujus ratio sufficiens in essentia ejusdem continetur.

§. 178. Illud ens, cujus existentia est absolute necessaria, dicitur *ens necessarium*; ut adeo entis necessarii existentiam rationem sufficientem in sua essentia habere, luculentissime intelligas.

SCHOL. Tale ens necessarium esse Deum, in theologia naturali demonstratum dabimus, ubi evincemus plus satis, Deum existere, quia est Deus, ejusque conceptum primum, & essentiam statim inferre existentiam.

§. 179. *Ens necessarium, sive quod existit absolute necessario, rationem sufficientem, cur existit, in semetipso habet.*

Demonstr. Cum enim ens, quod absolute necessario existit, rationem sufficientem, cur existat, in

in sua essentia habeat (§. 178.) essentia autem cujusvis entis sit enti intrinsecum quid, (§. 66.) manifestum est, ens, quod absolute necessario existit, habere rationem sufficientem, cur existat, in semetipso.

§. 180. *Ens itaque contingens* illud est quod existentiæ suæ rationem sufficientem non habet in sua essentia, sive quod rationem suæ existentiæ extra se in ente alio, a se diverso, habet.

NOT. Quicquid scilicet, præter Deum, existit, illud existit contingenter, id quod suo loco evincemus.

§. 181. *Hinc patescit, existentiam entis contingentis non esse attributum ejusdem, sed tantum modum sive accidens.*

Demonstr. Cum enim attributum sit ejusmodi prædicatum rei, cujus ratio sufficiens in rei essentia continetur, (§. 77.) existentia autem entis contingentis rationem sui sufficientem non contineat in ejusdem essentia, (§. 180.) palam est, existentiam entis contingentis non inter ejusdem attributa referri debere. Quia vero entis coningentis existentia est ejusmodi entis contingentis affectio, quæ rationem sui sufficientem in ente alio extra se invenit; (§. 180.) consequens est, ut existentia entis contingentis sit inter ejusdem accidentia referenda. (§. 182.)

§. 182. *Omnia contingentia rationem existentiæ sufficientem debent habere in ente simpliciter, & absolute necessario.*

Demonstr. Nullum ens contingens, cur existat, rationem sufficientem agnoscit in semetipso, alias esset ens simpliciter necessarium (§. 179.) Hinc conficitur, omnia entia contingentia debere habere rationem sufficientem in ente a se diverso. (§. 33.) Ens, quod ab omnibus entibus contingentibus diversum est, est simpliciter necessarium. (Si enim non simpliciter esset necessarium, esse contingens, adeoque ab omnibus entibus contin-

gentibus non esset diversum.) E. omnia contingentia, cur existant, rationem sufficientem agnoscere debent in ente simpliciter, & absolute necessario.

§. 183. Quot itaque dantur entia contingentia, tot prostant luculentia testimonia, dari ens, cujus existentia sit absolute necessaria.

NOT. Hæ positiones, dici vix potest, quantopere nobis inserviant, in demonstranda Dei existentia, id quod suo loco, infra nimirum in Theologia naturali, uberius declarabitur.

§. 184. *Absoluta necessitas repugnat contingentiæ, idque omne, quod est absolute necessarium, non potest esse contingens.*

Demonstr. Quod enim in se, & absolute necessarium est, ejus contrarium in se, & sua natura, constanterque adeo impossibile est: (§. 173.) Cujuscumque vero oppositum constanter impossibile est, ejus oppositum nunquam potest fieri possibile: (§. 22.) Cujuscumque vero oppositum nunquam fieri potest possibile, illud non potest esse contingens. (§. 175.) E. quodcunque est absolute necessarium, non potest esse contingens, absolutaque adeo necessitas repugnat contingentiæ.

§. 184. *Id, quod hypothetice necessarium est, in se est contingens; ut adeo necessitas hypothetica, contingentiam neutiquam tollere censenda sit.*

Demonstr. Si enim quod hypothetice necessarium est, ejus oppositum nonnisi sub conditione sive hypothesi data impossibile est, (§. 174.) adeoque, absente conditione, sive hypothesi, oppositum est in se possibile. Illud, cujus oppositum est possibile, dicitur *contingens*. (§. 175.) E. quod hypothetice necessarium est, est in se contingens.

SCHOL. Poterat hoc theorema apogogice sive per indirectum ita quoque demonstrari: Ponamus, id quod hypothetice necessarium est, non esse contingens in se, tunc ejus, quod est hypothetice necessarium, oppositum nunquam erit possibile, (§. 175.)

(§. 175.) adeoque constanter in se, & sua natura contradictionem involvet. Hac ratione id, quod est hypothetice necessarium, erit simul absolute necessarium. (§. 173.) Quod cum sit absonum, (§. 22.) intelligis, id, quod hypothetice necessarium est, esse in se contingens, simulque perspicis hinc rationem, cur, hypotheticam necessitatem evertere contingentiam, negemus, & pernegemus.

SCHOL. Ut propositio præsens, multi omnino usus magnique momenti, intelligatur facilius, habeto exemplum. Hypothetice necessarium esse, jam supra affirmavimus, (§. 164.) ut sole splendente, radiosque suos nobiscum communicante, dies sit, sed tollas hypothesin, sub qua necessarium est, ut sit dies, tollas solis splendorem, oppido, diei oppositum in se possibile esse, animadvertes. Ut adeo, dici licet existentia hypothetice necessaria sit, in se tamen eandem contingentem esse, quivis facillime perspicere queat.

CAPUT XIII.

De ordine, Veritate metaphysica, & Perfectione.

§. 186.

Generaliores quædam entis affectiones adhuc restant explicandæ, inter quas maxime considerari merentur *veritas metaphysica*, & *perfectio*. Ut vero, quæ de veritate non minus, quam perfectione, exponenda sunt, rectius queant faciliusque intelligi, prius ordinis notionem ita evolvemus, ut, & pateat, quæ sit ordinis natura, & indoles, & deinceps, quid ad veritatem requiretur, ex dictis possit intelligi.

§. 187. Illam similitudinem, quæ obvia est in modo, quo res juxta se invicem collocantur; vel

se invicem consequitur, cum *Wolfio* dicimus *ordinem*. *Conf. ejus Ontolog. Lat.* §. 471.

EXEMPL. E. gr. In biliotheca, dicimus, libros esse ordine dispositos, cum scilicet ita eos juxta se invicem collocatos, deprehendimus, ut adsit aliqua similitudo sive notarum characteristicarum identitas, (§. 103.) in modo, quo juxta se invicem collocantur. Si nimirum forma externa, & ligatura quandam inter se similitudinem habent, st., qui simile tractant argumentum, eodem reponuntur loco, si denique in ipsis editionibus convenientia conspicitur, tum vero ordinem in ejusmodi bibliotheca admiramur.

SCHOL. Quæ Cel. Rudigerus *in reciprocam opinionem essentiæ animæ, & Spiritus* p. 128. contra hanc notionem *ordinis* monuit, ea a me confutata leges in *philosophia definitiva p.* 85. *seqq.*

§. 188. *Confusionem* itaque sive *inordinationem*, vi oppositorum, intelligis, nihil esse aliud, quam dissimilitudinem, quæ obvia est in modo, quo res juxta se invicem collocantur, vel se invicem consequuntur.

EXEMPL. E. gr. Cum in bibliotheca ita libros reperis esse dispositos, ut cum rationes argumenti, quod tractant, tum ratione formæ externæ, & ligaturæ, nulla apparet similitudo tum dicimus, adesse confusionem in bibliotheca.

§. 189. *In omni ordine debet quid adesse, in quo, varia, vel coexistentia, vel sibi invicem succedentia, sint sibi similia.*

Demonstr. Cum enim omnis ordo constituatur similitudine, quæ obvia est in modo, quo plura sibi vel coexistunt, vel se invicem sequuntur, (§. 187.) intelligis, in omni ordine debere quid adesse, in quo varia, vel coexistentia, vel sibi invicem succedentia, sint sibi similia.

§. 190. Id, in quo varia sunt sibi similia, dicitur *regula ordinis*.

EXEMPL. E. gr. Si in bibliotheca quapiam libros ordi-

ordine dispositos dicis, idque ideo, quia libri omnes, juxta se invicem collocati, sunt ratione ligaturæ sibi similes, tunc ligatura est id ipsum, in quo varii libri, juxta se invicem positi, conveniunt. Similitudo itaque ligaturæ est, hoc quidem in casu, regula ordinis, & ratio sufficiens, cur in bibliotheca ordinem adesse affirmes.

§. 191. *In omni ordine debet adesse regula ordinis.*

Demonstr. Cum enim in omni ordine debeat quid adesse, in quod varia, vel coexistentia, vel sibi invicem succedentia, sint sibi similia, (§. 189.) id autem, in quo varia, vel coexistentia, vel sibi invicem succedentia, sunt sibi similia, constituat *regulam ordinis*, (§. 190.) patet, in omni ordine debere adesse regulam ordinis.

Poterat hæc propositio ita quoque demonstrari: Cum nihil fit sine ratione sufficienti, (§. 32.) ratio quoque sufficiens adesse debet, cur affirmemus, ordinem potius adesse, quam confusionem. Illa ratio sufficiens, ex qua intelligi potest, cur affirmemus, ordinem potius adesse, quam confusionem, id ipsum est, quod vocare consuevimus *regulam ordinis*. Ergo in omni ordine adesse debere regulam ordinis, perspicuum est.

§. 192. Ubi una tantum adest regula ordinis, ibi *ordinem simplicem* adesse, affirmamus: ubi vero plures adsunt regulæ ordinis, ibi adest *ordo compositus*.

EXEMPL. E. gr. Cum in biliotheca libri, juxta se invicem collocati, tantum ratione *formæ externæ* sunt sibi similes, diversa vero tractant argumenta, & in aliis pluribus determinationibus a se invicem differunt, tum ordinem simplicem in bibliotheca deprehendimus. Si vero (α) *ratione formæ externæ, & ligaturæ*, (β) *ratione argumentorum*, (γ) *ratione editionum*, libri, juxta se dispositi, convenerint, tum ordo in illorum dispositione deprehenditur compositus.

§. 193. Ex quo facillime negotio intelligis, hoc majorem esse ordinem, quo plures adsunt ordinis regulæ, & ordinis gradus recte ex copia ordinum simplicium æstimari.

§. 194. *Potest in rebus, juxta se invicem dispositis, alio respectu adesse ordo, alio vero respectu inordinatio sive confusio.*

Demonstr. Cum enim omne simile sit etiam dissimile, (§. 169.) intelligitur, posse in pluribus rebus, juxta se invicem collocatis, alio respectu adesse similitudinem, adeoque ordinem, (§. 187.) alio vero respectu in iisdem posse locum obtinere dissimilitudinem, adeoque confusionem sive inordinationem (§. 188.).

EXEMPL. E. gr. In bibliotheca adest eatenus ordo, quatenus libri ita sunt dispositi, ut conveniant ratione *formæ externæ*. Potest vero eodem tempore, qua ratione formæ externæ, in librorum dispositione, ordo deprehenditur, insignis adesse confusio, si rationem sc. habueris argumentorum, quæ sunt dissimilia.

§. 195. Ordo cæterum rei alicujus potest cognosci *vel* a priori, dum (*a*) regulam ordinis cognoscimus, (*β*) ex illa ipsa regula cognita varia determinamus, *vel* a posteriori, dum varia inter se comparamus, ut similitudine rerum inventa, hoc modo ipse inveniatur ordo.

§. 195. *In iis, quæ existunt, reperitur ordo.*

Demonstr. Cum nihil sit sine ratione sufficienti, (§. 32) intelligis, in omnibus, quæcumque tandem existunt, eam reperiri similitudinem, ut fiant principio rationis sufficientis conformiter. Illa similitudo, quæ in omnibus existentibus deprehenditur, eorumdem *ordinem* conficit, (§. 187.) E. in existentibus ordinem esse, deprehendis.

SCHOL. Atque hæc similitudo, hic ordo, per quam omnia existentia rationem sufficientem sui habent, est commune illud criterium, per quod, & vulgus, & philosophus, discernunt fictiones, & phan-

& phantasmata, in somniis obvia, ab eventibus, qui nobis vigilantibus revera accidunt. *Somnia*, inquit Bilfingerus in dilucidat. (162.) *inde agnoscimus, & negamus factam esse rem, sed esse visam solum fieri, quando hiat alicubi nexus rerum; si res illæ, quæ videntur fieri, vel sui rationem sufficientem non habent in visis anterioribus, vel inter sese non habent suæ successionis rationem sufficientem, vel visa posteriora non habent in ipsis. Sin phænomena sint ejusmodi, ut antecedentia semper rationem in se habeant sufficientem consequentium, judicamus, illa revera sic existere.*

§. 197. Hinc est, ut *veritatem metaphysicam* definiamus per ordinem talem, per quem quodlibet habet rationem sufficientem sui: VVolfius in *Ontolog. Lat.* §. 495. veritatem, quæ *transcendentalis* appellatur, & rebus ipsis inesse intelligitur, definit per ordinem in varietate eorum, quæ simul sunt, ac se invicem consequuntur. Item brevius: veritas est ordo eorum, quæ enti conveniunt.

SCHOL. Dum de veritate, eaque metaphysica, hic sermo est, differentiam inter *veritatem existendi*, & *veritatem essendi* observari volo. *Veritatem existendi*, (quia quid revera existit, non vero fingitur) facile intelligis, ita debere explicari, ut involvat ordinem ejusmodi, per quem quodlibet rationem sui sufficientem habet. Quicquid enim revera existit, id debet habere rationem sufficientem, cur existat potius, quam non existat. (§. 32.) *Veritatem essendi* definiebant veteres scholastici per eam affectionem, qua res habet, quæ ipsius essentiæ, & naturæ debentur. E. gr. Aurum est verum aurum, (*veritate essendi*) cum omnia ea habet, quæ ad naturam essentiamque auri debitam requiruntur. Hæc definitio scholasticorum non videtur contradicere VVolfianæ. *Res enim*, inquit, *Scholosserus in differt. Epistol. ad Hoheisel. de Ideis p. 23. tum habet essentiam debitam,*

tam, si is ibi observetur ordo, ut principio rationis sufficientis conformiter omnia fiant, atque adeo secundum hanc similitudinem omnia ordine suo ex natura entis sequantur, ita, ut ex conceptu quodam primario concipere possis attributa reliqua, & modorum adsit etiam ratio, in aliis quippe rebus extraessentialibus.

§. 198. *Ens verum* est, in quo datur veritas.

Fortasse videtur tibi hæc definitio synonymica. At, cum, quid sit veritas, jam in antecedenti §. explicatum sit, definitionem hanc non esse synonymicam, intelligis. Con. Log. §. 163.

§. 199. *Omne ens est verum.*

Demonstr. Cum *veritas* consistat in ordine, per quem quodlibet habet rationem sufficientem sui, (§. 197.) omne autem ens sit ejusmodi, ut habeat rationem sui sufficientem, (§. 32.) intelligitur, in omni ente dari veritatem. Ens, in quo datur veritas, dicitur ens verum, (§. 198.) E. omne ens est verum.

Poterat hæc propositio ita quoque per indirectum demonstrari: Ponamus, dari ens, quod non sit verum ens, tunc dabitur ens, quod non id omne habet, quod ens habere debet (§. 197.). Atque adeo ejusmodi ens, erit ens, (*per hypothesin,*) & non erit ens, quia non id omne habet, quod ens habere debet. Cum vero absonum sit, & contradictorium, esse aliquid simul ens, & non-ens (§. 22.) absurdum quoque est, ut detur ens, quod non sit verum. E. omne ens debet esse verum.

NOT. Unde intelligitur, nullum falsum in rerum natura existere, si falsum scilicet dixeris id, quod non habet essentiam debitam. At falsum, inquis, datur aurum. Nego. Aurum, quod falsum dicis esse aurum, aut est aurum, aut non est aurum. Si est aurum, habet necessario omni auri requisita, adeoque non est falsum aurum. Si non aurum, erit vel cuprum, vel orichalcum, vel

aliud

aliud metallum. Atque hac ratione erit verum cuprum, verum orichalcum, vel aliud quoddam verum metallum.

§. 200. Ex his denique intelligitur, fontem omnis, quæ datur in rebus, veritatis esse principium rationis sufficientis, (§. 197.) ut adeo, sublato principio rationis sufficientis, tollatur, quæ rebus inest, veritas.

SCHOL. Atque hæc est ratio, cur cum Leibnitio alii, inter quos Thummigius, vel ideo principium rationis sufficientis concedendum esse, ajant, quia alias discrimen inter somnium, & veritatem tolleretur, Conf. ea, quæ supra §. 32. seqq. *de principio rationis sufficientis* a nobis copiose sunt disputata.

§. 201. Cuilibet rei, in qua varia, sive plura occurrentia ita consentire, & conspirare quasi deprehendimus; ut ad finem, ad quem res condita est, assequendum sufficiant, tribuimus *perfectionem*. Hinc perfectionem definiunt quidam per sufficientiam ad finem.

§. 202. Cum qua notione perfectionis apprime convenit *VVolfii* definitio, qui perfectionem definit per consensum in varietate, seu plurium a se invicem differentium in uno. *Consensum* vero, dicit, esse nihil aliud, quam tendentiam ad unum aliquod obtinendum.

NOT. Hæc definitio VVolfii nonnullis vehementer displicuit, quæ tamen contra illam moveri solent dubiola, vix merentur solutionem. *Conf.* interim *philosophia mea difinitiva pag.* 88. ubi ad nonnullas exceptiones responsum esse, videbis.

SCHOL. Ut interim hæc definitio rectius capiatur, auctor exstiterim cuique, & suasor, ut singulos consideret attentius, & percurrat casus, in quibus rei alicui tribuimus perfectionem, videatque insimul, num hæc definitio applicari queat. Mihi certe, diligentius, meditanti, nondum oc-

currit perfectionis exemplum, in quo præsentem definitionem non oppido, & commodissime potuerim applicare. Unum alterumque exemplum ad illustrandam hanc definitionem adferemus. *Reipublicæ* e. gr. tribuimus tum perfectionem, cum in eadem varia, actione scilicet principis, & subditorum, eo conspirant, & eo tendunt, ut tranquillitas publica obtineatur, & conservetur. *Horologio* tribuimus itidem perfectionem, cum varia in horologio, omnes scilicet catenulæ, omnes rotæ, omnesque rotarum motus eo tendunt, eo collineant, ut finis horologii, indicium scilicet horarum, obtineatur.

§. 203. *Imperfectionem* in aliqua re deprehendimus tum, cum varia, in re obvia, fuerint ejusmodi, ut fini rei adversentur, & contradicant. *Imperfectionem* itaque *VVolfius* definit per dissensum in varietate seu plurium a se differentium in uno.

EXEMPL. E. gr. Cum in republica varia, actiones nimirum principis, ac subditorum, fini reipublicæ, scil: tranquillitati publicæ, contrariantur, cum princeps crudeliter in subjectos sævit, cives autem omne ob equium detrectant; tum nemo non hæc omnia pro reipublicæ imperfectionibus habebit. Horologium item imperfectum est, si qua in ejus structura occurrunt, quæ obstant, quo minus horæ singulæ accurate indicentur. *Conf. VVolfii Ontol. Lat.* §. 504.

§. 204. Apparet hinc, ad omnem perfectionem requiri (α) *principium perfectionis*, sive finem aliquem, & scopum, ad quem varia in re, quam perfectam esse dicimus, tendant. Hoc principium perfectionis, in quo plura in re quapiam consentiunt, dicitur a VVolfio quoque *ratio determinans perfectionis*. (β) Ad perfectionem requiruntur *plura*, quamvis non realiter a se invicem semper distincta; interim tamen, ut plura, a nobis repræsentata. (γ) Adsit *consensus* plurium cum principio, sive ratione determinante perfectionis, sive, quod

quod idem eſt, harmonia plurium cum fine aliquo, & ſcopo communi.

EXEMPL. E. gr. Principium perfectionis mundi eſt manifeſtatio gloriæ divinæ, varia illa in mundo obvia, ad hunc finem tendentia, ſunt corpore mundi totalia, & partialia, conſenſus eſt nexus rerum ſimultanearum, & ſucceſſivarum.

§. 205. Si principium vel ratio determinans perfectionis adfuerit unica, tum *perfectionem* adeſſe *ſimplicem*, dicimus. Cum vero plura perfectionis principia, adeoque plures perfectiones ſimplices in aliquo ente obveniunt, tum vero adeſt *perfectio compoſita*. Ut adeo perfectio compoſita ex conſenſu multarum ſimplicium perfectionum oriri recte dicatur.

EXEMPL. E. gr. Cum horologium ita fuerit conſtructum, ut in eo conſpiciatur partium rotularumque omnium conſenſus ad id, ut horæ tantum indicentur, habes hoc in caſu perfectionem horologii ſimplicem. Si vero conſenſus partium in horologio non modo id efficit, ut horæ indicentur, ſed quoque, ut ſingula minuta, ſinguli quoque dies menſis cujuſvis, manifeſtentur, tum vero perfectio horologii eſt compoſita, quia plures adſunt fines, & ſcopi qui per ſtructuram, partium, in horologio apte cohærentium, & amice conſpirantium, obtinentur.

§. 206. Quo itaque *plures* adſunt perfectiones *ſimplices*, compoſitam conſtituentes, quo item *exactius* plura in ente aliquo conſentiunt, & conſpirant cum fine, & ſcopo ſive principio perfectionis, hoc major eſt perfectio.

§. 207. Experientia nos condocet, ſæpius uſu venire, ut perfectiones ſimplices, compoſitam conſtituentes, earundemque regulæ ſive principia inter ſe pugnent. Quod cum ſit, fieri autem, ut dixi, experientia teſte, perſæpe ſolet, plures regulæ dicuntur inter ſe *collidi*.

EXEMPL. E. gr. Eruditionem sibi in academia acquirere, mentemque literarum studiis ita excolere, ut patriæ aliisque, nobis item, sapiamus, est, nemine dissentiente, perfectio. Opum suarum nullam pati jacturam, easque partes conservare; itidem perfectio est. At mentem nostram literarum studiis excolere vix possumus, opesque ingenii ægre augebimus, nisi sumtus impenderimus. Vides hic, duas perfectiones pugnare, & inter se collidi; cujus quidem perfectionum collisionis exempla plura, eaque perquam luculenta, in ipsis prælectionibus adducemus.

§. 208. Quia ea, quæ inter se pugnant, simul esse non possunt, (§. 22.) opus est, ut, si utraque perfectio simul obtineri nequit, vel regularum perfectionis altera præferatur, & negligatur altera, vel ut utraque ex parte negligatur, ex parte autem retineatur. Neglectus hic alterutrius regulæ perfectionis vocatur *exceptio a regula perfectionis*. Quæ exceptio a regula perfectionis, ex collisione plurium regularum oriunda, ita definitur a *VVolfio in Ontolog. Lat.* §. 510. *Exceptio* est determinatio, regulæ contraria, ob regularum simul observandarum collisionem facta.

EXEMPL. Fac e. gr. Cajum vulnus accepisse in crure, quod sit immedicabile, ipsumque adeo in vitæ discrimen adducat, nisi ipsum crus chirurgorum instrumentis resecetur. Quid tunc Cajus? Novit regulam, magistra recta ratione, dudum in mente ipsius alte impressam: *Membra sunt integra conservanda, neque adeo resecanda*. Sed non nescit alteram quoque: *Vitam tuam conserva*. Si itaque Cajus, vitam sine cruris abscissione, & jactura servari non posse, videt, oppido illud a corpore abscindendum curat, tantum, ut vitam servet. Exceptionem hic facit Cajus a regula priori, propterea quod ipsius actiones, & determinationes huic regulæ: *Membra sunt integra conser-*

van-

vanda, *nec resecanda*, plane sint contrariæ, idque propter regularum simul observandarum pugnam sive collisionem.

§. 209. Quotiescumque ob regularum, simul observandarum, pugnam sive collisionem exceptio a regula perfectionis instituenda, toties, si quidem ducem rectam rationem sequi voluerimus, ita eam instituemus, ut maximam totius perfectionem obtineamus, sive ut majus bonum præferamus minori.

Absonus profecto mentisque valde inops existimaretur ille mercator, qui, si, coorto turbinæ maris, vitam suam sine mercium jactura, & projectione in mare servari non posse videret, vitam mallet, quam merces, perdere.

§. 210. Si in regularum plurium collisione, vel pugna minimum admittatur exceptionis, nihilominusque finis obtineatur, & scopus, tum vero magnam hinc emergere perfectionem totius, per se patet.

NOT. Hinc est, ut, præter ea, quæ jam §. 206. de perfectionis gradu determinando dicta sunt, ex hoc quoque alicujus rei perfectionis gradum æstimare soleamus, si minimum scilicet exceptionis fuerit admissum.

§. 211. *Ubi unica tantum adfuerit regula perfectionis, ibi exceptioni non est locus.*

Demonstr. Cum enim omnis exceptio a regula perfectionis oriatur ex collisione regularum, (§. 208.) collisio autem, sive pugna regularum perfectionis, locum habere nequeat, nisi adfuerint plures regulæ pugnantes, (§. 207.) intelligis, ubi unica adfuerit regula perfectionis, ibi exceptioni non esse locum.

§. 212. *In perfectione itaque simplici, exceptio nulla esse potest, quamvis in perfectione composita locum exceptio habere queat.*

Demonstr. Cum enim, ubi unica est regula perfectionis, ibi exceptio locum habere nequeat, (§. 211.)

211.) in perfectione autem simplici unica tantum regula perfectionis locum habeat, (§. 205.) manifestum est, in perfectione simplici nullam posse esse exceptionem a regula perfectionis. In perfectione composita plures adsunt regulæ perfectionis, (§. 205.) ubi vero plures adsunt regulæ perfectionis, ibi locum habere potest collisio, sive pugna regularum, (§. 207.) ubi locum habere potest pugna, sive collisio regularum, ibi locum habere potest exceptio a regula perfectionis (§. 208.) E. in perfectione composita locum habere potest exceptio.

§. 213. *Ex exceptione oritur defectus, non verus ille quidem, sed tantum apparens.*

Demonstr. Cum enim in omni exceptione determinationes habeas regulæ contrarias, (§. 208.) determinatio autem regulæ contraria, hoc quidem loco, a nobis dicatur *defectus*, consequens est, ut ex exceptione oriatur defectus. Quia vero ille defectus evitari non potest, propter regularum, simul observandarum, collisionem, defectum illum apparentem esse, vides.

§. 214. *Ex exceptione a regula perfectionis oritur imperfectio in parte, salva tamen totius perfectione.*

Demonstr. Cum enim ex exceptione a regula perfectionis oriatur defectus, (§. 213.) defectus autem consensus variorum cum fine constituat *imperfectionem*, (§. 203.) intelligitur, ex exceptione a regula perfectionis oriri imperfectionem. Hæc tamen imperfectio non est in toto, (exceptio enim ita potest institui, ut maxima totius perfectio obtineatur) E. erit in parte. E. exceptionem, intelligis, parere imperfectionem in parte, salva totius perfectione.

§. 215. Ex quo conficitur, imperfectionem partis ex exceptione illa resultantem, facere posse ad majorem totius perfectionem. Quod tamen non ita volo accipi, ac si ex imperfectione partis in se, & sua natura accedat quicquam perfectioni totius

totius, sed aliunde dependet praerogativa perfectionis in toto, quae tamen non adesset, nisi imperfectio in parte fuisset admissa.

EXEMPL. Ut facilius intelligar, suppeditabo exemplum perspicuum. Fac, mercatorem, maris aestu, & fluctibus agitatum, merces projicere in mare, ut vitae suae consulat. Negligit hic mercator, ut vides, alteram perfectionis regulam, ut observetur altera, & retineatur. Adeoque admittit imperfectionem in parte, (imperfectio enim est, jacturam mercium, & opum facere,) ut obtineatur perfectio totius, sive, ut altera conservetur. Non autem dependet vitae conservatio a mercium jactura, & projectione in mare, tanquam caussa efficiente, sed vita non potuisset conservari, nisi antecessisset saltem, ut conditio sine qua non, mercium projectio, & navis exoneratio.

§. 216. *Perfectio essentialis* est, quae continetur consensu determinationum essentialium. *Perfectio* autem accidentalis est, quae facit consensum determinationum accidentalium cum essentialibus.

§. 217. *Omne ens gaudet perfectione essentiali.*

Demonstr. Cum enim omne ens sua gaudeat essentia, (§. 69.) adeoque attributis etiam, cum essentia necessario, & indivulso nexu conjunctis, (§. 77.) haec autem omnia, tanquam determinationes essentiales, eo tendant, & in eo conspirent, ut ens praecise sit ens, non vero non-ens, ut ens sit hoc ens, nec aliud ens, (§. 66.) intelligitur, omne ens gaudere sua perfectione essentiali (§. 216.).

SCHOL. Hanc essentialem perfectionem vocabant scholastici *bonitatem metaphysicam*. Hinc intelligis, cur, *omne esse ens bonum*, contenderint iidem, negaverintque, quicquam metaphysice malum in rerum natura existere.

§. 218. Caeterum observes, perfectionem rerum vel ita (1) cognosci, ut detegamus regulam sive principium perfectionis, (2) ex illo principio per-

fectionis determinemus varia; quomodo debeant esse comparata; ut cum principio, & regula perfectionis consentiant, & conspirent, vel ita cognoscimus perfectionem, ut (β) varia alicujus rei cognoscamus, iisque inter se collatis, principium quoque perfectionis sive regulam cognoscamus. In illo casu dicimur cognoscere perfectionem a *priori*; in hoc vero a *posteriori*.

NOT. Maxime autem in operibus artis perfectiones rei cognoscimus a *priori*. In horologio e. gr. (α) de regula sive principio, & fine solliciti sumus, ad quem varia in horologio tendere debent, (β) dispicimus, num varia in horologio ita consentiant, & ita inter se conspirent, ut finis horologii, horarum scilicet indicium, obtineatur. In operibus autem naturæ cognoscendis, & detegendis perfectionibus ita versamur, & ita procedimus, ut (α) varia, in ente obvia, inter se comparemus, iisque inter se comparatis, (β) finem, scopum, & principium perfectionis cognoscamus.

CAPUT XIV.

De ente composito.

§. 219

UNiversalibus notionibus entisque affectionibus jam jam explicatis, nunc ad specialiorem entium considerationem accedimus. Cumque omne ens jam a veteribus in ens compositum, & ens simplex fuerit distributum, a composito ordimur, quia ex composito simplex infra demonstrabitur. Ita autem hoc in capite doctrinam de ente composito tradémus, ut, generalia exponamus principia, & positiones demonstremus universaliores, quæ in cosmologia itemque in physicis, cum natura, & affectiones corporum explicandæ sunt, multo nobis usui sunt futuræ.

§. 220.

§. 220. Ut vero, quæ de ente composito dicenda sunt, intelligantur facilius, primo quidem loco, quid sint *res*, *extra se invicem posita*, definiemus.

§. 221. Cum rei alicujus nobis sumus conscii; tamquam a nobis distinctæ, & diversæ, tum illam rem *extra nos ponimus*. Ea autem *extra se invicem poni* dicuntur, quæ cogitamus, tamquam a se diversa, & distincta.

EXEMPL. E. grat. Cum Mævium tibi repræsentas, illum extra te ponis, quia illum diversum a te repræsentas. Mævium porro, & Titium extra se invicem ponimus, quia Mævium a Titio distinctum concipimus. Ita quoque in hac mensa unam mensæ particulam extra aliam ponis; quatenus scilicet quamlibet mensæ particulam ab alia distinctam tibi repræsentas.

§. 222. Illud ens; quod ex pluribus, a se invicem distinctis, seu contra se positis, partibus constat, dicimus *ens compositum*.

EXEMPL. E.gr. Menta, liber, sunt entia composita. Constant enim ex pluribus partibus, a se invicem distinctis, seu extra se positis.

NOT. Compositum hoc, quod definivimus, quodque in libris philosophicis stricte; & κατ' ἐξχὴν compositum dicitur, appellamus compositum reale, sive physicum. Quod ipsum compositum reale distinguitur a *composito rationis*.

SCHOL. Est autem *compositio rationis* sive *logica*, cum plura; tamquam a se invicem distincta, in ente quopiam mente concipiuntur; quæ tamen realiter a se invicem distincta non sunt. E. gr. Cum in Deo attributa omnia, quæ sunt ipse Deus, tamquam plura, a se invicem distincta, & extra se posita, repræsentamus, tunc illa compositio, qua Deus ex pluribus attributis componi videtur, dicitur compositio *rationis*, *sive logica*.

§. 223. Hinc evidens est, compositum per certam plurium, a se invicem distinctarum, partium

combinationem fieri compositum, &, ut alia aliave est partium conjunctio, ita inde emergere aliud aliudve compositum, ex definitione, §. 222. suppeditata, constare potest.

§. 224. *Essentia compositi consistit in modo compositionis talium partium, quibus constat compositum.*

Demonstr. Cum enim essentia rei sit id, per quod præcise res aliqua hæc res est, & non alia, (§. 66.) per partium autem combinationem, sive, quod idem est, per modum compositionis partium, quibus constat compositum, compositum sit præcise compositum, nec aliud quid, &, ut alia aliave adest combinatio partium sive modus compositionis, ita aliud, aliudve inde emergat ens compositum (§. 223.), consequens est, ut essentiam compositi in modo compositionis talium partium, quibus constat compositum, recte constituamus.

EXEMPL. Ut facilius intelligar, exemplum suppeditabo perspicuum. Nosti, horologium, & molendinum esse entia composita, plane a se diversa. Dic vero, quid est illud tandem, per quod horologium præcise est horologium, nec potius molendinum? Per quod; quæso, horologium a molendino, & molendinum ab horologio semper, & ubique discernitur? Nonne per internam partium combinationem, & structuram diversam? Quia scilicet alius est modus compositionis in horologio, alius in molendino, fit inde, & molendinum non habeas pro horologio, nec horologium credas esse molendinum, sed per modum compositionis partium diversum, structuramque diversam hæc duo entia composita distinguas.

§. 225. Essentiam itaque compositi is demum perspicere recte existimatur, qui cognoscit, quales sint in composito partes, quove modo partes illæ sint inter se combinatæ, & connexæ.

§. 226. *Quæcumque composita sunt ejusmodi, ut simi-*

simili gaudeant structura, similemque modum compositionis habeant, illa sunt sibi similia.

Demonstr. Quæcumque enim composita eadem structura gaudent, similemque compositionis modum habent, illa habent essentiam similem, sive eadem (§. 224.) quæcumque essentiam similem, sive eandem habent, illa sunt sibi similia (§. 117.), E. quæcumque composita sunt ejusmodi, ut simili gaudeant structura, similemque modum compositionis habeant, illa sunt sibi similia.

§. 227. Quæcumque contra entia composita dissimilem compositionis modum habent, illa esse dissimilia, ex dictis perspicuum est.

EXEMPL. E. gr. Lupus, & lepus sunt entia composita dissimilia, ob diversum compositionis modum, structuramque plane dissimilem.

§. 228. *Duo entia composita perfecte similia existere nequeunt.*

Demonstr. Cum enim duo individua, perfecte in omnibus similia, dari non possint (§. 169.), omne autem id, quod existit, sit individuum (§. 160.), manifestum est, duo entia composita, in omnibus perfecte similia existere non posse.

§. 229. *Quodcumque est ens compositum, illud non existit absolute, & simpliciter necessario.*

Demonstr. Compositum existere nequit, nisi sub hac hypothesi, si plures partes, a se invicem distinctæ, certo modo inter se combinatæ, & connexæ existant (§. 220.). Ut adeo existentiam entis compositi conditionem admittere, intelligas. Cum vero id, quod simpliciter, & absolute necessarium est, nullam ferre conditionem queat (§. 173.), consequens est, ut existentia entis compositi non possit esse simplicer, & absolute necessaria.

SCHOL. *Cl. VVincklerus in institut. philos. VVolfianæ p.* 56. hoc theorema ita demonstrat „ Si ullum „ compositum cum necessitate simplici existat, „ aut partium, quibus continetur, alicui aut nul„ li ejusmodi est existentia. Si pars aliqua ita e-

„ xistat,

„ xistat: duo sunt, quorum existentia est simpli-
„ citer necessaria. Hæc vero esse nequeunt. Si
„ nulla partium existat cum necessitate simplici:
„ neque etiam ratio, cur compositum cum eadem
„ existat. Cum enim omnes (partes) possint non
„ esse, nec earumdem conjunctio est necessaria
„ simpliciter.

§. 230. *Extensum* vocatur, quod habet partes, quarum unaquæque extra alteram existit, easque inter se unitas. Cum vero partes intra partes in entes quodam deprehenduntur, tum vero illud ens dicimus *intensum*.

EXEMPL. E. gr. In mensa deprehendimus extensionem, propterea quod in mensa partes sunt ita extra se invicem positæ, ut pars A, non sit ibi, ubi est pars B, & B, non sit ibi, ubi est pars C. Eruditioni vero, calori, &c. tribuimus intensionem.

§. 231. *Omne ens compositum debet esse extensum.*

Demonstr. Cum enim omne compositum debeat partibus constare, a se invicem distinctis, inter se autem connexis (§. 222.), tum autem ens dicatur *extensum*, cum gaudet partibus, quæ extra se invicem sunt positæ, interius tamen sunt unitæ (§. 230.), consequens est, ut omne ens compositum debeat esse extensum.

§. 232. Compositum dicitur *continuum* tum, cum ejus partes eo ordine juxta se invicem sunt collocatæ, ut aliæ diversæ inter ipsas poni plane non possint. Quando vero partes ita sunt collocatæ, ut aliæ inter ipsas locum habere possint, tum vero compositum dicitur *interruptum*. Si denique composita duo ita fuerint collocata, ut ipsorum superficies se mutuo sic contingant, ut ipsa maneant plura, neutiquam vero unum efficiant extensum, tum illa duo composita, sibi proxima, vocari solent *contigua*.

EXEMPL. Ut notiones hæ, in capite de ente compo-

posito

posito explicari solitæ intelligantur facilius, exempla perquam perspicua subnectam. Massa exempl. grat. aurea est compositum *continuum*, propterea quod partes, totam massam constituentes, ita sunt inter se connexæ, ut aliæ, a massa aurea diversæ, partes interponi nequeant. Via dicitur tum *continua* a termino B, usque ad terminum C, cum ipsa nullis rivis, foveis, fluminibusque fuerit intersecta. Cribrum vero est compositum *interruptum*. Cribri enim structura totusque compositionis modus est ejusmodi, ut inter partes, laxius, & per interstitia cohærentes, aliæ, a cribri partibus prorsus diversæ, partes possint interponi. Duo vero globuli, quorum superficies se mutuo ita contingunt, ut ipsi, licet sibi proxime coexistant, nihilominus maneant duo globuli, dicuntur recte *contigui*.

§. 233. *Ex his conficitur, contigua non statim esse continua*.

Demonstr. Cum enim, quæ sunt contigua, se mutuo, qua superficiem, contingeant quidem, neutiquam vero ita unum efficiant extensum, ut nullæ aliæ partes interponi possint, (§. 132.) ad compositum vero, *continuum*, ejusmodi partium nexus requiratur, ut nullæ aliæ partes diversæ inter ipsas locum habere queant (§. 232.), manifestum est, & contigua non statim esse continua.

EXEMPL. E. gr. Hæ duæ literæ, *ac*, sunt literæ contiguæ, (cohærent enim, &, arcte licet cohæreant, nihilominus manent duæ literæ) absit vero, ut dicamus eas continuas, possunt enim aliæ literæ diversæ interponi.

§. 234. Perspeximus, quid sit *continuum interruptum*, itemque, quæ composita dici debeant contigua. (§. 232.) Reliquum, ut ad compositorum entium naturam, & affectiones plenius intelligendas, quasdam adhuc notiones distincte hic evolvamus. Scilicet, cum deinceps demon-

strandum nobis sit, *omnia entia composita replere spatium*, item *omne compositum posse recipere motum*, *&c.* id agemus nunc, ut quid sit *spatium*, *locus*, *situs*, *figura*, *tempus*, *motus*, quum fieri potest, enodatissime exponamus, exemplis ubique luculentis ea, quæ abstrusiora videri poterant, illustraturi.

§. 235. *Spatii* notio tam abstractam omnino est, ut complures, confuso hujus vocis conceptu contenti, nihil omnino sciant, cum, quid sit *spatium*, fuerint interrogati. Factum hinc est, ut alii, cum, audito vocabulo *spatii*, nihil cogitare sibi visi sint, vocem *spatii* pro voce nihili habuerint, quo pertinet cum primis Clericus, alii vero, phantasia, inepte sedula, delusi spatium quoddam corporum receptaculum, & esse, & dici debere, existimarint, alii denique spatium ens simplex esse affirmarint.

§. 236. Ut vero *spatii* notio facilius animo informetur, sequentia probe observanda esse, judico.

(α) Deprehendimus per experientiam, plura entia composita A, B, C, D, sæpius ita existere, ut, dum A, existit, etiam B, C, D, existant. Hæc plura entia composita, simul existentia, dicuntur *simultanea*.

(β) Dum vero ad hæc simultanea, A, B, C, D, quæ sibi invicem coexistunt, curatius attendimus, observamus, τῷ A, alio plane modo coexistere τῷ B, quam coexistit idem A, τῷ C, vel D. Distinguimus itaque modum, quo A, coexistit τῷ B, a modo, quo idem coexistit τῷ C, & D.

(γ) Hinc intelligis luculenter, ejusmodi omnino ordine hæc simultanea juxta se invicem collocari, ut distantia inter A, & B, sit plane diversa a distantia, quæ conspicienda est inter idem A, & D.

(δ) Cum cogitamus hunc ordinem, qui conspicitur in modo, quo plura simultanea A, B, C, D, sibi

sibi coexistunt, revera cogitamus id, quod dicitur *spatium*, neque fieri potest, ut res, extra se invicem coexistentes, nobis repræsentemus, quin iisdem adhæreat notio spatii.

§. 273. VVolfius itaque *spatium* definit in *Ontologia Latina p.* 454. §. 598. per ordinem simultaneorum, quatenus scilicet coexistunt.

EXEMPL. E. gr. in foro Vitembergensi, dicimus, dari quoddam spatium; propterea, quod multa ædificia, prope forum sibi coexistentia, & simultanea, certam quamdam relationem certumque ordinem, ratione suæ coexistentiæ, inter se servant. Quæ quidem relatio, quæ inter ædificia coexistentia intercedit, prout alia aliaque est, ita aliud aliudve spatium inde exsurgit. Ut adeo videas, spatium neutiquam posse considerari, ut *ens absolutum*, quin potius sine relatione aliqua ad corpora coexistentia spatium nullum concipi potest.

SCHOL. *Cel. Hollmanus in Metaphysica* §. 119. *seqq.* spatium positivi quicquam esse negat, arbitratus, spatium esse nudam rerum existentium non-contiguitatem: *Nihil positivi*, inquit §. 121. *cogitandum nobis est, quando spatium cogitare volumus, nosque illud, modo explicato, possibile jam esse, diximus, quin nuda potius unius rei, vere existentis, ab alia, vere existente, distantia, seu, quoniam, & hoc vocabulum, aque, ac spatii vocabulum positivum est, ideoque, & ideam rei alicujus positivæ, plerumque in nobis generat, nuda non-contiguitas est.* Nonnulla quoque §. 124. Cel. Vir contra definitionem spatii VVolfianam monuit, quæ vero, hic non attinet, pluribus commemorare, & confutare.

§. 238. Præter distinctam spatii notionem §. antecedenti suppeditatam, datur adhuc quædam spatii notio imaginaria. Scilicet imaginatio nobis sistit spatium, tamquam ens reale, actu existens, extensum, uniforme, continuum, quod est indivisibile, ac immobile, & a rebus existentibus pe-

ne-

netrabile. Quo ipſo ſpatium ſibi homines repræſentant, tamquam receptaculum, a rebus omnibus vacuum, in quo aliquod reponere queamus.

NOT. Hæc, a phantaſia efficta, ſpatii notio, qua ſpatium, tamquam corpus aliquod, & ens reale, nobis ſiſtimus, quamvis multis imponat, impediatque adeo, quo minus, quid ſit proprie ſpatium, homines ſibi diſtincte repræſentare poſſint, ea tamen nos in Geometria in primis, & doctrina de motu non facile carere poſſe, monet *Cl. Erneſti in philoſophia ſua p.* 220.

§. 239. *Ex definitione ſpatii §. 237. allata, intelligitur ſpatium a rebus ſimul exiſtentibus eſſe diverſum.*

Demonſtr. Cum enim nemini non pateat, ordinem, ſive modum, quo res plures ſibi coexiſtunt, a rebus ipſis coexiſtentibus plane eſſe diverſum; ordo autem ille, ſive medius, quo res plures ſimultaneæ ſibi coexiſtunt, conſtituat id, quod dicimus *ſpatium*, (§. 237.) manifeſtum eſt, ſpatium a rebus pluribus coexiſtentibus eſſe plane diverſum, aut ſaltem, tamquam diverſum, concipi debere.

SCHOL. Hoc theorema optime illuſtrari poſſe, crediderim, exemplo numeri, & rei numeratæ. Quemadmodum enim, ſi res adfuerint numeratæ, non poteſt non adeſſe numerus, numerus autem non eſt ipſa res numerata; & quemadmodum, rebus numeratis ſublatis, numerus exiſtere ceſſat, ita etiam, ut primum plures res ſimultaneæ certo quodam ordine coexiſtunt, oritur ſpatium, (ſpatium autem illud, quod a rebus ordinatis, & coexiſtentibus oritur, non ſunt ipſæ res ordinatæ,) quod quidem ſpatium, rebus coexiſtentibus ſublatis, non poteſt non rurſus evaneſcere, fere, uti numerus, rebus numeratis ſublatis, evaneſcit. *Conf. VVolfii Ontologia Lat. §. 613. & VVincklerì inſtitut. philoſ. VVolfianæ p. 58. §. 272.*

NOT. Patet hinc, quod de ſpatio extramundano,

no, a veterum nonnullis confictо, fit existimandum. Qua, dic, quæso, ratione spatium, sive rerum existentium non contiguitas locum habebit, ubi nullæ plane res existunt?

§. 240. *Omnia composita insunt spatiis.*

Demonstr. Cum enim spatium sit ordo rerum, extra se invicem positarum, quæ tamen coexistunt sibi invicem, (§. 237.) patet, in spatio id tantum esse, in quo reperitur ordo diversorum, quæ sibi invicem coexistunt. Cum vero omnia composita ejusmodi sint, ut in iis reperiantur plura, a se invicem distincta, sed inter se connexa, & sibi invicem coexistentia, (§. 222.) perspicuum est, omnia composita inesse spatiis.

SCHOL. Si notionem spatii imaginariam in subsidium adhibueris, poteris facilius hanc propositionem tibi concipere. Extensum scilicet dicitur *implere spatium*, quatenus in spatio imaginario, sive in receptaculo quodam, a rebus vacuo, partem nobis fingimus immobilem, quam extensum illud adæquat. *Conf. VVolfius in Ontolog. Lat.* §. 609. Jam vero cum omne compositum, quodcumque extra intellectum nostrum existit, alicubi existere debeat; id, quod, vel me tacente, quilibet intelligit) evidens est, quodlibet compositum partem aliquam, in receptaculo, a rebus vacuo, adæquare, adeoque spatium aliquod replere debere. Præclare hanc in rem Hollmannus: *In spatio*, inquit, *aliquo esse nobis aliquod dicitur, quando illud ita extra intellectum nostrum vere alicubi existit, ut ibidem, & alia magis, vel minus, ab eodem existentia, existere non repugnet, id quod quum de rebus omnibus vere existentibus, dici jam posse, necesse sit, res omnes, vere existentes, necessario quoque in spatio aliquo esse debere, satis inde jam apparet. Conf. institut. philos. prima p.* 727.

§. 241. Quando A, B, C, D, sibi invicem coexistunt, tunc certo quodam ordine, opportet coexistant, ita, ut modus, quo A, coexistit, τῷ B, vel

vel C, & D, distingui possit ab illo modo, quo B, coexistit τῷ A, vel C, & D. Qui quidem determinatus modus, quo A, coexistit τῷ B, C, & est id, quod *locum* appellamus.

SCHOL. τῷ A. scilicet tribuitur peculiaris locus, quia τὸ A, determinato modo coexistit τῷ B, C, & D. Exempl. gr. Hic liber, quem coram video, peculiarem occupat locum, quia hic liber, quem coram video, & mihi, & aliis rebus circumjacentibus determinato modo coexistit, ita quidem, ut, si hic liber distantiam mutet, alioque modo determinato mihi coexistere occipiat, locum quoque suum mutare dicatur.

SCHOL. Sunt, qui differentiam *spatii*, *&* *loci* ita sibi concipiunt. Spatii, inquiunt, & loci idea, ut *totius*, & *partis* ideæ inter se differunt. In spatio scilicet sunt plura simultanea concipienda, quorum cum quodlibet habeat determinatum suum modum cæteris coexistendi, spatium imaginamus, tamquam ex multis locis compositum.

§. 242. *Quemadmodum* §. 39. *jam demonstratum est, spatium, a rebus simultaneis, earumque existentia plane differe, ita nunc quoque facile patebit, locum ab ipsa re differre, tamquam rei relationem.*

Demonstr. Quicquid enim non est, nisi modus coexistendi cæteris, id non esse ipsam rem, facillime intelligitur. Atqui vero locus non est, nisi modus determinatus coexistendi, cæteris. Ergo: locus non est ipsa res, sed est rei relatio.

§. 243. Unde conficitur, 1) locum cum intrinseco entis nullam habere connexionem, nec in eo posse quicquam mutare. 2.) Hinc manifestum fit, non posse in loco esse rationem, cur ens aliquod sit hic, nec alibi, (alias locus cum ipso ente ejusque intrinseca natura rem haberet.) Cum itaque nihil sit sine ratione sufficienti, ratio debet esse extra locum in alia quapiam re, cur ens quodlibet potius hic sit, nec alibi.

§. 244.

§. 244. Quemadmodum ſpatium eſt ordo ſimultaneorum, quatenus ſibi coexiſtunt, & non niſi congregatione rerum, quæ ſunt, continetur, (§.237.) ita *tempus* eſt ille ordo, qui obſervatur in ſucceſſivis.

§. 245. Ut notionem temporis diſtinctius formemus, & facilius, ad ſequentia attendi volo.

(α) Entia perplura dantur, quorum alterum eſſe incipit, alterum vero eſſe deſinit. Hæc entia dicuntur *ſucceſſiva*. In his entibus ſucceſſivis obſervamus (β) aliquod, quod adeſt actu, & appellatur *præſens*. (γ) Cum id, quod præſens erat, eſſe deſinit, & in ſtatum meræ poſſibilitatis recidit, tum vocatur *præteritum*. (δ) Cum ens aliquod, quod mere adhuc eſt poſſibile, ſed ad actum deducetur, tum appellatur *futurum*. Cum vero quodlibet horum ſua gaudeat duratione, atque adeo in his deprehendatur uniformitas quædam, & ſimilitudo, deprehendi hic quoque ordinem, ex §. 187. conſtare poteſt. Atque hic ordo in ſucceſſivis eſt ipſum, quod *tempus* appellatur.

§. 246. Qui in temporis notione informanda imaginationi nimis indulgent, ii tempus ſibi repræſentant, tamquam ens compoſitum, ex partibus ſucceſſivis continuis conſtans, & perdurans, vel ſibi id ſiſtunt, tamquam lineam rectam, quæ fluxu puncti continuo gignitur. Conf. *VVolfius in Ontolog. Lat. p.* 448. §. 582.

§. 247. Ex definitione temporis, §. 245. ſuppeditata, neceſſaria conſecutione, ſequentia fluunt axiomata.

(α) Intelligitur hinc, ubi nullum habent locum res ſucceſſivæ, quarum altera eſſe incipit, altera eſſe deſinit, (§. 245.) ibi tempus quoque nullum habere locum.

(β) Planum hinc fit, eum, in quo nullæ reperiuntur ſucceſſiones, temporis non poſſe non eſſe expertem.

(γ) Evi-

(γ) Evidens est; omne id, quicquid est in tempore mutationibus esse obnoxium:

(δ) Quam parva successiva possumus a se invicem distinguere, tam minus temporis momenta, seu tempuscula possumus admittere. Hæc tempuscula eatenus audiunt temporis partes, quatenus ad aliud referuntur, quod, dum ipsa fluunt, existit, seu durat.

§. 248. *Tempus cum entis intrinseco nullam habet connexionem, nec quicquam in natura rei intrinseca mutare potest.*

Demonstr. Cum enim tempus non nisi sit ordo successionis rerum; (§. 244.) successioni autem entis cum intrinseco entis nihil sit commercii, id quod cuivis patet, perspicuum est, tempus cum entis intrinseco nullum habere nexum, neque adeo quicquam in entis interioribus mutare posse.

§. 249. *Tempus a rebus, sibi succedentibus, harumque existentia differt.*

Demonstr. Cum tempus sit successio rerum (§ 244.) successio autem rerum non sint ipsæ res succedentes, palam est, tempus a rebus, sibi succedentibus, harumque existentia differre.

§. 250. *Motus* est nihil aliud, quam loci mutatio; perseverantia autem in eodem loco vocatur *Quies*. Quicquid autem moveri, sive locum suum mutare potest, illud vocamus *mobile*.

§. 251. *Motus autem fit in tempore; & est ens successivum.*

Demonstr. Cum enim motus sit loci mutatio; (§. 250.) omne autem illud, quod ad mutationes pertinet, fit in tempore, (§. 247.) intelligitur, omnem motum fieri in tempore. Cum vero tempus nullum habere possit locum, nisi res adfuerint successivæ.) §. 247. motum ens posse dici successivum, evidens est satisque manifestum.

§. 252. *Locus non obstat, quo minus possit quodlibet ens moveri.*

De-

Demonstr. Cum enim ratio, cur quolibet ens hic sit, nec potius alibi, non reperiatur in loco, (§. 243.) intelligitur, locum non obstare; quo minus quodlibet ens possit occupare alium locum. Alium locum occupare, sive mutare locum, dicitur *moveri*. E. locus non obstat, quin quodlibet ens possit moveri.

§. 253. Cum partes, ex quibus constat compositum, a se invicem separantur, tum dicitur compositum *dividi*.

§. 254. *Ex dictis constare potest, omne compositum esse divisibile.*

Demonstr. Cum enim quælibet compositi totius pars alium possit locum occupare, sive ex loco suo moveri, (§. 252.) per se patet, posse quoque partes compositi a se invicem separari. Quia vero in partium separatione compositi extensi *divisio* consistit, (§. 253.) vides, omne compositum esse divisibile.

§. 255. Ex quo consequitur porro, partes entis compositi ex alio in alium locum posse transponi, quia non necessario suum locum occupant.

§. 256. *Magnitudinem* dicimus partium multitudinem, ut adeo, cum in omni composito plures partes; a se invicem distinctæ, inter se tamen connexæ, locum habeant, (§. 222.) intelligis, omne ens compositum certa quadam, & determinata gaudere magnitudine.

§. 257. Colligi hinc potest, quando ens compositum fiat *majus*, quando *minus*. Si scilicet partes quædam novæ ad compositum accedant, tum compositum fit *majus*, si vero partes quædam ab eo separentur, tum compositum fit *minus*.

§. 258. *Compositum potest fieri majus, & minus.*

Demonstr. Cum enim entia non occupent necessario locum suum, sed partes in ente composito locum suum mutare queant, (§. 252.) intelligis, fieri posse, ut novæ quædam partes ad compositum

tum accedant, aliæ vero ab ipso separentur. Quo quidem in casu cum compositum fiat majus, & minus, (§. 257.) patet, compositum fieri posse majus, & minus.

§. 259. Cum entis alicujus magnitudinem ad aliam datam homogeneam investigamus, tum vero illud ens dicimus *metiri* sive *mensurare*. Data autem illa magnitudo, ad quam ratio alterius magnitudinis exigitur, dicitur *mensura*.

EXEMPL. Sumas e. gr. filum A. Si ad hujus fili magnitudinem mensæ magnitudinem investigaveris, tum diceris mensam *mensurare*. Ipsum autem filum A, ad cujus magnitudinem mensæ magnitudo investigatur, dicitur *mensura*.

§. 260. Quicquid itaque habet magnitudinem, cujus ratio ad aliam datam homogeneam potest investigari, id potest mensurari.

§. 261. *Omne ens compositum est mensurabile*.

Demonstr. Cum omne ens compositum certa quadam, & determinata gaudeat magnitudine, (§. 256.) manifestum est, magnitudinem entis compositi posse ad aliam datam homogeneam magnitudinem investigari. Quia vero, quicquid habet magnitudinem, cujus ratio ad aliam datam homogeneam magnitudinem potest investigari, id mensurari potest, (§. 260.) consequens est, ut omne ens compositum possit mensurari, sive, quod idem est, ut omne ens compositum sit mensurabile.

§. 262. *Figuram* dicimus limitem extensionis.

NOT. Hæc figuræ definitio quamvis duobus tantum, & paucissimis constet verbis, rem tamen plene exhaurit. Aspice e. gr. hanc mensam, quæ gaudet figura quadrata. Figura autem hæc, nec alia mensæ, unice exsurgit ex his, nec aliis, limitibus extensionis, in ipsa reperiundæ.

§. 263. Ex definitione allata patet, mutatis limitibus extensionis in ente composito, mutari ejusdem figuram. Limites autem extensionis variantur tum, cum vel novæ accedunt partes,

vel

vel nonnullæ partes auferuntur, vel transponuntur alio.

§. 264. *Figura entis compositi est mutabilis.*

Demonstr. Cum enim compositum possit fieri majus, adeoque novæ accedere queant partes, (§. 258.) itemque minus, & aliæ auferri possint partes, (§. 258.) cum præterea partes, in ente composito transponi possint, (§. 255.) tum autem, cum vel novæ adduntur partes, vel auferuntur nonnullæ, vel transponuntur, extensionis limites mutentur, (§. 263.) palam est, in ente composito limites extensionis posse mutari. Limitibus extensionis mutatis in ente composito, ipsa ejusdem figura mutatur. (§. 263.) E. figuram entis compositi esse mutabilem, nullo negotio nunc perspicitur.

Not. Si mensa fuerit quadrata, demas quasdam ab ipsa partes, & prodibit figura, vel rotunda, vel alia quæcumque.

§. 265. *Omnis mutatio, quæ accidit in ente composito, non potest non fieri per motum.*

Demonstr. Quicquid in ente composito deprehendimus, id pertinet vel ad ejusdem magnitudinem, (§. 256.) vel ad partium, & extensionis limitationem sive figuram, (§. 262.) vel ad motum, & totius & partium, (§. 250.) vel ad spatium denique, & locum totius, & partium. Si itaque in composito ente mutatio debeat fieri, illa, aut in magnitudine, vel figura, vel situ totius, & partium accidere debet. Cum vero experientia ususque communis nos condoceat, neque in magnitudine, neque in figura, neque in situ denique totius, & partium accidere posse mutationem quandam, quin insimul partes alium aliumque occupent locum, sive moveantur, (§. 250.) (sine mutatione enim loci manent omnia, ut ante,) patet, omnem mutationem, in ente composito accidentem, debere fieri per motum.

Not. Hæc propositio, a nobis jam demonstra-

ta, permultum nobis inservit, cum infra demonstrandum erit, corpus non posse cogitare, animamque adeo debere esse ens simplex. De quo plura in psychologia.

CAPUT XV.

De ente simplici.

§. 266.

Enti composito, cujus hactenus naturam, & attributa perspeximus, opponitur *ens simplex*. Quemadmodum ens compositum constare diximus partibus, a se invicem distinctis, inter se tamen connexis, (§. 220.) ita ens simplex illud est, quod omnibus partibus caret.

SCHOL. Novi, vocem *simplicis* a variis varie sumi. Nonnunquam τὸ *simplex*, cum usurpatur de corporibus, opponitur τῷ *mixto*, unde divisio corporum in simplicia, & mixta coorta. Poteramus hoc simplex dicere *simplex physicum*. Cum vero hoc in capite de ente simplici loquimur; hanc vocem ita volumus accipi, ut τὸ simplex opponamus omni illi, quod est materiale, & compositum. Atque hoc quidem simplex ens possumus commode appellare *simplex metaphysicum*. De quo quamvis nobis nonnisi conceptum negativum formare possimus, multa tamen prædicata positiva ex notione entis simplicis negativa colligi eruique posse, & monuit jam *VVolfius* 173. *Ontolog. Lat.* & subsequentia theoremata luculentius declarabunt.

§. 267. *Omne ens vel simplex est, vel compositum.*

Demonstr. Cum quodlibet vel sit, vel non sit, (§. 29.) manifestum est, omne ens vel partes habere debere, vel nullas. Ens, quod partibus gaudet, dicitur *ens compositum*. (§. 220.) quod autem partibus caret, dicitur *ens simplex*, (§. 266.)

Omne

Omne itaque ens erit vel simplex, vel compositum.

§. 268. *Si dantur entia composita, consequens est, ut quoque dentur entia simplicia.*

Demonstr. Si enim dantur entia composita, tunc dantur ejusmodi entia, quæ ex partibus, a se invicem distinctis, constant. (§.221.) Illæ partes, quibus entia composita constant, aut sunt rursus entia composita, aut simplicia, (§. 267.) si sunt entia composita, novis rursus gaudent partibus. (§. 222.) Hæ novæ partes aut sunt rursus entia composita, aut simplicia, si sunt rursus entia composita, tunc regero denuo: ubi composita, ibi componentia, & sic in infinitum. Cum vero, ob principium rationis sufficientis, in infinitum progredi nequeas, sed necessario debeas in ratione ultima subsistere, (§. 32.) manifestum est, in analysi entium compositorum tandem nos devenire ad ejusmodi entia, quæ nullis amplius gaudent partibus. Ejusmodi entia, quæ nullis amplius gaudent partibus, dicuntur *entia simplicia*, (§. 266.) E. in analysi compositorum cogitationibus tandiu progredimur, donec descenderimus ad entia simplicia. Unde nunc clarum, & perspicuum est theorema: *si dantur entia composita, dentur quoque necesse est, entia simplicia.*

SCHOL. Dicis: Poteramus in materia minima subsistere. Respondeo. Illa materia, quam dicis *minimam*, aut habet partes, aut non habet partes. Si habet partes, tunc minimo datur minus, quod est absurdum. Partes enim materiæ minimæ necessario debent esse minores, quam ipsa materia, tanquam totum considerata. Si vero non habet partes, tunc illa materia non est amplius materia, sed revera est ens simplex. (*per definit. entis simpl.*) Habeo itaque, quod volo.

SCHOL. Hæc entia simplicia, ad quæ in resolvendis entibus compositis ultimatò devenimus, vocat Leibnitius cum Pythagoræis *monades*, Epi-

 curus

curus autem primum *atomos* dixit. Vocat autem Leibnitius ideo hæc entia ſimplicia *monades*, quia, uti in numero magno, ex aliis minoribus compoſito, ultimato deveniendum eſt uſque ad unitatem, quæ omnis eſt multitudinis expers, ita in analyſi entium compoſitorum itidem deſcenditur uſque ad aliquod ens, in ſe indiviſibile, & ſimplex. De monadibus Leibnitianis ſpecialius agendi dabitur occaſio in Coſmologicis.

§. 269. *Ens ſimplex non eſt extenſum.*

Demonſtr. Cum enim omnis extenſio involvat poſitionem partium extra partes, (§. 222.) ens autem ſimplex partes nullas habeat, (§. 266.) oppido intelligitur, ens ſimplex non poſſe eſſe extenſum.

§. 270. *Ens ſimplex caret omni magnitudine.*

Demonſtr. Cum enim ens ſimplex ſit deſtitutum omnibus partibus, (§. 266.) nullam, vides, deprehendi poſſe partium multitudinem in ente ſimplici. Partium multitudo conſtituit id, quod dicimus *magnitudinem*. (§. 256.) Ut adeo, omne ens ſimplex deſtitutum eſſe magnitudine, hinc manifeſtum ſit.

§. 271. *Omne ens ſimplex caret figura.*

Demonſtr. Cum ens ſimplex non ſit extenſum, (§. 269.) nullos quoque limites extenſionis habere poteſt. Limes extenſionis eſt illud, quod dicimus *figuram*. (§. 262.) E. omne ens ſimplex caret figura.

§. 272. *Ens ſimplex eſt indiviſibile.*

Demonſtr. Cum enim diviſio ſit ſolutio partium, (§. 253.) conſequens eſt, ut, quidquid non habet partes, illud non poſſit dividi. Atqui vero ens ſimplex nullas habet partes. (§. 216.) E. ens ſimplex eſſe indiviſibile, intelligitur.

§. 273. Ex his entis ſimplicis attributis, ſpeciatim demonſtratis, intelligi poteſt, ens ſimplex a compoſito plane eſſe diverſum. Ens enim ſimplex non eſt extenſum. (§. 269.). Ens autem compo-

ſitum

situm est extensum. (§. 222.) Ens simplex nulla gaudet figura. (§. 271.) Ens compositum habet figuram. (§. 264.) Ens simplex est indivisibile (§. 272.) Ens compositum est divisibile. (§. 254.) Quæ omnia diversitatem entis simplicis, & compositi luculenter declarant.

§. 274. Attributis entium simplicium luculenter nunc expositis, proximum est, ut de iis exponamus, quæ ad eorum *ortum interitumque* rectius intelligendum pertinent.

§. 275. *Oriri* ens simplex dicitur, quando existentiam accipit, qua si privatur, illud dicimus *interire*.

§. 276. *Ens simplex, quod absolute necessarium est, oriri non potest.*

Demonstr. Cum enim id, quod absolute necessario existit, ita existat, ut non possit non existere, (§. 172.) consequens est, ut ens simplex, quod absolute necessarium est, existentiam non possit accipere. Alias enim aliquando non extitisset. Si autem ens simplex, absolute necessarium existentiam non potest accipere, id vero, quod existentiam accipit, dicitur *oriri*, (§. 275.) intelligitur, ens simplex, absolute necessarium, non posse oriri.

§. 277. Quandoquidem omne, quicquid existit, vel necessario, vel contigenter existit, (§. 172. 175.) illud autem ens simplex, quod necessario existit, oriri nequit, (§. 276.) manifestum est, nos cum hic de ortu entis simplicis exponere ingredimur, ortum entis simplicis, *contingenter existentis*, velle intelligi.

§. 278. *Ex composito nullum ens simplex, contingenter existens, oriri potest.*

Demonstr. Omne id, quod ex composito oritur, oriri debet vel per partium combinationem, vel per earum transpositionem, vel per divisionem, & solutionem. Nam, nisi vel combinaveris partes, vel transposueris, vel solveris, compositum

prius manet, nec ulla in eo evenit mutatio. Si partes combinaveris, atque adeo novas addideris, tunc ex hac partium coagmentatione oritur *majus compositum*, (§. 257.) non vero ens simplex: si partes transposueris, tum vero ex hac partium immutatione, & transpositione *aliud* exsurgit compositum, quod nova gaudet figura. Quo ipso nondum ens simplex habes. Si partes denique solveris, sive diviseris, tum quidem ex hac partium solutione, paulo diutius continuanda, videri poterat oriri ens simplex. Quia vero supra jam a nobis est demonstratum, in entium compositorum analysi, & partium divisione nos pervenire ad entia simplicia, jam in iisdem existentia, (§. 268.) consequens est, ut ens simplex ex partium, in composito reperiundarum, divisione, neutiquam oriatur. Quod enim ex aliqua re oritur, id non prius in eadem debet existere, sed existentiam, quam antea non habebat, demum accipere, (§. 275.) si itaque verum est, ut est, ens simplex neque ex transpositione, neque ex combinatione, neque ex divisione denique partium, in composito deprehensarum, oriri intelligis, ens simplex plane ex composito non oriri.

§. 279. *Ens simplex, contingenter existens, ex simplici non potest oriri.*

Demonstr. Si ens simplex A, ex alio ente simplici B, oriri deberet, tunc ens simplex A, ex ente simplici B, suam acciperet existentiam, (§. 275.) atque adeo separaretur ab ente simplici B. Cum vero ab ente simplici, quatenus, & quamdiu est ens simplex, nihil possit separari, quia omne ens simplex est indivisibile, (§. 272.) palam est, ens simplex ex alio ente simplici non posse oriri.

SCHOL. Hic vero probe distinguas τὸ *oriri* EX *ente simplici*, & τὸ *oriri*, *AB ente simplici*. Quamvis, sufficientibus commoti caussis, negemus, ens simplex EX alio ente simplici, tanquam ex materia,

teria, oriri posse, concedimus tamen, ens simplex AB ente simplici, tanquam a caussa sua efficiente, posse produci, & ortum suum capere. Deus enim, tanquam caussa efficiens, potest alia entia simplicia, e. gr. *animam humanam*, *Angelos*, &c. producere, quamvis ipse sit ens simplicissimum. Miror itaque, VVolfii adversarios, in iisque maxime Langium, & Straehlerum, tantos concitare motus, cum in VVolfiano Systemate demonstratum hoc theorema legunt: *Ens simplex ex ente simplici oriri non potest*. Ex quo conficiunt, VVolfium negare, animam Angelosque, tanquam entia simplicia, a Deo posse oriri. Quasi vero AB aliqua re, tanquam caussa efficiente, & EX aliqua re, tanquam caussa materiali, oriri, esset unum idemque.

§. 280. *Si ens simplex oriri debet, necesse est, ut id ex nihilo producatur*.

Demonstr. Cum enim ens simplex, neque ex ente composito, neque ex alio ente simplici, oriri possit, (§. 278. 279.) præter ens simplex autem, & compositum nihil concipi possit, (§. 217.) manifestum est, ens simplex, si oriri debet, ex nihilo debere produci.

§. 281. Quid sint *res successive*, & quid sit *tempus*, supra jam (§. 244.) definivimus τό *successivo* id opponitur, quod dicitur *instans*. *Instans* scilicet dicimus omne id, quod caret successione, quodque adeo temporis est expers, (§. 247. *β*) *oriri* itaque in *instanti* quid dicitur, cum sine omni successione existentiam accipit.

§. 252. *Ens simplex, cum oritur, debet oriri in instanti*.

Demonstr. Cum enim ens simplex non habeat partes, (§. 266.) intelligis, in ejus ortu non posse partes cum partibus successive combinari, ut id quidem fieri solet in ortu entium compositorum. Ut adeo, in entium simplicium ortu nullam ha-

bere locum successionem, pateat. Cum vero, quod sine omni successione oritur, oriri dicatur *in instanti*, perspicuum est, ens simplex, cum oritur, oriri debere in instanti.

SCHOL. Ut theorema hoc facilius intelligas, propone tibi ortum vel Angeli alicujus, vel animæ humanæ. Si Angelus produci deberet, num credis, id ita fieri posse, ut, hoc horæ momento, Angeli particula A, altero particula B, produceretur? Repugnat successivus hic ortus Angelorum omniumque entium simplicium immaterialitati, quæ omnes respuit partes. Angelus itaque, & anima humana, omnino entia simplicia, finita, & contingenter existentia, si oriuntur, produci debent sine omni successione, & in instanti.

§. 283. *Hinc est, ut modum specialiorem ortus entium simplicium distincte explicare nequeamus.*

Demostr. Cum enim ens simplex in instanti, & sine omni successione, oriatur, (§. 282.) perspicuum est, in modo ortus entium simplicium nos plura a se invicem distinguere non posse. Dum vero, rem quampiam tum demum *distincte* explicari posse, dicimus, cum plura in ea a se invicem discernere possumus) (§. 74. Log.) mirum non est, ortum entis simplicis distincte non posse explicari.

SCHOL. Entium quidem compositorum ortum possumus explicare distinctius, dum sigillatim exponimus, quomodo hæc pars A, cum illa parte B, sit successive combinata; & quomodo tandem ex successiva hac partium coagmentatione exsurrexerit ens compositum.

§. 284. Hactenus de entium simplicium ortu. Nunc, qua ratione, si interire debent, suam perdant existentiam, paucis dispiciemus.

§. 285. *Interire* ens simplex dicitur, quando perdit existentiam.

§. 286. *Si interit ens simplex, debet annihilari.*

Demonstr. Ponamus enim, ens simplex cum in-

te-

terit, non annihilari, sequetur tunc, ut; cum ens Simplex interit, ita existere desinat, ut ejus aliquid adhuc amplius existat. Hoc modo ens simplex erit divisibile, atque adeo habebit partes (§. 253.) Cum vero ens simplex non habeat partes, (§. 266.) intelligitur, ens simplex, cum interit, ita debere interire, ut plane in nihilum evanescat.

§. 287. *Ens simplex, quod absolute necessarium est, non potest interire.*

Demonstr. Cum enim ens, quod absolute necessario existit, non possit non existere, (§. 172.) consequens est, ut ens, quod absolute necessarium est, non possit privari existentia, adeoque non interire (§. 275.)

§. 288. Restant nonnulla theoremata de entibus simplicibus demonstranda. Quæ vero cum demonstrari nequeant, nisi notiones quædam, huc pertinentes, distinctius ante fuerint enodatæ, id nunc operam dabimus, ut generaliores quasdam definitiones *actionis*, *passionis*, *substantiæ*, *accidentis*, &c. hic exponamus.

§. 289. *Actionis* vero definitionem traditurі, de eo vel maxime sumus soliciti, ut ideas partiales, in *actionis* definitione occurrentes, distincte ante distributiusque explicemus, id quod methodi leges regulæque definiendi requirunt. (§. 147. Logic.) Quid itaque sit *mutatio*, quid sit *status*, determinabimus.

§. 290. Cum, quod in re quapiam deprehenditur, vel ad essentialium, attributorumque, vel ad modorum, & accidentium numerum pertineat, (§. 65.) id autem, quod ad essentiam rei cujusdam, & attributa refertur, rei constanter perpetuoque conveniat, neque ulla possit mutari ratione, (§. 81.) facile intelligitur, omne, quod mutatur in re quapiam, pertinere ad modos. Ut adeo philosophi omnem *mutationem* recte definiant per variationem modorum, quæ variatio modorum sive accidentium alias quoque vocatur *modi-*

fi-

ficatio, & id, quod ejusmodi modorum variationi obnoxium est, appellatur *subjectum modificabile*.

EXEMPL. E. gr. Cum ex rudi impolitoque homine, per literarum culturam, & alias exercitationes mentis, redditur homo doctus, moratus, & maxime politus, tum in ejusmodi homine accidisse dicimus mutationem. Modi enim, & accidentia (eruditio enim, & inscitia sunt in homine accidentia) variantur.

§. 291. Cum in re quapiam accidentia una cum essentialibus, & attributis, quæ fixa manent, nec mutantur, *simul* deprehenduntur, tum ex determinata illa coexistentia accidentium mutabilium cum iis, quæ fixa, & perpetua in re sunt, nascitur id, quod dicimus *statum* rei. Hinc *Clar. Thummigius* statum rei definit per determinationem mutabilium. *Conf. Institut. Philos. VVolfianæ p.* 61.

EXEMPL. Definitioni huic majorem fœneraturi lucem, sequens addimus exemplum. Cum quis; e. gr. eruditione perpolitus, præditusque virtute est, in alio plane versari dicitur statu, quam is, qui literarum est naviter imperitus, iners, vecors, omnibusque vitiis coopertus. *Eruditio*, & *virtus*, (id quod, vel me non monente, intelligis) sunt in homine mutabilia quædam. Possunt enim adesse, & abesse. Si vero adsunt, vel eruditio, vel pietas, tum certo quodam, & determinato modo cum iis, quæ homini perpetuo insunt, simul in homine existunt, &, quamvis sint accidentia mutabilia, determinata tamen nunc gaudent existentia. Dum enim adsunt, impossibile est, ut simul non adsint. Adessentia itaque eruditionis, & virtutis certum hominis *statum* constituit.

§. 292. Accidentia alia alio modo in re quapiam existere, observamus. Hinc enascuntur varia status genera. Si accidentia fuerint intrinseca,

ita,

ita, ut cum essentia rei, & attributis simul rei insint, tum inde oritur *status internus*; ex extrinsecis contra accidentibus vel modus *status externus* ecsurgit.

EXEMPL. E. gr. Cum quis virtute evirescit, tum illa virtutis præsentia, quæ simul cum essentia hominis, & attributis in eo locum habet, constituit *internum* hominis *statum*. Cum vero quis divitiis affluit, aut in alto dignitatis gradu constitutus vivit, intelligis, hæc omnia ad accidentia externa statumque externum pertinere.

§. 293. Facillimo nunc negotio intelligi poterit *actionis* definitio. *Actionem* scilicet cum VVolfio aliisque definimus per ejusmodi mutationem status, cujus ratio sufficiens continetur in subjecto, quod eundem mutat. *Conf. VVolfii Ontolog.* §. 713.

EXEMPL. F. gr. Dum loquor, sermonesque cum Cajo, amico meo, confero; *agere* quid dicor. Evenit enim tum, cum loquor, in me mutatio. Cujus quidem mutationis debere adesse rationem sufficientem, & quendam quasi fontem, ex quo ipsa fluat, intelligis ex rationis sufficientis principio, supra jam explicato §. 32. Illa autem ratio cum in memet ipso reperitur, (non enim mutatio, dum loquor, & sermones cum altero confero, ab alio quodam in me producitur, sed ipse me ad loquendum, sermonesque cum altero cudendos determino) facile vides in hoc casu, ideo me dici aliquid *agere*, quia (α) *mutatio* adest, (β) quia ratio hujus mutationis in *me ipso*, tamquam in subjecto mutato, continetur. Perspicuum hinc est, hanc definitionem esse omnino ejusmodi, ut ad omnes actionis species nullo negotio possit applicari.

NOT. Quæ contra hanc definitionem a nonnullis VVolfii adversariis molita sunt, refelli facile possunt, & confutari, si hoc unicum observaveris,

ris, hanc definitionem, uti plures alias Ontologicas, esse a casibus individuis, contingenter existentibus, abstractam, adeoque, hanc definitionem tantum ad subjecta agentia, contingenter existentia, extendi debere, patet. Conf. Philosophia mea definitiva p. 110. T. I.

§. 294. Quoties quid agimus, toties aut ejusmodi suscipimus actiones, quæ in alias minores actiones, tanquam totidem partes, possunt resolvi, aut hæ in nobis deprehenduntur *actiones*, quæ ita resolvi non possunt. Illas actiones appellare solemus *actiones compositas*: has vero *actiones simplices*.

EXEMPL. Cum e. gr. pronuncias literam A; tum *actionem* suscipis, eamque simplicem, potest enim hæc actio in nullam aliam actionem resolvi: Si vero integrum librum, aut lineam integram legis, tunc hanc actionem, intelligis, esse compositam, propterea quod hæc actio in alias plures, tanquam particulas, potest solvi, & dividi. Id quod, vel ex eo patet, quod pueri, si quidem integras lineas, integrumque librum legere discupiant, primum literas, & vocales seorsum pronunciare discant, deinde literas, & vocales combinando, integras conficiant syllabas, & denique ex syllabis demum pluribus constituant verba, lineasque perlegant. Vides itaque lectionem libri cujusdam esse actionem compositam, quæ ex pluribus actionibus, tanquam ex minoribus partibus, est coagmentata.

§. 295. Actioni opponitur *passio*, quam contraria ratione nunc definies. Per passionem, scilicet nihil aliud intelligimus, quam ejusmodi mutationem, cujus ratio, & fundamentum deprehenditur extra subjectum mutatum.

EXEMPL. Cum quis exempl. gr. loris, aut virgis cæditur, *pati*, quid dicitur. Accidit enim in ipso mutatio, ejusque mutationis ratio extra personam, quæ mutatur, in alio quodam reperiunda est.

§. 196.

§. 296. *His definitionibus inter se collatis intelligis, toties, quoties unum ens A, ab altero ente B, patitur, ens alterum B, in ens A agere.*

Demonstr. Si enim A, patitur a B, tum in A, aliqua accidit mutatio, cujus ratio sufficiens deprehenditur in B, (§. 295.) & B, mutationem revera producit in A. Quod vero cum sit *agere*, (§. 293.) manifestum est, quoties A, patitur a B, toties B agere in A.

§. 297. Quidvis potius, quam actionem sine *vi agendi*, concipies. Quare, cum doctrina de *vi agendi* latissime pateat, multaque theoremata in capite de *entibus simplicibus* explicari nequeant, nisi, quod sit *agendi vis*, ante intelligatas, iis, quæ huc dum de actione passioneve, generatim, & universalius considerata, disputata sunt, nunc subnectimus ea, quæ de vi agendi in metaphysicis sunt exponenda.

§. 298. Qualemcumque agendi potentiam a vi agendi solicite discernas. *Potentia* scilicet *activa* est mera agendi possibilitas, quæ alia appellatur *Facultas*. *Potentia passiva* consistit in patiendi possibilitate. *Vis* vero est continuus conatus, sive nisus proximus agendi: sive *vis* est id, in quo continetur ratio sufficiens, cur actio ad existentiam perveniat, & actu adsit. *Conf. Wolfii Ontolog. p.* 542. Poterat *vis* etiam ita definiri: *Vis* est tendentia entis continua ad producendas mutationes.

EXEMPL. Ut hæ definitiones itemque differentia, quæ *vim* inter, & *facultatem agendi* reperitur, cuivis perspicua sit, exemplum, quo, quæ dicta sunt, commode possint illustrari subjungam. Ita exemp. gr. animæ humanæ tribuimus *potentiam vel facultatem fingendi*. Non fingit semper anima actu, sed quia fieri potest, ut data occasione fingat, ipsi tribuimus possibilitatem, sive facultatem fingendi. Arcui item adscribimus potentiam, sive possibilitatem jacula emittendi, etiam tum, cum

cum laxus, neque tensus fuerit. Si vero nervus, in arcu jaculis projiciendis destinatus fuerit tensus; ita ut, impedimento sublato, oppido suo defungatur officio, & ejaculetur tela, tum arcui vim ejaculandi tribuere consuevimus. In globo quoque suspenso deprehendimus vim, sive continuum conatum descendendi, & statum suum mutandi. Qui quidem conatus, remoto impedimento, actu se oppido exsereret.

SCHOL. Scholastici, neque minus Cartesius ejusque sectatores, *vim*, & *potentiam agendi* non satis a se invicem discreverant. *Leibnitius* vero primus in Act. Eruditorum, A. 1694. p. III. *vim activam* ab *agendi potentia* internoscere cœpit; arbitratus, inter vim, facultatem agendi, & ipsam actionem, medium esse, & involvere conatum, & nisum mutationes producendi. *Conf. VVolf. Ontolog.* §. 761. & *Hanchius in Princip. Philosoph. Leibnit. more Geometrico demonstr.* p. 32.

§. 299. *Ex dictis patet, quemadmodum ex sola agendi potentia nulla sequitur actio, ita ex sola potentia passiva nullam fluere passionem.*

Demonstr. Cum enim id, quod possibile est, ideo nondum actu existat, & a posse ad esse nulla valeat consequentia, (§. 54.) intelligitur, non ideo actionem revera dari vel existere, quia potentia agendi in subjecto reperitur.

Eandem ob caussam manifestum est, ideo nondum existere passionem, quia potentia passiva in subjecto alio reperitur.

§. 300. *Posita vi, ponitur actio, nisi adsit impedimentum.*

Demonstr. Posita enim vi, ponitur id, in quo continetur ratio sufficiens, cur revera detur, & existat actio. (§. 298.) Posita vero ratione sufficiente alicujus rei, ponitur id, quod rei producendæ aptum, & sufficiens est, (§. 32.) adeoque ipsa res ponitur. E. posita vi, ponitur actio. Si vero impedimentum adfuerit, tunc ejusmodi quid

ob-

obstat, quod in se continet rationem sufficientem, cur actio non perveniat ad existentiam. Ut adeo vis agendi, impedita obstaculis, tendat quidem ad mutationem status producendam, sed sine effectu. E. gr. Cum globum habueris in filo suspensum, tum sentis in globo conatum, & nisum continuum descendendi. Qui vero conatus, vel ideo actu se non exserit, quia filum est impedimentum, quod obstat, quo minus globus vim descendendi prodat manifesta quadam actione, & mutatione. In anima deprehenditur *vis repræsentandi*. Hæc vis repræsentandi continuo agit, (perpetuo enim, ipsoque in alto sopore, anima gaudet cogitationibus) Ut adeo, vi posita, ipsam poni actionem, satis liqueat.

§. 301. *Entia simplicia vi agendi gaudent.*

Demonstr. Cum supra, vi principii indiscernibilium, (§. 169.) explicati, evictum sit, duas res perfecte similes, sive easdem, nec dari, nec dari quidem posse, intelligitur, limites entis simplicis, qui in se variari possunt, semper mutari. Si enim minus variarentur, duo, vel plures ejus status essent perfecte iidem, & ita non adesset ratio sufficiens, cur status A, non fuisset tempore alterius status B, quippequi, ex hypothesi, in omnibus cum statu A, perfecte conveniret. Si itaque verum est, ut est, limites in entibus simplicibus, (*sed N. B. contingenter existentibus*) perpetuo variari, limitum autem sive modorum variatio id ipsum est, quod vocamus ***mutationem***, (§. 290.) palam est, mutationes continuas in entibus simplicibus reperiri. Hæ ipsæ mutationes, in ente simplici oriundæ, *vel* existunt, nullo alio ente simplici presente, *vel* aliis entibus simplicibus coexistentibus. Si nulla alia entia simplicia coexistunt, ratio mutationis erit in ipso illo ente simplici, quod mutatur, adeoque agit, (§. 293.) si vero substantiæ coexistentes a se invicem patiuntur, tum in se invicem agunt. Quoties enim

nim A, patitur a B, toties B, agit in A. (§. 296.) Cum itaque, quo tandem cumque modo existant entia simplicia, agant, actio autem entium simplicium nihilo magis sine vi agendi concipi possit, quam quicquam sine ratione sufficiente, (§. 297. 32.) liquet, omnia entia simplicia gaudere vi agendi.

§. 302. *In entibus simplicibus debet aliquid esse perdurabile.*

Demonstr. Cum entia simplicia, ob immaterialitatem suam, destrui, & interire non possint, nisi per annihilationem, (§. 286.) consequens est, ut entia simplicia naturaliter *τό esse suum* continuent. Cum vero continuatio τῦ esse appelletur, & sit entis *duratio* (*per def.*) colligitur hinc, in entibus simplicibus perdurabile quid esse, i. e. ejusmodi, quid, quod per aliquod tempus duret, quodque determinationibus intrinsecis constantibus gaudeat, quibus plures modi variabiles coexistant,

§. 303. Subjectum perdurabile, & modificabile, i. e. quod sustinet accidentia, & modos, vocamus, *substantiam*.

EXEMPL. Sic e. gr. Anima nostra est perdurabile quid, quatenus illam considero, tamquam subjectnm illud, quod multis gaudet accidentibus, innumerasque habet facultates. Anima quoque est subjectum modificabile. Multis enim modis, & accidentibus est obnoxia, nunc enim cogitat, nunc judicat, nunc appetit, nunc versatur &c. Hanc definitionem, a rebus præsentibus, & contingenter existentibus abstractam, itidem ad res finitas, & contingentes volumus extendi.

SCHOL. In philosophia Aristotelico-Scholastica substantia definiebatur per ens, quod per se subsistit, & sustinet accidentia. Quæ vero definitio nonnullis obscurum per æque obscurum explicare, videtur, propterea quod non facile Scholasticorum quisquam determinare possit, quid sit *per se subsi-*

ste-

sistere. Neque video, quomodo hanc definitionem tolerare queant Theologi, cum, substantiam esse Christi humanam naturam, ajunt, eamdem vero per se subsistere negant. Quare Hebenstreitius, philosophiæ Scholasticæ, si quisquam gnarus, hanc *substantiæ* definitionem rejicit, eique substituit sequentem: *substantia*, est ens, quod non existit in alio, tamquam in subjecto. In *altero* vero, tamquam in *subjecto* quid esse dicitur, cum revera, & actu in alio ente ita est, ut de illo possit revera affirmari, nec ad illius essentiam spectet, neque insit ei tanquam pars, neque ab ipso separari possit positive h. e. ut, facta separatione, remaneat. *Conf. Philosoph. Prima p. m.* 248.

SCHOL. *Spinoza in Ethic. geometr. ord. demonstr. Part. I. defin. III. substantiam* definit per ens, cujus conceptus non indiget conceptu alterius, a quo formari debeat. Quam quidem definitionem cum *Cel. Hollmanus*, Professor Gottingensis, optimam, multisque aliis præferendam credat, eam in *Metaphysica* §. 355. retinuit, & defendit.

SCHOL. *Leibnitius*, cum eoque plures alii *substantiam* definiunt per ens, quod vi agendi est præditum, sive, quod idem est, quod principium mutationum suarum in se continet. *Conf. Hanschii princip. Philos. Leibn. more geometrico demonstr. p.* 31. *&* *Act. Erud. an.* 1694. *p.* 110. *VVolfius* substantiam eodem fere modo in *Metaphysica German.* definit. *substantia*, inquit, *est quæ continet in se, vel aliquid in se habet* §. 144. Quam quidem definitionem Leibnitianam quamvis impugnaverint cum alii plures, tum vero, vel maxime *Rualdus Andala*, *&* *Strachlerus*, ille scil. *in dissert. philos.* in qua *vera substantiæ notio vindicatur, simulque confutatur vis activa a G. G. L. cuilibet substantiæ, tam corporeæ, quam spirituali, in Specimine dynamico attributa*, hic vero in *exam. philos. VVolf.* nihilominus, re rite expensa, arbitramur, non adeo male Leibnitium substantiam definivisse.

NOTA Si tamen dicendum, quod res est, rectius vis agendi de substantiis demonstratur, quam ad substantiæ definitionem refertur. Leibnitium itaque vides theorema, ex definitione demum deducendum, pro ipsa venditare definitione. Id quod nihil novi est in philosophia.

§. 304. Substantia, in qua omnia determinata sunt, dicitur *substantia prima*.

SCHOL. Huc referimus omnia individua, in quorum quolibet omnia jam ita sunt determinata, ut, quamdiu debet esse hæc res, nec alia, tamdiu nullæ aliæ possint accedere notæ, & determinationes. Conf. Log. §. 100. seqq. Veteres *substantiam primam*, (quam alias quoque vocare solent substantiam *singularem*) ita definiebant: *substantia prima* est, quæ neque de subjecto aliquo dicitur, neque in subjecto aliquo inest. E. gr. *Hic Paulus*, *hic Petrus*, *&c.* sunt substantiæ primæ, Paulus enim, quatenus est *hic* Paulus, de nullo subjecto dici potest, neque etiam inest in aliquo subjecto.

§. 305. Substantiæ primæ opponitur *substantia secunda*, sive *universalis*, in qua non omnia sunt determinata, sed plura adhuc possunt determinari.

Not. Huc referas genera, & species. Sic e. gr. *Spiritus*, *homo*, *animal*, sunt substantiæ secundæ, sive universales. *Conf.* Log. §. 101.

Substantia, quæ pluribus potest competere, dicitur *Communicabilis*; quæ autem pluribus competere nequit, vocatur *incommunicabilis*.

EXEMPL. E. gr. Omnes substantiæ secundæ, sive universales sunt etiam communicabiles. Substantia *hominis* potest communicari pluribus individuis, e gr. Petro, Paulo, Sempronio &c. Substantia vero prima, sive singularis, est incommunicabilis. Substantia e. gr. Caij non potest communicari substantiæ Titii, ita ut sit Titius Cajus.

§. 307. Substantia, quæ ex sua natura non ordinatur ad constituendam substantiam aliquam tertiam, dici-

dicitur *completa*, quæ vero ad aliquod tertium constituendum ordinata est; appellatur *incompleta*.

EXEMPL. Anima e gr. hominis a philosophis æque ac Theologis habetur pro substantia incompleta. Anima enim divinitus est ad id ordinata, ut, cum corpore organico unita, substantiam tertiam constituat, scilicet *hominem*. Angelus vero est substantia completa, propterea quod Angelus ad id non est ordinatus, ut tertium quoddam ens constituat.

§. 308. Ex his notionibus, distincte evolutis, intelligi nunc poterit, quid sit *suppositum*. *Suppositum* scilicet dicimus substantiam singularem, incommunicabilem, & completam.

SCHOL. Anima hominis non potest dici suppositum, quia anima hominis non est substantia completa. Ordinatur enim anima hominis ad constituendum aliquod ens tertium. *Hæc* vero mensa, quam coram vides, *hic* liber, quem, in hac mensa positum, intueris, est suppositum. Est enim hæc mensa 1 *individuum*, *&* *substantia singularis*. 2 Est hæc mensa *substantia incommunicabilis*. Fieri enim nequit, ut hæc mensa communicetur alteri mensæ, & tamen maneat hæc mensa. 3 Est denique substantia *completa*. Non enim hæc mensa est ejusmodi substantia, quæ, cum alia conjuncta, tertium aliquod ens constituere debeat, ut exempl. grat. anima humana.

§. 309. Modus ille existendi, quo substantia singularis ita existit, ut nec ordinetur ad substantiam aliquam tertiam constituendam, nec communicari possit alteri substantiæ, dicitur barbare *suppositalitas*, item *subsistentia*, *&* *hypostasis*.

NOT. Intelligis, opinor, hinc, quid sit, quod Theologi, humanam Christi naturam non habere subsistentiam, & ὑπόστασιν propriam, ajant. Aliunde enim, nempe a divina natura, humana Christi natura sustentatur, & ordinata est ad sub-

ſtantiam quandam tertiam in unione conſtituendam, ſcilicet Chriſtum.

§. 310. Si ſuppoſitum fuerit intelligens, i. e. ſi res diſtincte ſibi poteſt repræſentare, tum illud appellamus *perſonam*.

SCHOL. Ex quo vides, animam humanam non dici poſſe perſonam. Eſt enim anima humana ad id ordinata, ut, cum corpore conjuncta, tertiam ſubſtantiam, ſcilicet ſubſtantiam *hominis*, conſtituat; adeoque anima humana non eſt ſuppoſitum: (§. 308.) nec poteſt dici perſona. Cajus vero, ut homo, ex corpore organico, & anima rationali conſtans, conſideratus, eſt perſona. Eſt enim ſuppoſitum (per def. ſuppoſ.), & quidem intelligens.

NOTA. Has notiones, vel ideo ſpecialius explicandas duxi, ut familiares fierent literarum ſanctiorum ſtudioſis, quos harum rerum ignorantia nimium quantum impedit, quo minus, in perlegendis veterum Theologorum ſyſtematibus inoffenſo pede, poſſint progredi.

§. 311. Quemadmodum id, quod perdurat, & in quo attributa una cum variis mutationibus obſervamus, ſubſtantiam eſſe, ſupra diximus, (§. 303.) ita omnes illæ determinationes, quæ in ſubjecto perdurabili deprehenduntur, ſive conſtantes, & perpetuæ ſunt, ſive ſint variabiles, appellantur *accidentia*.

SCHOL. Vocem *accidentis* non hoc loco volumus eo accipi ſenſu, quo ſupra (§. 82.) jam a nobis determinatum eſt. Ibi enim id omne ad accidentia, & modos referendum putavimus, quod non conſtanter rei convenit, quodque adeo attributis, rei perpetuo, & conſtanter competentibus opponitur. Veteres accidens, ſupra §. 82. jam explicatum, vocabant *accidens prædicabile*. Hoc loco accidens ita interpretamur, ut ſub eo id omne complectamur, quod non eſt ſubſtantia, ſive de

ce-

cætero rei constanter, & perpetuo competat, sive minus. Veteres hoc accidens vocabant *accidens prædicamentale*.

NOT. Permultum refert, accidens prædicabile a prædicamentali sollicite internosci. Ex harum enim notionum confusione, scimus, funestam illam inter *Flacium*, & *Strigelium* controversiam de *peccato originis* esse exortam.

§. 312. *Omnis substantia vi agendi gaudet*.

Demonstr. In qualibet enim substantia, experientia teste, mutationes observamus. Si vero substantiæ status mutatur, tunc aut sola illa, quæ mutatur, substantia existit, aut ipsi plures aliæ substantiæ coexistunt. Si sola existit substantia, tunc ratio sufficiens mutationis in ipsa evenientis, non potest quæri extra ipsam, (quia, per hypothesin, nulla alia cum ea existit substantia) sed ratio sufficiens debet in ipsa deprehendi. Adeoque substantia, sola existens, agit.)(§. 293.) & gaudet vi agendi. (§. 297.) Si vero plures aliæ substantiæ simul cum ea existant, tum aut ratio sufficiens mutationis in ipsa substantia, quæ mutatur, reperitur, aut in alia coexistente. In casu priori agit (*per demonstrata*), & gaudet vi agendi: in casu posteriori substantiæ coexistentes a se invicem patiuntur. Atqui vero si **A** patitur a **B**, tunc **B**, agit in **A**, (§. 296.) E. **B**, agens in **A**, vi agendi præditum sit necesse est, E. substantia agendi vim possidet.

§. 313. *Entia simplicia sunt substantiæ*.

Demonstr. Cum omnes substantiæ vi agendi gaudeant, (§. 312.) entia autem simplicia vi agendi sint instructa, (301.) manifestum est, entia simplicia esse substantias.

SCHOL. *Leibnitius* entia simplicia substantias κατ' ἐξοχὴν esse putat, &, quia entia materialia, sive corpora, ex entibus simplicibus sint composita, corpus dicendum, esse potius substantiarum aggregatum, credit quam ipsam substantiam. *Vid.*

*Recueuil. Tom. II. p.*133. *item Acta Erudit. ad an.* 1698. *p.* 439. Leibnitio assentitur VVolfius, qui id ipsum *in Ontolog. Lat.* §. 793. sufficienter demonstravit. *Malim*, inquit VVolfius, *substantiarum simplicium aggregata, hoc est, entia illa composita, ex quibus mundus materialis constat, corpora dici, quam substantias simplices, cum a comuni vocis significatu non ideo sit recedendum, quod corpora vulgo dicantur substantiæ, etsi corpus quodcumque non sit substantia una, sed potius aggregatum substantiarum innumerarum.* Si qui sunt, qui, hoc ipsum incommode dictum, putant, qui, quod in acceptione vocis *substantia* displicet, emendent, modo, multum hic latere veneni, sibi non persuadeant.

CAPUT XVI.

De ente finito, & infinito.

§. 314.

CUm ea, quæ ad differentiam entium compositorum simpliciumque intelligendam pertinent, quantum satis est, explicasse videamur, proximum est, ut, quæ sit *infiniti finitive entis* natura, quodque discrimen, exponere ingrediamur.

NOT. Neutiquam vero id hic a nobis adstrui existimato, quod revera detur ens aliquod infinitum; id enim in Theologia demum naturali demonstratur, sed generatim tantum, (id quod est Ontologi,) entis finiti infinitique naturam, &, quibus ab altero alterum internoscatur, notas evolvemus.

§. 315. Per *limitem* nihil aliud intelligimus, quam defectum ulterioris realitatis.

SCHOL. *VVolfius Terminum* sive *limitem* ita definit in *Ontol. Lat.* §. 498. *Limes* est id, ultra quod

quod nihil amplius in re concipere licet ad eandem pertinens. Definitionem hanc oppido intelliges, si limites corporis alicujus, e. gr. *mensa*, tibi repræsentaveris. Quid, quæso, tibi sistis, cum limites hujus, quam coram vides, mensæ tibi repræsentas? Annon, cum, quæ adsunt, partes reales esse desinunt, limites incipiunt? Ut adeo limites recte constituamus in defectu ulterioris realitatis.

§. 316. Cum limites in entibus extensis deprehenduntur, tum illi limites extensionis efficiunt id, quod dicimus *figuram*, de qua jam supra, (§. 262.) actum est a nobis. Si limites vero in entibus simplicibus, omni extensione destitutis, reperiuntur, tum illi limites intensionis sive virium, & qualitatum dicuntur *gradus*.

§. 317. *Omne, quod circumscriptum est limitibus, non omnia ea habet, quæ habere potest.*

Demonstr. Cum enim limes consistat in defectu ulterioris realitatis, (§. 515.) manifestum est, omne id, quod limitibus est circumscriptum, carere quibusdam realitatibus, adeoque nondum omnia habere, quæ habere poterat.

§. 318. *Eo, quod limitibus est definitum, majus quid concipi potest.*

Demonstr. Cum enim, quod limitibus gaudet, sit ejusmodi, ut nondum omnia ea habeat, quæ habere potest, (§. 317.) intelligis, aliud quoddam ens concipi posse, in quo plus resideat realitatis. Si vero ens A, fuerit ita comparatum, ut in eo plus deprehendatur realitatis, & plures in eo concurrant partes, quam in alio quodam ente B, tunc ens A, dicitur *majus* ente E, (§. 257.) E. perspicuum est, eo, quod limitibus circumscriptum est, ente majus adhuc concipi posse. Et vice versa omne id, quo majus concipi potest, limitibus circumscriptum sit, necesse est.

§. 319. *Quod est limitibus circumscriptum, successive alios, atque alios habere potest.*

Demonstr. Cum quod habet limites, sit ejusmodi, ut nondum habeat omne id, quod habere potest, (§. 317.) palam est, ad id, quod gaudet limitibus, successive alia, atque alia posse accedere. Adeoque, quicquid est limitibus circumscriptum, id successive alios, atque alios status habere potest.

§. 320. Ex quo, necessaria consecutione, efficitur, omne id, quod definitum est limitibus, esse mutationis capax.

§. 321. *Omne itaque id, quod possidet limites, debet esse ens contingens.*

Demonstr. Cum enim omne id, quod possidet limites, sit mutabile, (§. 320.) omne autem id, quod est mutabile, sit contingens, (§. 176.) perspicuum est, omne id, in quo reperiuntur limites, debere esse ens contingens.

§. 322. Ex his, habita oppositi ratione, intelligi potest, id, quod limitibus caret sive destituitur, (α) omnes eas, quas habere potest, realitates actu habere debere, (§. 317.) (β) omnes respuere gradus, (§. 316.) (γ) eo nihil posse concipi majus, (§. 318.) (δ) in ipso nullam successionem posse habere locum, (§. 319.) (ε) nullam quoque mutationem in ipso reperiri, (ζ) & denique absolute necessarium esse debere,

§. 323. Quicquid gaudet limitibus, id dicimus ens *limitatum, sive finitum;* quicquid vero iisdem destituitur, id appellitamus *illimitatum*, sive *infinitum*.

NOT. Non est, quod has definitiones cum nonnullis pro identicis sive synonimicis habeamus. Cum enim, quid sit *Limes*, jam in antecedentibus, (§. 315.) sit explicatum, cessant jam hæ definitiones esse identicæ, & obscuræ. Conf. *Instit. Meæ Log.* §. 163. *seqq.*

§. 324. *Omne ens finitum* est ejusmodi, ut nondum omnia habeat actu, quæ habere potest. Hanc posi-

positionem rectius intelligis, si §. 317. cum §. 323. contuleris.

NOT. Sunt, qui, cum ens finitum definire volunt, id per ejusmodi ens exponunt, quod non omnia habet actu, quæ habere potest. Qui quidem id, quod nos, tanquam theorema, ex definitione *finiti*, & *limitis* elicuimus, pro ipsa τῦ *finiti* definitione assumunt. Id quod subinde fieri in philosophis, jam supra; (§. 303.) monuimus.

SCHOL. Ut vero theorema, quod ex definitionibus τῦ *finiti*, & *limitis* suum petit robur, tibi fiat manifestum; habeto exemplum. Anima humana est ens finitum, atque ob ipsam suam finitudinem nondum habet actu omnia, quæ habere poterat. Alia nosti hodie, quæ heri plane ignorabas: alia cras scies distinctius, quæ confuse hodie, & obscuriuscule percipis. Quæ quidem omnia, opinor, quemvis cumulatissime edocent, non omnia habere actu animam nostram, quæ quidem poterat habere.

§. 325. *Ente finito concipi majus quid potest*.

Demonstr. Cum enim eo ente, quod non est limitibus circumscriptum, nullum aliud possit majus concipi, (§. 322.) omne autem ens finitum sive limitatum, sit limitibus circumscriptum, (§. 323.) palam est, ente finito posse quid majus concipi. Ex supra adstructis itidem patescit, ens finitum alios, atque alios status successive acquirere, (§. 319. 323.) adeoque esse mutationis capax,) §. 320.) itemque esse ens contingens (§. 321.)

§. 326. Præterea, quæ sint entis infiniti attributa, qui characteres, ex dictis plus satis intelligi potest.

§. 327. *Ens infinitum debet omnes realitates, quæ tantum in ipso sunt possibiles, actu possidere*.

Demonstr. Cum enim ens infinitum omnibus omnino destituatur limitibus, (§. 323.) id autem, quod destituitur limitibus, omnes realitates, quæ, sunt

ſunt poſſibiles, actu poſſidere debet, (§. 322.) manifeſta eſt ratio, cur ens infinitum omnes realitates, quæ in ipſo locum poſſunt habere, actu, & re ipſa poſſidere debere, ajamus.

SCHOL. Intelligis ex hoc theoremate, quid ſit, quod *Illuſtr. Wolfius in Metaphyſ. German.* §. 109. ſequentem in modum definiat, *Unus tantum ea, qui omnia ſcit, ſine ipſo nullus, hoc eſt Deus*. Intelligis hinc porro, quod ſit, quod *Bilfingerus in dilucidat.* §. 407. *infinitudinis* notionem quærat in *omnitudine compoſſibilium*, (Ita enim ipſe loquitur, barbare quidem, ſed vere tamen, & recte.) Ut, quæ enunciaverat obſcurius, facilius intelligerentur, ſequentia addit: „ Ad infinitudinem pertinet (1) ut ens infinitum attributa, quæcumque habet, habeat abſolute, & ſine gradibus, hoc eſt, attributa illa cum univerſa ſua omnitudine poſſibili, v. gr. intellectum cum extenſione ad omnia ſcibilia &c. (2) Ut ens infinitum habeat attributa compoſſibilia omnia, hoc eſt, attributa vere, & ſimpliciter realia omnia. Quæ enim vere, & ſimpliciter realia ſunt, illa non pugnant, ſed compoſſibilia ſunt inter ſe omnia.

§. 328. *Ens autem infinitum non modo omnes, quæ ſunt in ipſo poſſibiles, realitates, & perfectiones actu poſſidet, ſed eadem quoque poſſidet ſine ullo gradu.*

Demonſtr. Cum enim *gradus* conſiſtit in limite virium ſeu qualitatum, & perfectionum, (§. 316.) ens autem illimitatum ſeu infinitum omnes limites reſpuat, (§. 323.) conſequens eſt, ut ens illimitatum ſive infinitum omnes realitates, in ipſo poſſibiles, ſine ullo poſſideat gradu.

§. 329. *Ens infinitum nullam admittit ſucceſſionem.*

Demonſtr. Cum enim, quod caret limitibus, idem debeat carere ſucceſſione, (§. 322.) ens autem infinitum careat limitibus, (323.) conſequens eſt,

eſt, ut ens illimitatum ſive infinitum nullam omnino admittat ſucceſſionem.

SCHOL. Hinc *VVinklerus in inſtit. philoſ. VVolfiana p. 78. §. 386. ens infinitum reale* definit per ejuſmodi ens, in quo omnia, quæ eidem poſſunt ineſſe, inſunt ſine *temporis progreſſu*.

§. 330. *Ens infinitum nullius omnino mutationis eſt capax.*

Demonſtr. Cum enim, quod limitibus deſtituitur, deſtituatur quoque omni omnino mutatione, (§. 322.) ens autem infinitum ſit illud ipſum ens, quod deſtituitur limitibus, (§. 323.) palam eſt, ens infinitum, ſive illimitatum nullius omnino mutationis eſſe capax.

§. 331. *Ens infinitum debet eſſe ens abſolute neceſſarium.*

Demonſtr. Cum enim, quod deſtituitur limitibus, debeat eſſe ens abſolute neceſſarium, (§. 322.) conſequens eſt, ut ens infinitium, quippe quod careat limitibus, (§. 323.) non poſſit non eſſe ens abſolute neceſſarium.

§. 332. *Ex quo apparet, ens infinitum non poſſe eſſe ens compoſitum, ſed debere eſſe ens ſimplex.*

Demonſtr. Cum enim, quicquid eſt compoſitum, non poſſit eſſe ens abſolute neceſſarium, (§. 224.) ens autem infinitum ſit ens abſolute neceſſarium, (§. 331.) conſequens eſt, ut ens infinitum non poſſit eſſe ens compoſitum. Quia vero omne ens debet eſſe aut ens compoſitum, aut ens ſimplex, (§. 297.) intelligi poteſt, cur ens infinitum debeat eſſe ens ſimplex.

§. 333. Quicquid itaque ad entium compoſitorum numerum refertur, id non poteſt eſſe ens infinitum, ſed finitum ſit, limitibuſque circumſcribatur, neceſſe eſt.

§. 334. *Duo entia infinita nec dantur, nec dari poſſunt.*

Demonſtr. Si plura darentur, aut dari poſſent en-

tia

tia infinita, tum aut illa sibi forent similia, aut dissimilia. Si sibi essent dissimilia, tunc in ente infinito A, essent perfectiones, quæ desiderarentur in B: aut in B, essent perfectiones, quæ desiderarentur in A. Quum vero ens infinitum debeat habere omnes realitates, sive perfectiones compossibiles, (§. 428.) fieri non potest; ut ens infinitum A, plures, & B, pauciores possideat realitates, & vice versa. Adeoque, si plura forent entia infinita, illa sibi non posse esse dissimilia; vides; si vero sibi essent perfecte similia, tunc non essent plura, sed unum, & principium indiscernibilium, supra, (§. 169.) demonstratum, hoc modo corrueret. Addo etiam hoc: Si illa, quę finguntur, entia infinita sibi essent similia: tunc aut essent similia, & æqualia simul; aut similia quidem, sed inæqualia. Si dixeris, esse illa sibi similia quidem, sed inæqualia, absurditatis te ipse incusas. Quando enim sibi essent inæqualia; tunc major realitatum quantitas esset in ente infinito A, & minor in B. Cum vero realitatum, sive perfectionum, gradus in ente infinito [illegible] cum habere nequeant, (§. 228.) consequens est, ut nec ens infinitum A, majorem, nec ens B, minorem realitatum, sive perfectionum quantitatem habere queat, adeoque plura, quæ sumuntur, entia infinita non possunt esse similia; & inæqualia. Si vero sibi sunt similia, & æqualia simul, tunc aut nulla prorsus inter ea reperitur differentia, aut tantum aliqua. Si plane nulla inter ipsa reperitur differentia, tum quidem non amplius sunt plura entia infinita, sed unum, sub diverso licet nomine. Si vero aliqua tantum in ipsis deprehenditur differentia, tum ea erit, aut in numero, aut in loco. Si ens infinitum A, ab ente infinito B, tantum numero differt, tum debet adesse ratio sufficiens, cur A, a B, numero differat. (§. 31.) Aut itaque ratio sufficiens, cur ens infinitum A, numero differat ab ente infinito B, est

eſt in ente A, aut in ente B. Si ratio ſufficiens iſta eſt in ente B, tum ens A, alicujus rei in ſe exiſtentis, rationem habet in altero, adeoque eſt aliquo modo dependens. Quæ vero imperfectio ab ente infinito eſt plane excludenda. Si autem illa ratio ſufficiens, cur ens infinitum A, numero differat ab ente infinito B, eſt in ente ipſo A, tum poſſeſſio, & præſentia hujus rationis ſufficientis aut eſt imperfectio quædam, aut perfectio. Non imperfectio, quia ens infinitum tantum gaudet realitatibus ſive perfectionibus, ſi vero eſt perfectio, & tamen tantum reperitur in ente A, non autem B; ſequitur, ut B, perfectione aliqua deſtituatur. Cum vero ens infinitum habet omnes realitates, & perfectiones, nec hac carere poteſt, ſi eſt. Sed eam non habet, (*per demonſtr.*) E. etiam non eſt. Cum vero, quicquid non habet rationem ſufficientem, ſit nihil, (§. 32.) nihil autem non exiſtat, ſequitur, ut nec hæc, qua *numerum*, differentia exiſtat. Quæ de differentia numeri valent, dicta quoque ſunto de loci differentia. Ex quibus tandem hoc conficis, plura entia infinita nec dari poſſe.

SCHOL. Verboſior videri poteram in hoc theoremate demonſtrando. Sed plurimum intereſſe, ſcito, ut hæc poſitio legitime demonſtretur, propterea, quod ſine hoc theoremare unitas Dei infra nequit demonſtrari. *Cl. Canzius in Uſu Philoſ. Leibnit. & VVolf. T. I. p.* 166. præclare hanc in rem: *Cum per vocem* entis infiniti, inquit, intel-
„ ligamus illud ens, quod omnes omnino perfectiones
„ complectitur, & eas quidem ſine gradu poſſeſſas;
„ cognoſcitur ſane, plura ejus generis entia eſſe non
„ poſſe. Nam cum ſingula omnibus, & ſine gradu
„ quidem perfectionibus exornata forent, nullum re-
„ manet diſtinctionis fundamentum. Quis enim bis
„ omnia cogitat, ſi differre aut ea ſtatuat, aut alte-
„ rutro conceptu non comprehendit, omnia aut eadem
„ omnia diverſo mentis actu concipit?„ Conferri hic

po-

potest elegans dialogus, quem doctissimus *Coteschedius* Theologiæ suæ naturali subjunxit; qui, dici non potest, quam magna animi cum voluptate a me fuerit, & perlectus, & expensus.

§. 335. *Ens infinitum mensurari non potest.*

Demonstr. Cum enim *mensurare* nihil aliud sit, quam magnitudinem alicujus entis ad alteram datam homogeneam magnitudinem exigere, (§. 259.) consequens est; ut, quicquid caret magnitudine, id mensurari non possit. Quia vero ens infinitum est ens simplex, (§. 332.), & omni adeo caret magnitudine, (§. 270.) manifesta est ratio, cur ens infinitum mensurari non possit.

§. 336. Cæterum probe caveas, ne τὸ *infinitum* confundas cum *indefinito*, quippe quod idem est, quod supra diximus *indeterminatum*, conf. §. 131.

CAPUT XVII.

De principiis, & caussis.

§. 337.

Expofuimus hactenus variam entium differentiam. Nunc itaque in eo erimus, ut respectus entium adse invicem, ac relationes explicemus. Scilicet: si ita entia consideramus prout cum altero alterum est connexum, tum aliud deprehendimus ab alio dependere, atque adeo aliud esse *caussam*, aliud *caussatum*; *principium* aliud, aliud *principiatum*. Quare agendum nunc existimamus de *caussa*, & *caussato*, *principio*, & *principiato*.

SCHOL. Non minimi est momenti doctrina de principio, & principiato, caussa, & caussato. Vix enim ex veteribus vel Theologi, vel jure consulti, vel Medici etiam conspicies compendium; quin in eo dogmata per quatuor caussarum genera pertractata videas.

§. 338

§. 338. Si ens A, ita fuerit comparatum, ut in se contineat rationem, cur ens B, sit, tum *ens B., ab ente A, dependere* dicitur. Si vero ens quodquiam fuerit ejusmodi, ut in nullo alio ente extra se habeat rationem, cur sit, tum dicimus illud *independens*.

SHOL. Has notiones ante quam, quid sit *principium*, & *principiatum*, exponi potest, enodandas existimamus. Ut vero ipsæ intelligi distinctius possint, exemplum addere lubet. Hic mundus, e. gr. *dependet* a Deo, quia, cur hic mundus sit potius, quam non sit ratio invenitur in liberrima Dei voluntate. Appetitio boni *dependet* a repræsentatione boni, per intellectum facta, propterea quod ratio, cur voluntas nostra appetat bonum, deprehenditur in repræsentationibus intellectus, id quod infra in psychologia uberius demonstrabitur. Deus vero ideo dicitur *independens*, quia, cur Deus existat, in nullo alio ente extra ipsum potest dari, & inveniri ratio.

§. 339. *Principium*, in sensu generalissimo sumtum, nihil aliud est, quam omne id, unde aliquid quocumque modo dependet. Cum vero id, a quo aliquid dependet, debet esse ejusmodi, ut in se contineat rationem, cur alterum sit, (§. 338.) vides; quid sit, quod nonnulli principium in sensu generaliori definiant per id, quod in se continet rationem alterius. Id, quod ab altero dependet, sive, quod idem est, in altero sui rationem habet, dicitur *principiatum*.

EXEMPL. Sic. e. gr. Solis splendor est principium diei, propterea quod dies a solis splendore dependet; & hæc propositio: *Anima est immaterialis*, est principium hujus propositionis: *Anima est incorruptibilis*. Hæc enim ultima propositio rationem sui habet in priori. Dies itaque, in respectu ad solis splendorem, est *principiatum*: item, hæc propositio, *anima est incorruptibilis*, relata ad hanc propositionem; *anima est immate-*

te-

terialis; est principiatum, quia ab illa dependet.

§. 340. Id, in quo est ratio, cur alterum sit; dicitur a philosophis *principium essendi*. Id vero, in quo reperitur ratio, cur alterum fiat, appellamus *principium fiendi*. Illud denique, in quo deprehenditur ratio, cur alterum cognoscatur, *principium cognoscendi* vocamus.

SHOL. *Hebenstreit in philosophia prima p.* 598. principium essendi vocat id, a quo aliquod in suo esse procedit. Sic Deus est principium essendi, respectu mundi. *Principium fiendi*, idem dicit, esse, id, a quo res tantum dependet in fiendo, quale est e. gr. architectus respectu domus. *Principium* denique *cognoscendi* notat, ex Hebenstreitii sententia, omne id, unde res cognoscitur. Sic hæc propositio: *impossibile est, id simul esse, & non esse*, est principium hujus propositionis: *Nihil est sine ratione sufficienti*. Hæc enim ultima propositio dependet ab illa priori, quemadmodum id plus satis demonstratum dedimus §. 32

SCHOL. Principium essendi dividitur a veteribus Metaphysicis *in principium* QUOD, & *in principium* QUO. *Principium* QUOD est illud ipsum, *quod* rem aliquam ad existentiam perducit. Principium autem QUOD est id, quo mediante quid producitur. Sic Deus est fidei in homine *principium quod*; ipse enim producit in hominum mentibus fidem. Verbum autem. & Sacramenta possunt dici principium QUO. His enim mediantibus fides in animis, & accenditur, & confirmatur. Principium essendi dispescitur præterea in principium *internum* & *externum*. Illud ipsam rei, quæ dicitur principiatum, intrinsecam naturam constituit, e. gr. *Lignum*, respectu mensæ. Hoc vero, quod constitutionem principiati intrinsece non ingreditur, e gr. *Scriniarius*, respectu mensæ.

SCHOL. Denique principium essendi dividitur in principium *caussale*, & *non caussale*. Illud est, quod

quod rem aliquam revera producit; e. gr. Deus, respectu mundi, sol respectu diei, sunt principia caussalia. *Principium* vero *non caussale* est id, quod quidem rem producendam necessario præcedit, non vero illam revera producit, e. gr. *Aurora*, *respectu diei*.

SCHOL. Principium cognoscendi dividi solet a philosophis in principium *complexum*, & *incomplexum*. Principium complexum cognoscendi veteres vocabant quamvis integram propositionem, quæ, tamquam præmissa aliqua, in aliqua disciplina ad probandum quid adhibetur, & ad conclusiones inferendas usurpari potest. Sic e. gr. Theologiæ principium cognoscendi *complexum* est hæc propositio, multas ideas, & terminos complexa: *Quicquid Scriptura sacra dicit*, *illud infallibiliter verum est*. Principium vero cognoscendi *incomplexum* Metaphysici vocant terminum aliquem, qui in conclusione aliqua inferenda, & demonstranda locum obtinet medii termini. E. gr. Theologi vocant *Scripturam* sacram, Theologiæ principium cognoscendi incomplexum.

§. 341. *Nexus* est illa rerum ad se invicem relatio, vi cujus unum continet rationem alterius: & *connexa* ea dicuntur, quorum unum in se continet rationem, cur alterum existat.

SCHOL. Has notiones, in Cosmologia copiosius evolvendas, hic propterea distincte proponendas duximus, quod, iis explicatis, & præfultis, ea, quæ de principiis caussisque disputantur, rectius intelliguntur. Ut vero definitiones fiant magis perspicuæ, & manifestæ, sequens habeto exemplum. Inter Deum e. gr., & hunc mundum datur nexus, item inter pluviam calidam, & terræ fœcunditatem. Rationem enim Deus in se continet, cur hic mundus existat, & pluvia calida itidem rationem in se habet, cur terra sit fœcunda.

§. 342. Ubicumque itaque alterum alterius rationem in se continet, ibi datur nexus; &

ſublato rationis ſufficientis principio, tollitur nexus.

§. 343. *Inter principium, & principiatum datur nexus.*

Demonſtr. Cum enim principium ſit id, quod continet in ſe rationem ejus, quod dicimus principiatum, (§. 339.) illa autem relatio rerum ad ſe invicem, vi cujus unum continet rationem alterius, dicatur *nexus*, (§. 3. 1.) conſequens eſt, ut inter principium, & principiatum detur nexus.

§. 344. *Poſito principio, ponitur principiatum.*

Demonſtr. *Principium* eſt id, quod in ſe continet rationem alterius. (§. 339.) E. poſito principio, ponitur rei alicujus ratio ſufficiens. Poſita vero ratione ſufficienti, ponitur id, cujus eſt ratio. (§. 35.) E. cum principiatum ſit id, quod rationem ſui ſufficientem in altero habet, (§. 339.) intelligitur, poni, poſito principio, principiatum.

§. 345. *Poſito principiato, ponitur principium.*

Demonſtr. Cum enim principiatum rationem ſui ſufficientem in altero habeat, (§. 339.) conſequens eſt, ut, ſi datur principiatum, dari etiam quid debeat, in quo ratio ejus continetur. Dum autem illud, quod rationem hanc continet; ſit principium, (§. 339.) palam eſt, principium, poſito principiato, poni.

SCHOL. Si dies eſt, ponatur, neceſſe eſt, ſolis ſplendor, a quo dies dependet, tanquam a ſuo principio.

§. 346. *Principium, & principiatum ſunt ſimul.*

Demonſtr. Ponamus enim, principium, & principiatum non eſſe ſimul, tunc aut principiatum prius erit, quam principium, aut principium erit prius, quam principiatum. Ponas, principiatum eſſe prius, quam principium, tunc erit principiatum, & non erit principiatum. Erit principiatum, (*per hypotheſim*) non erit principiatum,

quia

quia omne principiatum sui rationem invenire, & dependere debet a principio. (§. 339.) Quomodo vero principiatum dependebit a principio, si principiatum est prius principio, adeoque principium nondum existit? Cum itaque impossibile sit, ut aliquid simul existat, & non existat, (§. 22.) impossibile quoque erit, ut principiatum prius sit, quam ipsum principium. Ponas vero, principium prius esse principiato, tunc principium erit principium, & non erit principium. Erit principium, (*per hypothesin*) non erit principium quia principium per id est principium, quod quicquam habet, quod ab ipso dependeat, (§. 339.) adeoque quod adsit principiatum. Cum vero fieri nequeat, ut aliquid simul sit principium, & non sit principium, (§. 22.) manifesta est ratio, cur principium principiato prius esse nequeat. Si itaque neque principium principiato: neque principiatnm principio prius esse potest: nihil aliud relinquitur, quam ut, principia, & principiata simul esse, ajamus.

SCHOL. Duo vero hic observari volo. I. Potest ens aliquod considerari 1. *ab olute*, id est, sine respectu ad alterum quoddam ens, quod producit 2. Consideratur *relative*, quatenus scilicet alterum quoddam ens ad existentiam perducit. Si consideratur principium *absolute*, i. e. ut *ens*, non vero ut *principium*, tunc principium prius esse potest, & est quoque prius ipso principio. E. gr. pater, ut *homo* consideratus, prior est filio; si vero patrem consideraveris, ut *patrem*, & principium filii, non potest ipse esse prior filio. Ecquis enim, patrem esse illum posse, dixerit, qui nunquam liberos generavit? II. Principium est quidem *prius natura*, quam principiatum, i. e. principium prius concipi potest, & debet quam principiatum, non vero est prius tempore. Solis e. gr. splendor prius concipi debet, quam dies, sed, si temporis habueris rationem, sol simul cum die apparet.

§. 347. Principium illud, a quo alterius existentia dependet, sive, quod continet rationem in sese, cur alterum existat, dicitur CAUSSA; id vero, quod sui rationem in principio caussali invenit, appellatur CAUSSATUM, sive Effectus.

SCHOL. Latius patet notio *principii*, quam notio *caussæ*. Omnis quidem caussa est principium, sed non omne principium est caussa, quia datur etiam principium non caussale. Conf. §. 339.

§. 348. *Caussalitatem* Scholastici vocant rationem illam, in qua caussa continetur, cur effectus producatur.

SCHOL. Ita caussalitas in Deo, qui est caussa hujus mundi, est creatio ipsa, qua totum hoc universum ex nihilo ad existentiam perduxit.

§. 349. Cum caussa sit principium, (§. 347.) consequens est, ut, quicquid dicitur de principio, & principiato, idem dicatur de caussa & de caussato.

§. 350. Experientia constat, quod ad id, ut aliqua res suam accipiat existentiam, multa concurrere soleant. Alia scilicet per veram actionem, alia per repræsentatam bonitatem, per necessarias determinationes, alias denique per receptionem harum determinationum ad effectum producendum quid conferunt. Unde existunt varia caussarum genera, quæ sigillatim nunc exponemus.

SCHOL. Veteres doctrinam de caussis ita pertractabant, ut caussas omnes dicerent esse, vel internas, vel externas. Has, ajebant, constitutionem effectus intrinsecam non ingredi. Quo pertinent α) *caussa efficiens*, *a qua* res est, β) *caussa finalis propter quam* res est. Caussas internas dicebant, quæ constitutionem effectus intrinsecam ingrediuntur. Huc pertinent α) *caussa materialis*, *ex qua* res est, & β) *caussa formalis*, per *quam* res est.

§. 351. *Caussa efficiens*, quæ proprie, & κατ' ἐξοχὴν caussa est, nihil est aliud, quam id, quod per

per actionem suam continet rationem alterius vel existentis, sive, quod vi sua alterum producit, uti e. gr. Deus hunc mundum produxit.

SCHOL. Caussa efficiens, & *ratio* (*cur*, Raison) omnino a se invicem differunt. Deus quidem hujus mundi caussa efficiens potest appellari; ecquis autem, ipsum *rationem hujus mundi* nominari posse, dixerit? Ut itaque has duas propositiones: *nihil est sine caussa*, & *nihil est sine ratione sufficienti*; a se invicem recte distingui a nonnullis, videas.

§. 352. Caussa efficiens varie a Metaphysicis distinguitur. Nos, ne quid hic omisisse videamur, quod ad rem pertineat, singulas divisiones, quam fieri potest distinctissime, exponemus.

§. 353. Caussa efficiens, quæ per suam actionem producit effectum, (§. 351.) vel ita agit, dum effectum producit, ut possit quoque actionem omittere, vel ita agit, ut, intrinseca sua natura ad agendum impulsa, non possit non agere. Illam vocamus *liberam*, hanc *naturalem*, & *necessariam*.

SCHOL. Scriptionis hujus sum caussa libera, poteram enim præsentem scriptionem quoque omittere. Cum vero ignis lignum comburit, fieri non potest, ut ex libera voluntate ignis actionem, omittas, adeoque est caussa efficiens naturalis, & necessaria.

§. 354. Cum caussa efficiens producit effectum, tunc aut productus effectus est ejusdem essentiæ, qua gaudet ipsa caussa, aut diversam habet essentiam; diversæque est speciei. Sin illud, tum caussa; effectum ejusdem essentiæ producens, dicitur *caussa univoca*. Si hoc, tum caussa, effectum diversæ essentiæ producens, appellatur *caussa æquivoca*.

SCHOL. Ut intelligar haud difficulter, exemplum addo illustrans. Cum pater generat filium, tum producit effectum, ejusdem plane essentiæ ac speciei,

ciei, adeoque pater est *caussa* filii *univoca*. Cum vero Deus hunc mundum produxit, cumque item sutor calceum, scriniarius mensam, ad existentiam producit, tum Deus, sciniarius, sutor, sunt caussæ æquivocæ, quia nec mundus, nec mensa, nec calceus, ejusdem sunt essentiæ, cujus sunt caussæ, quæ hæc effecta produxerunt.

§. 355. Caussa efficiens vel *principalis* est, vel *instrumentalis*. Caussa efficiens principalis est, quæ effectum producit virtute sua propria. Si vero actio vi aliena producitur, dicitur *caussa instrumentalis*.

EXEMPL. E. gr. Deus est caussa efficiens principalis Scripturæ Sacræ. Prophetæ autem, & Apostoli sunt caussa instrumentalis Scripturæ Sacræ.

SCHOL. *Instrumentum* vero, quod a caussa efficiente ad effectum producendum elevatur, dicitur a VVolfio ens, quod potentia agendi instructum est, sed vi agendi destituitur, ad effectum requisita. Conf. VVolfii Ontol. Lat. p. 657.

§. 356. Caussa efficiens porro est vel *physica*, vel *moralis*. Quæ distinctio, cum in aliis disciplinis identidem occurrat, nunc accuratius, & distinctius est explicanda. *Caussa physica* est, quæ effectum immediate vera ac reali actione producit; si vero quid effectum mediate ac per alium ad existentiam perducit, tum dicitur *caussa moralis*.

EXEMPL. E. gr. Si quis alterum hominem sua interficit manu, tum dicitur caussa physica homicidii; si vero quis ad alterius occisionem, vel cohortando, vel subsidia subministrando, vel suadendo, vel non impediendo, cum impedire posset, concurrit, tum vero ille dicitur homicidii caussa moralis.

SCHOL. Præcipui modi, per quos aliquis fit caussa moralis, sunt sequentes; Si quis fuerit (1) *mandans*, (2) *consulens*, (3) *ratihabens*, (4) *laudans*, (5) *consentiens*, seu *approbans*, (6) *Provocans*, (7) *non impediens*, *cum impedire posset*. Cæterum

terum observa, in sacris litteris æque effectum adscribi caussæ morali, ac caussæ physicæ. Quem fugit, Davidi, qui cædis Uriæ tantum caussa moralis erat, sacras literas imputasse, quod revera occiderit Uriam?

§. 357. His divisionibus caussæ efficientis subjungimus adhuc sequentes. Caussa efficiens producit, vel *per se*, ut talis, effectum; vel ab ipsa, sed non ut tali, *per accidens*, effectus in suo esse procedit. Illa dicitur *caussa per se*; hæc vero *caussa per accidens*.

EXEMPL. Ut hæc thesis pateat uberius, sequenti ipsam exemplo illustrandam putavi. Philosophus est caussa per se bonæ, & regulis rectæ rationis convenienter institutæ, ratiocinationis. Legitima enim, & ad rationis leges exacta ratiocinatio provenit a philosopho, quatenus talis est. Philosophus vero est caussa per accidens Atheismi, & philosophia est caussa per accidens multarum monstruosarum opinionum. Quia Atheismus non provenit a philosopho, quatenus talis est, (alias omnis philosophus deberet esse Atheus) sed quatenus suis præceptis opinionibus nimium quantum indulget. Nec Philosophia est caussa monstruosarum opinionum, (alias omnis, qui philosophia esset imbutus; deberet monstruosis opinionibus esse fascinatus.) Num Deus dici possit caussa per accidens Peccati, copiosius disputavit *Hebenstreit*, *in philosophia prima*, *p. m.* 691. *seqq.*

§. 358. *Concaussæ* sunt, quæ simul concurrunt ad unum idemque effectum producendum. Atque hæ ipsæ *concaussæ*, (ita enim a philosophis vocantur plures caussæ) ad unum effectum producendum unitæ, vel ejusdem, vel sunt diversi generis.

EXEMPL. E. gr. Scriniarius, & lignum sunt concaussæ respectu mensæ, sed sunt concaussæ diversi generis. Scriniarius enim pertinet ad caussam efficientem; lignum autem ad caussam materialem

Deus vero, & Prophetæ, Apostolique itidem sunt concaussæ, respectu Scripturæ sacræ, sed sunt concaussæ ejusdem generis. Pertinent enim ad caussam efficientem: Deus quidem ad caussam efficientem principalem; Prophetæ autem, & Apostoli ad caussam instrumentalem, uti hoc jam indicavimus §. 355.

SCHOL. Has concaussas ejusdem generis nonnulli ex veteribus porro dividere consueverunt in *concaussas ejusdem ordinis*, & *diversi ordinis*. Concaussæ ejusdem ordinis sunt, e. gr. duo validi viri, qui, viribus unitis, onus prægrande post se trahunt, & de loco in locum movent; concaussæ vero ejusdem generis quidem, sed diversi ordinis, sunt Deus, & Apostoli respectu Scripturæ sacræ.

§. 359. *Caussa efficiens solitaria* dicitur, cum effectus caussa efficiens non nisi fuerit unica; si vero plures caussæ ejusdem ordinis, constituentes unam caussam efficientem, effectum producunt, tum illæ plures caussæ dicuntur *caussæ sociæ*.

EXEMPL. E. gr. Diei caussa efficiens solitaria est sol, sed si plures equi currum unum onustum traxerint, dicuntur caussæ sociæ. Ad caussas autem socias requirit Hebenstreitius non modo, ut *sint concaussæ ejusdem generis, ejusdemque ordinis*, sed etiam numero diversas *rationes caussandi habeant, ita, ut effectus aliqua ratione ab hac, aliqua vero ratione ab illa caussa, a nulla autem totus dependeat. Quales caussæ e. gr. sunt duæ lampades, in eodem conclavi compositæ, & accensæ, respectu luminis, in eo conclavi producti*. Ex his requisitis negandum esse, idem affirmat, tres divinitatis personas esse caussas socias creationis. Una enim, & eadem numero potentia ad creationis opus a qualibet persona totum dependebat, id quod secus fit in caussis sociis. *Conf. Hebenstreit. philosophia prima p.* 694.

§. 360. Caussa efficiens porro alia *proxima* est, alia *remota*. *Caussa remota* est, a qua effectus, inter-

terventientibus aliis caussis, dependet. Caussa vero proxima est, a qua effectus, nulla alia caussa interveniente, dependet. Hæc dicitur *immediata*, illa *mediata*.

EXEMPL. Avus est nepotis caussa remota; quia pater adhuc est caussa intermedia; pater vero est caussa filii proxima. Concipies tibi hanc differentiam optime ita. Fingas hanc seriem A, B, C, D. fingas, D, dependere a C, & C, a B, & B, ab A. Vides hic, D, proxime dependere a C, adeoque C, est caussa proxima τῶ D. Vides vero insimul. D, quoque dependere a B, sed interveniente caussa C, Ergo B, est caussa remota τῶ D.

§. 361. Ex his intelligi nunc potest, quando caussæ dici possint *subordinatæ*: Si scilicet operatio caussæ proximæ dependet a remota, & operatio remotæ caussæ deprendet a remotiori, & ultra; tum caussæ istæ, a se invicem in operando dependentes, dicuntur *subordinatæ*.

SCHOL. Sic A, B, C, sunt caussæ subordinatæ respectu D, quia C, dependet, tanquam effectus, a caussa B, & B, dependet, tanquam effectus, a caussa A.

§. 362. Caussa efficiens a *Cel. Wolfio* dividitur præterea in *Ontol. Lat. p.* 660 in caussam efficientem *sufficientem*, & *insufficientem*. Sed si dicendum, quod res est, hæc distinctio parum mihi approbatur. Quomodo enim id, quod non sufficit ad effectum producendum, caussa dici possit; non video; per hoc enim quidpiam est caussa, quod effectum producat.

SCHOL. Cæterum *caussam*, sive *conditionem sine qua non*, probe distinguas velim a vera caussa efficiente. Est autem conditio sine qua non nihil aliud, quam ejusmodi conditio necessaria, quæ ex parte caussæ requiritur, & sine qua caussa effectum non potest producere. Sic e. gr. cum quis alterius intellectum ad veritatum utilissimarum cognitionem perducere, ipsumque rite emendare volue-

luerit, tum ante necesse est, removeantur, & estirpentur præjudicia. Quæ quidem præjudiciorum remotio non est ipsa caussa veritatum cognitionis, sed est conditio sine qua non. Ita quoque in opere conversionis, docent Theologi, primum omnium removendam esse malitiosam resistentiam. Quæ vero malitiosæ resistentiæ remotio non est caussa conversionis, sed tantum conditio sine qua non.

§. 363. *Nihil est caussa sui ipsius, sive quod idem est, nihil semetipsum potest producere.*

Demonstr. Ponamus, aliquid semetipsum producere, & sui ipsus esse caussam, tunc illud, quod semet ipsum produceret, & existeret, & simul non existeret. Existeret, alias semetipsum non produceret, (quomodo enim quid aliquid producet, & agendo ad existentiam producet, nisi ipsum existat?) Non existeret, quia demum se producere; i.e. sibi existentiam largiri, fingitur. Cum vero impossibile sit, ut aliquid simul existat & non existat, (§. 22.) impossibile quoque est, ut aliquid semet ipsum producat, sive sit caussa sui ipsius.

NOT. Veteres hanc propositionem ita enunciabant. Nihil est a se ipso in *sensu affirmativo*, i. e. ita, ut semetipsum produxerit, quamvis Deus sit a semetipso in *sensu negativo*, i. e., ita ut a nullo alio fuerit productus.

§. 364. Cum quicquid dicitur de principio, & principiato, idem dici possit de caussa, & caussato, (§. 349.) consequens est, ut (α) posita caussa ponatur effectus, sive caussarum (§. 344.) & (β) posito caussato, sive effectu, ponatur caussa (§. 345.) (γ) Hinc perspicuum est, inter caussam atque effectum, sive caussatum, dari nexum. (§. 343.)

§. 365. *Qualis caussa univoca, talis quoque est effectus.*

Demonstr. Cum enim caussa univoca producat effectum ejusdem speciei, & essentiæ, (§. 354.) sequitur, ut, qualis caussa est univoca, talis quo-

que

quo sit effectus. (Alias caussa, & effectus non eamdem haberent essentiam.)

EXEMPL. Si e. gr. pater est homo, sequitur, filium a patre generatum, debere quoque esse hominem.

§. 366. *Caussa caussæ est etiam caussa caussati.*

Demonstr. Fac enim, in A, contineri rationem, cur B, existat, tunc A, erit caussa ipsius B, (§. 447.) & B, erit effectus. Ponas porro, B, producere alium effectum, quem vocabimus C, tunc facile videbis, C, non potuisse produci a B, nisi B, productum fuisset ab A. A, itaque non modo est caussa τῶ B, sed quoque est caussa ipsius C. Quo ipso intelligitur, caussam caussæ esse etiam caussam caussati.

SCHOL. Hæc propositio licet sit verissima in caussis *essentialiter* & *necessario* subordinatis, non tamen ex eo colligendum est, eamdem quoque locum obtinere in caussis *accidentaliter* & *contingenter* sibi subordinatis. Recte quidem infers: Avus est caussa patris, pater est caussa mei, E. Avus quoque erit caussa, cur ego existam. Minus autem apte ratiocinaveris, si rationes ita conficeres: Deus est caussa hominis, homo est caussa peccati, E. Deus est caussa peccati.

§. 367. *Omnis caussa efficiens vi agendi prædita sit necesse est.*

Demonstr. Cum caussa efficiens producat effectus per realem actionem, (§. 351.) quicquid autem agit, id quoque vi agendi gaudere debet (§. 297.) intelligis, caussam efficientem vi agendi gaudere debere.

§ 368. *Caussa, absolute eadem, contrarios effectus producere non potest.*

Demonstr. Ponas, caussam *eamdem* contrarios effectus producere posse, tunc & erit caussa, *eadem*, & non erit caussa *eadem*. erit caussa eadem (*per hypothesin*.) Non autem erit caussa eadem, quia non eosdem producit effectus. Nam per id, quod effe-

effectum producant, aliquid est, & fit caussa. Adeoque aliqua res tum demum eadem caussa erit, si eosdem effectus producit. Si itaque caussa eadem contrarios effectus produceret, tunc non amplius esset eadem. Cum vero aliquid simul esse, & non esse nequeat, (§. 22.) eandem quoque caussam contrarios effectus producere non posse, palam est.

SCHOL. *Cl. Carpovius in dissertatione de pœnis necessitati hypotheticæ non contrariis* §. *VI.* hanc format demonstrationem: „ *Si eadem caussa* A, „ potest effectus B, & C, sibi invicem contrarios, „ æque bene facile producere, tunc, si producit „ B, non est ratio, cur non producat C, & vi„ ce versa. Objectionem hic sibi ipse format *Cla„ riss. Vir* hoc modo: A, caussa est. Sed respon„ det ipse quoque sibi. A, est caussa, cur aut B, „ aut C, sequatur, (quia, vi hypotheseos, utrum„ que potest producere, sed de ratione, cur B, „ nec C, producatur, quæstio recurrit. Nempe aut „ caussam A, non posse contrarios effectus B, & „ C, producere potuisse, aut aliquid sine ratione fie„ ri, confitendum est.

§. 369. *Non potest esse plus in effectu, quam fuit in caussa.*

Demonstr. Ponamus, esse plus in effectu B, quam fuit in caussa A, tunc illud *plus*, quod vocabimus C, aut dependet a caussa A, aut ab eadem non dependet. Si a caussa A, dependet, tunc fuit omnino in caussa A. Si vero a caussa A, non dependet, tunc aut a semetipso extitit, aut ab alia caussa D, dependet. A semetipso existere non potest (§. 363.) Er. a caussa D, dependet. Si vero illud *plus* C, dependet a Caussa D, tunc non pertinet ad effectus B, quia effectus B, per hoc est effectus B, quod dependeat a caussa A. Nunquam itaque plus in effectu esse potest, quam fuit in caussa.

SCHOL. Hoc theorema, quo, effectum *plene* ex caussa sua intelligi debere, asseveramus, idem fere est

est cum propositione illa, quam *Leibnitius*, fundamenti loco, in *Dynamices sua Specimine Act. Erudit. p.* 157. *An.* 1695. posuit, Enunciant eam Mathematici ita. *Effectus plenus aequipollet caussa plena, seu viribus caussa integris*. Alii ita: *Omnis caussa producere debet effectum sibi aequalem, adeoque se nec majorem, nec minorem. Conf. Ernesti disputat. de Emendat. Voluntat. per salutem.* §. *XII. Lips.* 1730. *hab.*

§. 370. *Caussa, quatenus est caussa, & effectus sunt simul, nec tempus ullum inter caussam efficientem, & effectum interjectum est.*

Demonstr. Cum enim caussa sit principium, (§. 347.) principium autem & principiatum sint simul, (§. 346.) intelligis, caussam, & effectum esse simul. Quae in nota ad (§. 346.) submonuimus, ea hic repeti, & applicari possunt.

§. 371. Caussarum externarum altera est *caussa finalis*, quam nunc ita exponemus, ut (α) quid sit *finis* (β) *quotuplex* sit finis, (γ) *quae* de caussa finali *propositiones* demonstratione indigeant, indicemus.

§. 372. Id cujus gratia caussa efficiens operatur, sive quod per actionem suam cupit obtinere, dicitur *finis*.

EXEMPL. Cum quis e. gr. in academias commeat, praeceptoribusque limandum se perpoliendumque tradit, multos itidem libros diu noctuque legit, & perscrutatur, tum eruditio, quam artium studiosus omnibus his actionibus obtinere cupit, dicitur *finis* studiosi.

§. 373. Finem multiplici modo distinguere solent philosophi. Si quis ita propter finem agit, ut si nullum alium sibi propositum haberet, ob hunc solum ageret, tum ejusmodi finis dicitur *finis princeps*, sive *principalis*. Finis autem *secundarius*, sive *minus principalis*, est, propter quem quis ita agit, ut, si non praeterea alium sibi propositum haberet, non ageret.

EXEM-

EXEMPL. Cajus e. gr. extra portam exspatiatur. idque ideo, ut sanitatem labefactatam restituat in integrum. Simul vero, commodam hoc ipso visendi amici cujusdam occasionem nactus, intendit deambulatione, ob sanitatem inprimis suscepta, salutare, & convenire amicum suum. Hic, ut vides, deambulationis finis princeps, vel primarius est *sanitas*; finis vero secundarius est amici salutatio.

§. 374. *Finis proximus* dicitur, qui, nullo alio mediante, intenditur. *Remotus vero finis* est, qui non nisi alio, vel aliis finibus mediantibus, obtinetur.

EXEMPL. Cum e. g. Gajus in tabernam librariam se confert, tum ideo eam visitat, ut librum sibi necessarium coemat; librum vero ideo sibi comparat, ut ex eo eruditionem hauriat. Finis proximus est emtio libri: remotus vero eruditionis acquisitio.

SCHOL. Finis autem ille remotus, in quem cæteri omnes resolvuntur, & propter quem omnes alii sunt, dicitur *ultimus*, qui propter nullum alium finem esse potest. E. gr. omnium actionum, quas demumcumque suscepimus, finis ultimns debet esse illustratio gloriæ divinæ. Ad hanc enim omnes actiones, omnesque actionum fines nostri tendere debent. Cæteri fines, qui sunt propter ultimum, dicuntur intermedii. Scholastici adhuc finem in finem *cujus*, & finem *cui* distinguunt. E. gr. Scripturæ sacræ finis *cujus* est salus æterna. Si enim quæras, *cujus* gratia Scriptura sacra est data? respondebis: Salutis æternæ gratia.

SCHOL. Finis autem *cui* Scripturæ Sacræ sunt omnes homines. Si enim interrogaveris me, cuinam in salutem (*cui hoc bonum*) est data Scriptura sacra? respondebo: Omnibus hominibus.

SCHOL. *Finis externus* Scholasticis est, qui non est in potestate mea. *Finis* vero *internus* est, qui est in potestate mea.

§. 375.

§. 375. *Medium* vocatur, quod in se continet rationem, cur finis existentiam consequatur. *Medio* opponitur *impedimentum*, quod nihil est aliud, quam id, quod in se continet rationem, cur aliquid ad existentiam non perveniat.

§. 376. A causa finali differt caussa impulsiva, quæ vel *externa*, vel *interna* est. *Caussa impulsiva interna*, quam veteres προηγουμένην vocant, est, si rationes, voluntatem ad aliquid agendum determinantes, in ipso agente continentur. Si vero rationes, ad actionem nos commoventes, a rebus externis petuntur, tum illæ rationes vocantur *caussa impulsiva externa*, Græcis προκαταρκτική.

EXEMPL. Deus e. gr. mittebat filium in hunc mundum salutis nobis restituendæ caussa. En finem! Ipsum ad hoc ipsum suscipiendum commovebat ex parte sui immensa sua bonitas, & misericordia: *En caussam impulsivam internam!* Ex parte generis humani ipsum determinabat miseria hominum maxima: *En caussam impulsivam externam!*

§. 377. *Omnis finis supponit ens intelligens, nec probari adeo potest finis existentia, nisi antea probata, & evicta sit entis intelligentis existentia.*

Demonstr. Cum enim finis sit id, quod cupit caussa efficiens per actionem suam obtinere. (§. 372.) omnis autem ille, qui cupit quid, debeat habere intelligentiam, quia, quod ajunt, *ignoti nulla cupido*, intelligitur, omnem finem supponere ens intelligens.

§. 378. *Qui vult finem* (serio, &, ut veteres loquuntur, voluntate efficientiæ,) *etiam velle debet media.*

Demonstr. Cum enim medium sit id, quod continet rationem in se, cur finis existat, (§. 373.) id autem, quod in se continet rationem, cur alterum existat, dicatur caussa alterius, (§. 351.) consequens est, ut medium sit caussa finis, & fines sint effectus medii. Cum itaque nullus effectus

sine

fine caussa esse queat, (§. 363.) etiam finis fine mediis existere non potest. Quicunque itaque vult finem, velle etiam debet media, fine quibus nullus finis obtinetur.

§. 379. Cum medium contineat rationem in sese, cur finis existat, (§. 375.) facile vides, medium prius existere debere fine. Dumque propter finem volumus media, (§. 378.) *finis* recte *primum in intentione*, & *ultimum in executione*, *esse dicitur*.

§. 380. *Materia*, five *caussa materialis*, (hæc est caussarum internarum prima) est id, ex quo constat ens compositum, ut e. gr. lignum est materia, ex qua constat mensa.

SCHOL. Hæc materia dicitur *materia ex qua*, ut ita discernatur a materia *in qua*, quæ alias dicitur *subjectum inhæsionis*, & a materia, *circa quam*, quam appellamus *objectum*. Est scilicet objectum id, in quo actio mea versatur. E. gr. Coloris albi materia in qua, sive subjectum inhæsionis, est paries. Objectum autem studiosi Theologiæ, sive id, in quo elaborat, est Theologia.

§. 381. *Formam* efficiunt *rei* omnes illæ notæ, & determinationes essentiales, rem aliquam constituentes.

EXEMPL. E. gr. rationalitas est forma hominis; per rationalitatem enim homo est homo, & ab omnibus aliis rebus discernitur.

§. 382. Quemadmodum a caussa efficiente dependet, ut res aliqua existat, sic a forma dependet, ut res aliqua *talis* existat. Adeoque forma inter caussas referenda est. (*per def. Caussæ*.)

§. 383. *Forma dat esse rei*.

Demonstr. Cum enim per formam sive *caussam formalem* nihil aliud intelligamus, quam complexum determinationum essentialium, (§. 381.) per determinationes autem essentiales præcise res aliqua hæc res sit, & non alia; (§. 66.) intelligis, formam dare rei suum esse, alii adhuc addunt, *dat forma distingui*, & *operari*.

CA-

CAPUT XVIII.

De ſigno, & ſignato.

§. 384.

Signum eſt id, cujus idea excitat ideam alterius, ſive, ut VVolfius definit, ſignum eſt, ex quo alterius præſentia, vel adventus, vel præteritio colligitur.

EXEMPL. E. gr. Illuminationes ſunt in natali die principis ſigna gaudii. Cum enim tibi repræſentaveris lampades accenſas, oppido ſuccurret tibi hoc ipſo gaudium, in animis civium excitatum. Idea ita lampadum excitat in te ideam gaudii.

§. 385. Id, quod ex altero colligitur, ſive cujus idea excitatur, dicitur *ſignatum*, uti in priori exemplo gaudium, per lampades ſignificatum.

§. 386. Si res, quæ ſignificatur, præſens eſt, tum *ſignum* dicitur *demonſtrativum*, ſi res autem futura fuerit, appellatur *ſignum prognoſticum*, ſi autem res ſignificata præterita eſt, tum ſignum vocamus *rememorativum*, ſive *memoriale*.

§. 387. *Signum neceſſarium* eſt, inter quod, & rem ſignificatam nexus eſt neceſſarius, *ſignum* vero *arbitrarium* eſt, quod ab arbitrio humano pendet.

EXEMPL. E. gr. Fumus eſt ſignum neceſſarium ignis, ſed verba ſunt ſigna arbitraria conceptuum. Poteramus enim ideas noſtras aliis ſignis, nutu e. gr. aut manibus indicare, id quod demonſtravi in *Philoſ. Rationali* §. 224. *Cap. II. de Uſu Verborum.*

Finis Ontologiæ, ſive Philoſophiæ primæ.

METAPHYSICES
PARS II.
COSMOLOGIA GENERALIS.
CAPUT I.
De Cosmologia in genere.

§. 388.

Cosmologia generalis est nihil aliud, quam scientia mundi in genere.

Quæ definitio ut rectius intelligatur, hujusque speciatim disciplinæ indoles ac natura, ususque item amplissimus, cuique manifestus fiat, ad sequentia volo attendi.

I Primus, qui doctrinam de mundo in artis formam redegit, eamque systemati metaphysico inserendam curavit, fuit illustris VVOLFIUS, quem, novimus, notiones generaliores, ad mundi cognitionem pertinentes, non distincte modo explicasse, sed ejusmodi quoque de mundo theoremata accurate demonstrasse, quæ in physicis solidiorem consecuturo scientiam mirifice inservire possunt. Ipsum audiamus VVOLFIUM. *Novam quandam*, inquit, *disciplinam condere cœpi, quam Cosmologiæ Transcendentalis nomine compellare soleo, in qua veritates maxime arduæ de universo materiali explicantur, ad mentis humanæ naturam intimius cognoscendam, & de Deo ex lumine rationis accuratiora contexenda, adprime utiles*. Conf. luculentia ejus commentatio *de differentia nexus rerum sapientis, & fatalis, §. II.*

II. Ad definitionis præstructæ intelligentiam vel ma-

maxime pertinet illud; ut, quotuplici ratione vocabulum *mundi* accipiatur, diligenter observemus. Scilicet cum nostros aperimus oculos, tum *terram*, multis variisque repletam corporibus, tum *cœlum* innumeris diversique generis exornatum stellis, contuemur. Quæ duo magna corpora, nostris exposita oculis aliisque condecorata corporibus; vocare consuevimus *mundum aspectabilem*: De quo quidem mundo aspectabili, cum & physica, & astronomia exponat, intelligis, eum a nobis in cosmologia transcendentali; sive generali neutiquam pertractari.

III. Quid ergo illud tandem est; quod ad cosmologiam generalem sive trascendentalem pertinet? Cosmologiam generalem constituit explicatio illarum notionum, quæ; ab hoc, qui existit, mundo individuo abstractæ, mundo, generatim spectato conveniunt. Demonstrantur quoque in cosmologia generali ejusmodi positiones, quæ quia sunt universaliores, fundamenti loco, substernuntur: Quare cosmologiam generalem VVOLFIUS percommode appellat cosmologiam *transcendentalem*, *Conf. Cosmol. Lat. p.* 1.

§. 389. *Cosmologia generalis, sive transcendentalis recte ad metaphysicam refertur:*

Demonstr: Cum enim in metaphysica notiones, a rebus individuis abstractæ, & iisdem communes, distincte explicentur; (§. 4.) in cosmologia autem generali eæ exponantur notiones, quæ, ab hoc, qui existit; individuo mundo abstractæ, mundo, generatim spectato, conveniunt, (§. 388.) non obscura esse potest caussa, cur cosmologia generalis ad metaphysicam refertur.

§. 390. Cosmologiæ generalis plures omnino amplioresque sunt usus, quam ut a nobis hic possint enumerari. Præcipue vero utilitates se exserunt in *Physica*; *Theologia naturali*, & *Psychologia*.

NOT. Qui cum fructu physicam volunt pertractare; ii, in pervidenda expendendaque hac rerum universitate occupati, eo vel maxime debent conniti, ut generalem sibi de mundo conceptum for-

ment, legesque, quibus corporum mutationes conformantur, rite perspectas habeant.

SCHOL. In Theologia vero naturali, dici non potest, quos quantosque tibi Cosmologia præstet usus. Dei enim existentiam nunquam demonstrabis, nisi mundi stabiliveris contingentiam. Contingentiam vero mundi ecqua ratione ita perspicies, ut de eadem certus sis atque convictus, nisi, quæ cosmologiæ propria sunt, principia ex eadem tibi fuerint familiaria? Ad alias denique disciplinas quod attinet, eas vel ideo multum cosmologiæ debere existimaverim, quod in cosmologia tradatur distributius doctrina de *nexu*, qua carere disciplinarum nulla facile potest. Uti enim rerum connexio ubivis suum obtinet locum, ita in disciplinis præsertim scientiisque positionum notionumque nexus utramque facit paginam. *Conf. ea, quæ acutissimus Bilfingerus in tract. de Origine, & permissione mali copiosius de utilitate doctrinæ de nexu disputavit.*

CAPUT II.

De Notione, sive conceptu mundi.

§. 391.

IN philosophiæ rationalis institutionibus pag. 268. rationem a nobis, memini, esse commonstratam, quam inire illos decet, qui definitiones universaliores ex casibus individuis a posteriori eruere allaborant. Quare, si distinctam completamque mundi, generatim spectati, notionem formare velis, opus est, ut, vi regulæ, ex Logica adductæ, hunc, qui existit, individuum mundum, quem vocant *adspectabilem*, attente contuearis, atque ita, abstractionis ope, generaliorem tibi mundi conceptum formes.

§. 392. Cum oculos nostros vel ad cœlum tollimus,

mus, vel dimittimus ad terram, eaque, quæ sunt ante pedes, contemplamur, tum, plurima corpora observari oculis nostris, deprehendimus, animalia, e. gr. arbores, frutices, flumina, solem, sidera innumera, quæ omnia simul existunt, Ea, quæ simul existunt, dicimus *entia simultanea* (§. 240.) E. patet, in hoc mundo dari res simultaneas.

§. 393. Experientia præterea nos condocet, horum, quæ diximus simultanea, alia oriri, alia vero interire rursus, & abesse. Diem nox, noctemque dies, æstas hiemsque æstatem excipit, nec sol, nec luna, nec aliæ denique stellæ, in eodem semper situ permanere cernuntur. Cum vero, quæ se invicem sequuntur, dicantur *entia successiva* (§. 245.) perspicuum est, existere in hoc mundo res successivas.

§. 394. Omnia hæc, vel simultanea, vel successiva entia, quæ in hoc, quantum quantum est, (est autem maximum) universo deprehenduntur, sunt omnino ejusmodi, ut possint immutari, & esse aliter. Omnia, quæ in hoc universo tibi obvia sunt, oculis, mente, ac cogitationibus percurre, & ita, opinor, deprehendes esse comparata, ut, aliter esse posse, oppido perspicias. Quid obstat, quo minus potuerint pauciores, quam nunc sunt, stellæ, vel planetæ existere? Quid inde emerget absoni, si contendero, majorem Plantarum vel animalium numerum in hoc universo dari posse? Quid impedit, quo minus eo tempore, quo sol lucis suæ radiis terram collustrat, offusa nebula solis intercipiat radios, & horrenda sæviat tempestas? Quo igitur cumque oculos tuos vertis, omnia in hoc mundo esse mutabilia, vides ac sentis.

§. 395. Deprehendimus porro per experientiam, eam esse rerum, in hoc mundo obviarum, ad se invicem relationem, ut vel alteram rem res altera producat, vel unum sit propter aliud. Ecquis nescit, pluviam calidam, & moderatam eam pro-

ducere terræ fœcunditatem, quæ optari modo potest? Quem latet, solem ideo cum terra ceterisque planetis una existere, ut terra illuminetur ab eo, & calefiat? si itaque verum est, ut est, vel alterum ab altero, in hoc mundo, produci, vel unum esse propter aliud, intelligitur, omnia in hoc mundo esse ita comparata, ut unum eorum in se contineat rationem sufficientem alterius; Cum vero, quæ ita sunt comparata, ut eorum unum, rationem sufficientem contineat alterius, dicuntur *connexa*, (§. 341.) manifestum est, omnia in hoc mundo esse connexa.

§. 396. His itaque omnibus in summam collectis, colligimus, notionem *mundi* genuinam, fœcundam, & universalem hanc esse, quod *mundus*, generatim consideratus, nihil sit aliud, quam *series omnium rerum simultanearum*, (§. 392.) *successivarum*, (§. 393.) *mutabilium*, (§. 395.) *& inter se connexarum*. (§. 395.)

Hanc mundi definitionem, quam cum VVOLFIO, & THUMMIGIO, aliis, communem habemus, tantum, quantum satis est, exposuimus, & ab adversariorum exceptionibus vindicavimus in philosophia definitiva. Sin minus hæc, (quæ tamen ipsa nititur experientia,) definitio tibi probata fuerit, mundum dicat complexum rerum creatarum:

SCHOL. Ad illustrandam hanc definitionem, sequentia adhuc adjicimus. Observa nimirum (α) nos studio dicere, mundum esse seriem *omnium rerum inter se connexarum*. Sic intelligi potest, non quæcumque connexa statim constituere mundum; sed eo usque extendi mundum, quousque res sunt connexæ. Ita quoque sua sponte cadunt, & irritæ fiunt objectiones contra definitionem mundi a Cel. LANGIO formatæ: Vid. ejus *Bescheidene und ausfuhrlice entdecnang*, p. 58. (β) Data dicimus opera, *rerum mutabilium*. Sic excluditur Deus a mundo, ita ut ipse non consideretur, ut pars

pars mundi. Deus enim est immutabilis, id quod infra in Theologia naturali uberius sumus commonstraturi. (γ) Non dicimus: *rerum existentium*: Ut hoc modo definitio non ad præsentem modo mundum pertineat, sed ad quamcumque aliam rerum connexionem, quæ præter hunc, qui nunc existit, individuum mundum esse potest, extendi queat.

§. 397. Quandoquidem in mundi idea vel maxime ad rerum, quæ ubivis obvia est, connexionem attendendum est, id hoc loco operam dabimus ut, quanta fieri potest, maxima perspicuitate doctrinam de nexu rerum exponamus.

§. 398. Quæ dicantur *connecti*, quæve *nexus* sit natura, & indoles, a nobis breviter commonstratum est in Ontologia, (§. 341.) ubi ea *connecti* diximus, quorum unum continet in se rationem sufficientem, cur alterum sit: & *nexum* explicavimus per illam rerum ad se invicem relationem, vi cujus unum continet in se rationem sufficientem alterius.

NOT. Exempla harum notionum jam supra §. 341. suppeditavimus, & plura omnino in subsequentibus occurrent, cum, quot sint connexionis rerum species, nunc a nobis tradetur.

§. 399. *Tempus* supra diximus ordinem in successivis, (§. 245.) si itaque A, & B, ita sunt comparata, ut A, in se contineat rationem, cur B, ei succedat, tum A, & B, dicuntur *connexa*, *ratione temporis*.

EXEMPL. Sic e. gr. nocturnæ, diuturnæque Caj comessationes, & debilis ejusdem valetudo, effœtumque corpus sunt *connexa*, *ratione temporis*. Pluvia, & terræ fœcunditas sunt itidem ratione temporis connexa. Effœtum enim corpus succedit comessationibus, & fœcunditas sequitur pluviam, tanquam caussam fœcunditatis.

§. 400. Spatium diximus, esse nihil aliud quam ordinem simultaneorum. (§. 240.) Quæcumque

igitur ita sunt comparata, ut eorum unum in se contineat rationem, cur alterum cum eo simul sit, dicuntur *connexa*, *ratione spatii*.

EXEMPL. Sic e. gr. sol, & terra simul existunt, & in terra reperiunda est ratio, cur sol ipsi coexistat. Ideo enim solem Deus in cœlo constitui voluit, ut terrra cæteræque planetæ illuminarentur ab ipso, & calefierent. Sol itaque, & planetæ sunt connexa, non quidem ratione temporis, sunt enim simul; sed ratione spatii.

§. 401. *Quæcunque sunt connexa ratione temporis, illa sunt connexa per caussas efficientes.*

Demonstr. Cum enim, quæ per caussas efficientes sunt connexa; ea sint ita comparata, ut eorum unum in se contineat rationem, cur alterum subsequatur, (§. 347.) connexa autem ratione temporis sint talia, (§. 399.) intelligitur, ea, quæ connexa sunt ratione temporis, connexa esse per caussas efficientes.

SCHOL. Sic pluvia, & fœcunditas terræ sunt ratione temporis connexa, (§. 399.) adeoque etiam ratione caussæ efficientis. Pluvia enim est caussa efficiens, & fœcunditas est effectus.

§. 402. Experientia nos condocet, eorum, quæ simul sunt, & una existunt, alterum alteri in universo præstare usum. Dum igitur infra in Theologia naturali demonstrabitur, hos ipsos usus esse fines Dei ab ipso intentos, clarum est, Deum ideo res in universo voluisse sibi invicem coexistere, ut alterum alteri usus præberet. Cum igitur unum simultaneorum contineat in se rationem, cur alteri coexistat, scilicet, ut ex intentione, sive fine Dei ei hunc, vel illum usum præstet, *datur etiam nexus in mundo per caussas finales*.

SCHOL. Constat, solem, ex intentione, & fine Dei, ideo una existere cum tellure cæterisque planetis, ut hæ ab ipso illuminarentur, & calefierent. Solem itaque cæterasque planetas esse connexa per caussas finales, abunde intelligitur.

§. 403.

§. 403. *Quae connexa sunt, ratione spatii, illa sunt connexa per caussas finales.*

Demonstr. Cum enim, quae connexa sunt ratione spatii, ita sint comparata, ut eorum unum in se contineat rationem, cur alterum existat, (§. 400.) connexa autem per caussas finales sint talia, (§. 372.) intelligitur, ea, quae sunt connexa ratione spatii, esse connexa per caussas finales.

SCHOL. Dum successiva connexa sunt per caussas efficientes, (§. 401.) & simultanea per caussas finales, (§. 503. *nexum* nonnulli definiunt per dependentiam a caussis efficientibus, & finalibus.

§. 404. Cum in mundo hoc aspectabili omnia, quaecumque sensibus obvia sunt, caussam sui habeant efficientem, (§. 363.) & caussam finalem, (ob principium rationis sufficientis, patet, dari in hoc mundo aspectabili nexum per caussas efficientes, & caussas finales.

NOT. Si te vox NEXUS offenderit, id tantum concedas, omnia, quae in hoc mundo existunt, gaudere *causa efficienti*, & *caussa finali*. Quod quidem, mentis inops sit, qui negare audeat.

§. 405. Ex his conficitur, per simultanea, & successiva connexa HÆC, nec alia, mundum quemlibet esse praecise HUNC mundum, nec alium, E. posito alio rerum nexu, mundus ALIUS inde emergit.

SCHOL. Cui haec propositio videtur paradoxa, ille, & principium individuationis in Logicis explicatum, §. 100., & ea, quae §§. praecedentibus demonstrata sunt, probe expendat. Addo illustrationis gratia, sequentia. Concipe tibi seriem hanc, A, B, D, E, H, G, concipe hanc seriem esse ejusmodi, ut omnia in ea per caussas finales, & caussas efficientes sint connexa. Jam fingas, nos transponere has literas ita, ut loco A, substituatur G, & loco B, ponatur H, locum denique τῷ D, excipiat E. Tunc emerget haec series,

G, H,

G, H, E, A, B, D. Annon hæc series, & hæc connexio literarum plane ALIA est, & a priori diversa? Stat itaque sententia firma, & inconcussa, *positis aliis caussis finalibus, & efficientibus, positoque alio rerum per caussas efficientes, & finales nexu, ponitur ALIUS mundus, quia mundus alius aliusve per aliamve rerum simultanearum, & successivarum connexionem constituitur.*

§. 406. Ex nexu rerum stabilito multa profluunt consectaria, scitu perquam necessaria, veritatibusque utilissimis intelligendis multum inservientia. Quas propositiones paulo distributius nunc sumus enumeraturi.

§. 407. *Ex nexu rerum intelligitur, in natura nihil fieri per saltum.*

Demonstr. Per *saltum* qui fieri dicitur in natura, quando aliquid concipitur fieri sine ratione sufficienti, i. e. quando effectus aliquis contingere dicitur ita, ut non præcedant omnes illæ circumstantiæ, & mutationes, quæ ad hunc effectum præstandum sunt necessariæ. Cum vero, si nexus in universo admittitur, eo ipso admittatur id, ut quodlibet habeat rationem sui sufficientem; (§. 341.) manifestum est, ex nexu rerum stabilito intelligi, cur nihil in universo contingere possit per saltum.

SCHOL. *Cel. Bilfingerus in dilucidat. philosophicis p.* 163. *saltum* definit: cum ab extremo ad extremum devenitur, non transeundo per intermedia. Huncque saltum vel *absolutum* esse, ait, vel *respectivum*. Illum, dicit, tum contingere, cum effectus plane sine omni ratione sufficienti, & caussa efficiente ad actum perduci fingitur. Talis saltus absolutus esset, cum eclipsis solis in universo accideret, quæ neque a caussis naturalibus, neque a Deo præpotenti essent producta. Atque hunc saltum in natura locum habere non posse, oppido intelligit is, qui, vel principium rationis sufficientis, vel ea, quæ hactenus de nexu rerum disputavimus,

vimus, probe expendit, *Saltum respectivum* illum vocat, ubi mutatio in universo cum ratione quidem sufficienti evenit, sed pauciori tamen tempore ad existentiam perducitur, quam alias ad ejusmodi mutationem producendam requiritur. Sic e. gr. Apostolorum peritia linguarum, ante minus cognitarum, non quidem sine omni caussa, & ratione sufficienti in ipsis existere occipiebat, sed celeriori tamen tempore illam linguarum peritiam impetrabant, quam alias ad linguas addiscendas requiritur. Saltus itaque hic obtinebat locum, sed *respectivus* ille, non *absolutus*.

§. 408. *Ex rerum nexu clarum est, in nullo mundo posse quicquam evenire fortuito, & casu.*

Demonstr. Cum enim eventus casu, & fortuito accidere tum dicatur, cum ille omni ratione destituitur, nexu autem rerum concesso, omnia, quæ eveniunt, cum ratione eveniant, (§. 341.) patet, ex rerum nexu perspicuum esse, cur in mundo nil possit casu, & fortuito accidere.

SCHOL. Si id casu, & fortuito accidere dicitur, cujus nos ratio sufficiens latet, tum equidem concedimus, multa fieri casu, & fortuito. Sed casu nihil accidit, cum, quod opinantur complures, id casu accidere dicitur, quod omni ratione sufficienti destituitur.

§. 409. Necessaria hinc consequentia efficitur, sublato rerum nexu, res posse in universo fieri per saltum. Viderint itaque illi, qui nexum rerum adeo impugnant; quomodo positionem illam, a veterrimis philosophis dudum defensam, salvam tueri queant: *Natura nil facit per saltum.*

§. 410. *Nexu rerum asserto. perspicitur insimul, demonstratur exinde admirabilis quædam Dei sapientia, disponens omnia mirifice, & provide innumerabilium utilitatum, & commoditatum.*

Demonstr. Ponamus, dari nullum in universo nexum, tunc consequens est, ut finis obtineatur sine mediis, effectus sine caussis. Finis enim, & me-

media, ut effectus, & caussæ connectuntur, (§. 478.) sublato itaque nexu rerum, non opus est, ut media ordinentur ad finem. Cum vero *sapientiæ* sit, ordinare media ad finem, (id quod notio *sapientiæ* requirit,) palam est, posita, & asserta rerum in universo connexione poni, & asseri sapientiam Dei admirabilem, qua nexu inter se omnia eleganterque disposita sunt, sublato contra ex mundo rerum nexu, tolli, & negari sapientiam divinam.

SCHOL. Perspexit hoc, & accurate demonstravit, si quisquam, perspicacissimus *Bilfingerius*, qui cum in *dilucidationibus* p. 156. tum in libro de *origine*, *&* *permissione mali*, ex nexu rerum, tanquam ex lucidissimo quodam speculo, cognosci summam summi Numinis sapientiam, eleganter ostendit. *Ubi nexus est*, inquit, *mediorum*, *&* *finium*, *ubi fines boni per media intenduntur idonea*, *&* *obtinentur*, *ibi est sapientia*. Item: *Tanto plus sapientiæ in mundo demonstratur*, *quanto plus nexus continet finalis*. *Quanto igitur harmonia rerum*, *cæteris paribus*, *major est*, *quo plures res se ita invicem respiciunt*, *ut una sit per*, *&* *propter* aliam, tanto *mundus est divina sapientia* dignior.

§. 411. *Ex nexu rerum perspicuum est*, *omnes eventus*, *in universo contingentes*, *habere suam veritatem determinatam*.

Demonstr. Vi nexus rerum habet quilibet eventus caussam sufficientem, (§. 341.) quæ caussa efficiens, cum effectus contrarios eodem tempore producere nequeat, (§. 368.) efficit, ut præcise effectus hic sequatur, nec alius. Efficere vero, ut aliquis effectus præcise hic sit, & non alius, est *effectum determinare*. (§. 128.) E. quilibet effectus sive eventus est determinatus, sive habet suam veritatem determinatam. Poterat hæc propositio ita quoque demonstrari: *Determinatum* est id, de quo aliquid ita prædicatur, ut opositum ejus, quod prædicatur simul excludatur. (§. 130.) Jam vero

omnis

omnis eventus in universo est ejusmodi, ut eventus oppositus simul locum non habeat, (quando e. gr. pluit, fieri non potest, ut simul non pluat) E. omnis eventus in universo est determinatus, sive habet suam veritatem determinatam.

NOT. Hanc propositionem, miror, cur tantopere impugnaverint nonnulli, qui systema VVolfianum sub examen vocarunt. Credo, omnes contradictiones, & cavillationes ex voce DETERMINATI, minus recte intellecta, profluisse. Adeoque si te vocabulum DETERMINATUM offenderit, minusque, quæ huic voci sententia sit subjecta, capere poteris, substituas, per me licet, vocem CERTI. Dic itaque: omnis eventus in universo est CERTUS. Non te, credo, de hac Positione dubitare amplius posse. Sed si dubitas, expende sequentia: Aut eventus, in hoc mundo ad actum perveniens, est præterius, aut præsens, aut futurus.

SCHOL. De eventu præterito, non habes, cur dubites, illum certo accidisse. Cum exemp. g. heri aurora borealis in cœlo illuxit, quis est, qui hunc eventum certo adfuisse, neget? Quod ad eventum præsentem attinet, illum itidem certo contingere, non te dubitare existimo, si sensu gaudes communi. Futurus autem eventus num sua gaudeat determinata veritate, de eo poterat sollicitius quæri, sed ad hæc quæso, attendas. Aut futuri eventus præsciuntur a Deo, aut non præsciuntur. Hoc, cave, cum Socinianis affirmes. Sin præsciuntur a Deo, tum ab ipso præsciuntur, ac si jam facta essent, adeoque tanquam *certo futura*. Præclare *Henr. Hoepfnerus in Loc. Theol. p.* 126. *Deus præscit rem omnem non aliter, ac si jam facta esset: quod autem factum est, id necessarium, & immutabile, non simpliciter, sed ex hypothesi, Bilfingerus in dilucidationibus, p.* 126. *Is*, inquit, *qui omnia existentia cum suo nexu perspicit, potest in omnibus simul omnia intueri, coexistentia non solum, sed etiam succedentia,*

SCHOL.

SCHOL. Summe Reverendus *Ribovius* sacrorum Gottingensium Antistes, & exquisite solideque eruditus; & de re sacra, ac literaria immortaliter meritus, in eleganti libro, quem inscribit: *Fernere erlaterung &c.* latine vult dicere alterior explicatio. Determinatam omnium eventuum veritatem perspicue contra nonnullos asseruit; atque in eorum gratiam, qui veritatem non tam ex rationum ponderibus, quam ex auctoritate, testimoniisque eruditorum aestumant, complurium Theologorum testimonia adduxit. *Petrus*, inter alia inquit, *curret, vel non curret eodem tempore. Hac sunt contradictoria: si jam existit Petrus, tunc tantum unum potest esse verum, & aliud necessario debet esse falsum, vel enim curret, vel non curret eodem tempore, & Deus scit, quid verum sit. Unum autem debet esse verum*, p. 79. §. 71.

SCHOL. Hæc *ipsa certitudo futuritionis rerum determinata*, (ita enim appellat Bilfingerus) a nonnullis vocatur necessitas hypothetica. Quæ si in corporum mutationibus invenitur, dicitur *physica*; si in spiritibus occurrit, *moralis*. Atque hinc est, ut nonnulli omnes eventus in hoc mundo, cum physicos, tum morales, hypothetice necessarios esse, ajant. Quod quamvis a nonnullis fuerit pernegatum; idem tamen asseruisse videntur omnes illi veteres Metaphysici, qui hunc propugnarunt canonem: *Posita caussa, necessario ponitur effectus.* Mallem vero, omnes philosophi, misso *necessitatis* vocabulo, *certitudinis* voce hic uterentur, idque non tam ideo, ut hoc modo quempiam devitarent errorem, sed ut offendiculi nullam præberent materiam.

§. 412. Adstructo in rerum universitate nexu, tollitur insimul, & refellitur omne fatum, fatalisque omnis necessitas, quam alios, scimus, acriter admodum serioque defendere, aliis vero, nihil tale merentibus, frustra irritoque conatu imputari. Ut itaque, quam inimica sit fatuo sapiens rerum

rum connexio, hactenus a nobis asserta, plenius intelligi queat, sequentia volo expendi.

§. 413. Fatum a *fando* dictum, vi vocis, & etymi id omne indicat, quod fatus quis est, sive quod decretum est. Ad loquendi vero usum sin attenderis, per fatum, comperies, intelligi semper quandam rerum necessitatem in universo.

§. 414. Hæc ipsa necessitas fingitur ab omnibus mediis, motivisque absoluta, ita ut effectus sequi debeat, sive media, & caussæ adsint, sive minus. Quod dicitur *Fatum Muhamedanum*.

NOT. Turcæ scilicet dicuntur, quodvis periculum sine ullo timore, & tremore adire, quin etiam in loca pestilentissima se conferre, rati, si mors ipsis sit fato destinata, non posse non se hoc ipso momento, quo mori ob fatum debeant, mori, sive loca periculosa adeant, sive evitent, sive venenum bibant, sive minus.

§. 415. Altera necessitatis species, a Stoicis asserta, hæc est. Stoici quidem non necessitatem, a mediis, motivisque absolutam illam, defendebant, neque, totum caussarum nexum, intrinsece, & absolute necessarium, & sine caussa, & immutabilem esse, ajebant, interim tamen universum caussarum nexum, affirmabant, dependere a *decreto divino immutabili, & absoluto*, non habito respectu ad hominis propensiones, & actiones liberas. Ex quo Stoici quoque suam potentiam & ἀπάθειαν derivabant. Hæc necessitatis species dicitur *Fatum Stoicum*.

§. 416. Aliam adhuc necessitatem in universo hominumque actionibus locum habere, contendebant quondam Chaldæi, qui, quicquid fiat, id ab influxu astrorum immutabili dependere, credebant. Hæc necessitas nominatur: *Fatum Astrologicum*.

§. 417. Spinoza, ejusque sectatores id quidem docebant; & ad finem consequendum opus esse mediis, & ad voluntatem determinandam moti-

vis,

vis. Totum tamen caussarum nexum subsistere absolute necessario, sine caussa, & esse immutabilem in se, ac plane aeternum. Quod est *Fatum Spinozianum*.

NOT. Spinoza e. gr. statuebat, aeque necessarium esse me jam scribere, ac necessarium est, bis duo efficere quatuor, aut triangulum habere tria latera.

§. 418. Ad ultimam, quae quidem locum habere potest, necessitatis speciem nunc devenimus: scilicet *necessitatem hypotheticam*. Vi hujus omnia in universo ita contingunt,ut posita causa, necessario poni debeat effectus. Totum tamen caussarum nexum, necessitate hypothetica locum habenti, in se contingentem esse, & a caussa aliqua prima, & sapientissima dependere docetur. Quam necessitatem eventuum hypotheticam, aut, si mavis, certitudinem determinatam, vocant nonnulli *Fatum rationabile*, *sive rationi consentaneum*.

§. 319. His fatorum speciebus carptim, & distincte explicatis, nunc, quae necessitas fatumque per rerum nexum tollatur, quae vero cum ipso queat consistere exponemus.

§. 420. *Fatum Muhamedanum est nexui rerum plane adversum*.

Demonstr. Cum enim, nexu rerum asserto, quodlibet habere caussam sui efficientem, affirmari debeat, (§. 341.) consequens est, ut, quamdiu rerum nexus locum habeat, nullus effectus sine caussis intermediis, adeoque nullus finis sine mediis, (§. 378., obtineri queat. Quod cum sit fato Muhamedano contrarium, (§. 414.) sequitur, ut nexus rerum cum fato Muhamedano consistere non possit.

§. 421. *Fatum Stoicum itidem cum rerum nexu consistere non potest.*

Demonstr. Cum, ob rerum nexum quodlibet rationem habeat sui sufficientem (§. 341.) consequens est, ut Deus, cur huic hoc, cur alteri illud

lud, decreverit, debeat habere rationem sufficientem. Illa ratio aut in Deo ipso est, aut in objecto extra Deum. Si in Deo ipso est, tunc Deus vult, quia vult, decernit, quia decernit. Quod vero cum adversetur principio rationis sufficientis, (§. 32.) palam est, non eventus dependere a divino quodam decreto immutabili, ita, ut nulla habeatur humanarum propensionum hominisque status ratio. Quo ipso tolli, vides, fatum Stoicum. (§. 415.) Fatum itaque Stoicum cum rerum nexu consistere non potest.

§. 422. *Fatum Astrologicum nexui rerum aversatur, & principio rationis sufficientis.*

Demonstr. Cum enim rationem eorum, quæ in mundo eveniunt, quæque homini accidunt, sufficientem inveniamus in caussis aliis antecedentibus in terra obviis, non habemus rationem sufficientem, cur eam in immutabili astrorum influxu quærere velimus.

§. 423. Quod autem denique ad necessitatem eventuum hypotheticam, quam nonnulli *Fatum rationabile* appellitant, attinet, eam quidem, quis est, qui negare audeat, si, quemlibet eventum caussam sui efficientem habere, sciat? (§. 262.) At, uti supra jam submonui, consultius esse, a vocabulo *necessitatis* se abstinere, quam eo uti, ita cuivis etiam auctor suasorque existiterim, ut, determinatam eventuum mundanorum certitudinem indicaturus, vocem *fati* missam faciat.

SCHOL. *Illustris Hoffmannus* Halensium Medicus, immortalitate dignissimus in dissert. de Fato Physico, & Medico, suam de fato rationabili mentem perspicue exponit. *His*, inquit, *præmissis*, ingenue & aperte *profitemur*, *per fatum nihil aliud esse intelligendum*, *quam necessitatem*, *aut si mavis*, *certitudinem quamdam eventuum*, *& effectuum*, *qui fuerunt*, *sunt*, *& erunt in universo*, *a certo rerum*, *& caussarum ordine nexu*, *ac serie dependentem*, *atque adeo cum in rebus physicis & medicis*, *tum etiam*

in moralibus, *politicis*, *quin immo ipsa in Theologia fatum*, *sano sensu acceptum*, *admitti posse existimamus* §. 9. & 10. Conf. Ribovius l. c. p. 49. seqq. qui Danhaveram aliosque Theologos orthodoxos, idem sentientes, adducit.

§. 424 *Quamvis omnes eventus in universo habeant veritatem suam determinatam*, (§. 411.) *&* *sint hypothetice necessarii* (§. 423.) *sunt tamen & manent contingentes*, *nexusque eorum universalis gaudet omnino contingentia.*

Demonstr. Cum enim necessitas hypothetica eventuum eorum contingentiam neutiquam tollat, (§. 185.) facile intelligitur, eventus mundanos, licet sint hypothetice necessarii, esse, & manere tamen contingentes: totamque rerum connexionem gaudere contingentia, quia oppositus nexus concipi adhuc potest possibilis.

NOT. Omnes eventus, quoscumque libuerit, in hoc universo consideres, nexumque omnium rerum, si potes, percurras, ubique nexum oppositum, & eventus alios locum habere, posse comperies.

SCHOL. Annon, cum pluit, cælumque nubibus obductum est, fieri poterat, ut sol splendeat, cœlique serenitas blandiatur? annon contra, cum sol splendet, cœlumque sudum est, possibile est, ut pluat, densisque cœlum obtenebretur nubibus &c.

§. 425. *Ex quo conficitur*, *ipsum mundum quantus est*, *cum in ejus constitutione tum in eventuum consecutione esse contingentem.*

Demonstr. Cum enim omnes eventus mundi, totaque eventuum connexio sit contingens, (§. 424.) ipse autem mundus constituatur connexione eventuum, (§. 405.) intelligitur, mundum, quantus quantus est, esse contingentem cum in ipsius constitutione, (poterat enim etiam non existere) tum in phœnomenorum consecutione,) poterat enim alius nexus locum habere.

§. 426. Immediata hinc consequentia hæc fluit posito quod plures mundi, sive quod idem est,

plu-

plures rerum connexiones possibiles sint, præter hunc mundum, & hunc nexum rerum. Fac enim, non plures rerum connexiones esse possibiles, præter hanc, quæ existit, tunc sequetur, hunc mundum aspectabilem, sive hanc, quæ est præsens, rerum connexionem esse unice possibilem. Adeoque hic mundus erit absolute necessarius, omnisque tollitur contingentia.

NOT. Doctrinam de nexu solide explicavit, & asseruit VVOLFIUS in commentatione luculenta de *nexu rerum sapienti, & fatali*.

§. 427. *Essentia mundi alicujus consistit in modo, quo res simultaneæ, & successivæ sunt inter se connexæ*.

Demonstr. Cum enim essentia alicujus rei sit id, per quod res aliqua præcise hæc res est, nec alia, (§. 66.) per connexionem autem hanc nec aliam rerum simultanearum, & successivarnm præcise *hic* mundus, nec *alius*, constituatur, (405.) intelligitur, essentiam mundi alicujus consistere in modo, quo res simultaneæ & successivæ sunt inter se connexæ.

§. 428. *Quilibet mundus, dum existit, debet esse ens unum*.

Demonstr. Cum enim ens dicatur *unum* tum, cum ea, per quæ ens in esse suo determinatur, sunt inseparabilia, si hoc ens debet manere hoc ens, nec aliud, (§. 88.) nexus autem, qua caussas efficientes & finales, seu simultaneorum, & successivorum, per quem hic mundus in esse suo determinatur, sit inseparabilis, quandiu debet manere mundus hic, (§. 405.) manifestum est, quemlibet mundum esse unum.

§. 429. *Mundus est ens compositum*.

Demonstr. Quicquid constat ex partibus, inter se connexis, illud est ens compositum (§. 222.) Atqui mundus constat ex partibus inter se connexis; plura enim, quæ, simul sumpta, constituunt unum aliquod ens, dicuntur ejus partes: (§. 137.) Cum igi-

igitur ſimultanea, & ſucceſſiva connexa univerſi cujuslibet ſint plura, quæ ſimul ſumpta conſtituunt unum aliquod univerſum, (§. 405.) E. illa plura ſimultanea, & ſucceſſiva connexa debent conſiderari, ut partes univerſi. E. mundus eſt ens compoſitum.

SCHOL. Duplex autem eſt ſeries rerum earum, quæ mundum, tanquam ens aliquod unum, conſtituunt. Altera ſcilicet connexio eſt inter cauſas, & effectus *rerum corporearum*, hæc dicitur *mundus materialis*, ſive *corporalis*. Altera connexio eſt inter cauſſas, & effectus *rerum ſpiritualium & immaterialium*. Hæc appellatur mundus *immaterialis* ſive *pneumaticus*. Plura autem illa inter ſe connexa, ſive ſit ſpiritus, ſive corpora, conſiderantur, ut partes totum univerſum conſtituentes.

CAPUT III.

De eſſentia, & natura corporum, ac pendentibus inde affectionibus.

§. 430.

MUndus materialis ex variis entibus compoſitis conſtat, ex quibus, tanquam partibus, ipſe componitur. Atque hæc entia compoſita vocari ſolent *corpora*.

Plura ad corpora requiruntur, quam ad entia compoſita. Ad ens compoſitum, qua tale, nihil requiritur aliud, quam partium, extra ſe invicem poſitarum, determinata connexio, (§. 222.) ad corpora vero rite intelligenda, tria omnino adſint, oportet, ſcilicet in iis non modo ad *modum compoſitionis*, & ſtructuram, ſed *vim* quoque *activam*, *ſi motricem*, & *vim* denique *inertiæ* attendendum eſt.

NOTA. Generalia hic de natura, & eſſentia corporum tradimus, idque ideo, ut hac ratione natura, & in-

& indoles mundi; quippe qui ex corporibus constat, distinctius, & luculentius perspiciatur;

§. 431. Cum itaque corpora sint entia composita, (§. 430.) omnia enim, quæ supra de ente composito annotavimus, & demonstravimus, (§. 220. seqq.) nunc ad corpora commodissime transferuntur. Corpora nimirum debent habere partes extra partes, (§. 221.) gaudeant determinata magnitudine, (§. 256.) debent esse extensa, (§. 224.) divisibilia (§. 245.) figuram habere, (262) & nulla denique mutatio corporibus potest accidere, sine motu, sive mutatione loci. (§. 265.)

§. 432. Cave vero, putes, sola *extensione* completam corporis notionem constitui, id quod nonnulli Cartesianorum opinantur. Recte a Leibnitio, VVolfio, aliis, plura ad corporis ideam, *complete* formandam, requiruntur, quam sola extensio. Sunt enim in corpore permulta, quæ, non video, quomodo distincte intelligere possis, & explicare, si solam admittas extensionem.

§. 433. Experientia quotidiana quemlibet condocet, corpora, sensibus obvia, esse ejusmodi, ut non quælibet vis ipsis movendis sufficiat.

EXEMPL. Lapidem e. gr. magnæ molis debilis infans aut homo exiguarum virium de loco, in locum movere non potest, & quotidie quivis experiri potest, se cuivis corpori movendo non esse parem.

§. 434. Ex quo conficitur, in quovis corpore, dum motui resistit, nec viribus nostris cedit, adesse quid debere, per quod corpus motui resistat. Atque id ipsum, quo corpus motui resistit, dicitur *vis inertiæ*. Alii hanc vim inertiæ dicunt *vim passivam*: Quod vero quam commode dicatur, nunc non pluribus disquiram.

§. 435. *Hac ipsa vero vis inertiæ, per experientiam in quovis corpore deprehensa, non a corporis extensione pendet, neque ex extensione sequitur, sed in extenso jam supponitur.*

Demonstr. Si enim vis inertiæ ab extensione dependeret, & ex ea sequeretur, tum vero facile intelligis, ut quodque corpus maxime est extensionis, ita quoque maxima gaudere debere vi inertiæ & motui adeo vehementissime resistere. Quod vero cum experientiæ sit prorsus contrarium, liquet, vim inertiæ non dependere ab extensione, neque ex ea sequi, sed in extenso jam supponi.

EXEMPL. Sumas e. gr. massam plumbeam, quæ pondere vix æquet libram. Sumas plagulam chartaceam. Nonne plagula majoris est extensionis, quam massa plumbea? Nihilominus infantulus, & infirmissimus quisque plagulam papyraceam sine ullo labore movere, & de loco in locum poterit transferre, massam plumbeam non item. Et resistentiam majorem minoremve in corporibus non rationem sui sufficientem habere in majori minorique extensione, sed ex peculiari quadam vi resistendi, divinitus cuique corporum indita, ex exemplo adducto, opinor, plus satis apparet.

§. 436. Extensum, quod in multarum, a se invicem distinctarum partium diffusione, & congregatione consistit, si vi inertiæ præditum est, vocare solent philosophi *materiam corporis*.

§. 437. Materiam itaque corporis esse id, per quod unumquodque corpus motui resistit, ex his, quæ diximus, nunc est perspicuum.

§. 438. Hactenus de vi inertiæ. Per experientiam porro observamus, cum corpus A, movetur, tum posse corpus A, quod nunc movetur, alterum corpus B, mutare, & de loco in locum transferre.

EXEMPL. Cum e. g. globus A, in alium globum B, impingit, cum globus A, eo momento, quo globum B, attingit, globum B, movet, atque in eo ipso globo B, mutationem producit.

§. 439. Si itaque quodlibet corpus, experientia teste, est ejusmodi, ut alterum corpus possit mutare; tum quodlibet quoque corpus in alterum

cor-

corpus *agere*, per experientiam constat. Quodcunque agit, id quoque vi agendi est præditum, (§. 297.) E. *quodlibet corpus est vi agendi præditum.*

§. 440. Hæc agendi vis, cuique corpori divinitus indita, dicitur *vis* corporum *activa*, item *vis motrix*.

SCHOL. Si quis de hac vi motrice dubitare velit, is perpendat modo nisum illum, & mirificum conatum, quo quodlibet corpus ad centrum suum, & deorsum tendit. Ecquis est, qui, cum corpora deorsum tendunt, iis induci mutationem, neget? Ecquis præterea reperietur, qui non hujus mutationis rationem in ipsis corporibus, versus centrum propendentibus, deprehendi oppido perspiciat? Atqui vero cum ejusmodi mutatio, cujus ratio continetur in ipso subjecto mutato, dicatur *actio*, corporibus quidni actionem tribuamus? Ubi actio, ibi adest vis agendi. E. corpora vi agendi, sive vi motrici gaudere, manifestum est.

§. 441. Vis hæc motrix, sive activa in aliis corporibus alio se habet modo. Nonnumquam vis hæc exerit sese, & in actum erumpit, nonnunquam vero impeditur, quo minus sequatur actio. In illo casu dicitur *vis activa viva*, in hoc *mortua*.

SCHOL. Leibnitius hanc distinctionem cum aliis maxime in medium protulit. Qua observata, omnes difficultates, quæ contra vim motricem moventur, facile tolluntur. Corpora, licet quiescant, nihilo secius vi motrici gaudent, non viva illa quidem, sed mortua. Cum e. gr. pila in terram impingit, resilit. Quod quidem non video, quomodo fieri possit, nisi in terra aut in pariete, in quem impingit pila, fuerit vis motrix, quæ tamen mortua adhuc est, & viva tum demum redditur, si conflictus fuerit.

§. 442. Ex his apparet, tria omnino ad completam *corporis* notionem formandam requiri. (1) *Vis inertiæ sive materia*; (§. 434.) (2) *Structura* sive *modus compositionis*, quia omne corpus est ens

compositum, (§. 430.) (3) Vis motrix sive activa. (§. 440.) Unde quid obstat, quo minus corpus ita definiamus? *Corpus* est ens, ex materia composi-tum, & vi motrici præditum.

SCHOL. Eodem modo cum VVolfio aliisque ideam corporis completam format Cel. *Koehlerus*, Professor Ienensis de re literaria, & philosophiæ incrementis immortaliter meritus. Hic in *dissertatione de natura humana mortali* §. 242. *in corpore*, inquit, *datur (2) modus compositionis*, seu *structura*. (2) *vis inertiæ*, seu *resistentia*, (3) *vis activa*, seu *motrix*. *Hæc tria in corpore semper coexistunt, ad evitandam tamen confusionem consultum est, ut illa idealiter a se invicem separemus.*

*. 443. *Vis motrix*, seu *activa*, quæ corporibus inexistit, (§. 441.) dicitur eorundem *natura*. *Naturam* enim cujusque rei dicimus vim cujusque rei activam, unde ejus actiones dependent.

SCHOL. Hæc acceptio vocis *naturæ* usui loquendi est quam maxime conformis. Sic e. gr. dicimus, Naturæ stomachi est contrarium, ut ferrum concoquat, i. e. ad ferrum concoquendum stomachi vis concoquendi non apta, nec sufficiens est. Corporis quoque totius humani naturam in quonam alio putas consistere, quam in complexu virium illarum, in corpore humano obviarum quæ ad finem corporis, scilicet sanitatem, obtinendum tendunt?

SCHOL. Vocabulum *natura* tam late patet, ut, quot fuerunt unquam philosophi, tot fere hujus vocis acceptiones in medium protulisse videantur, Veterum nonnulli per naturam ipsum intelligebant Deum, quem vocabant *naturam naturantem*. Ipsum autem mundum, sive universum rerum creatarum complexum vocare consueverant *naturam naturatam*. Alii *naturam* vocant omnes res existentes, quæ quidem in hoc mundi systemate obviæ sunt. Huc pertinet illud, cum dicimus: *Cognoscimus ex natura* i. e. ex rerum creatarum exi-

sten-

ſtentia, ac proprietatibus. Sunt præterea, qui *naturam*, ſæpe numero conditionem cujuſque rei interiorem, & eſſentiam appellitant, *Conf. Schelhammer de natura ſibi, & mediis vindicata*. Miſſis multiplicibus vocis *naturæ* acceptionibus fixam determinatamque vocabuli hujus hanc eſſe, arbitramur, ut per *naturam* nihil aliud intelligamus, quam tendentiam cujuſque rei ad finem ſuum, ſive, quod idem eſt, principium actuoſum, & vim intrinſecam, activam, in qualibet re exiſtentem, ex qua actiones determinate profluant.

C A P U T IV.

De legibus motus.

§. 444.

CUM vis motrix, cuique corporum inſita, ſeſe actu exſerit, tum, ſecundum certas quaſdam regulas, & leges, vis illa movendi determinatur, modificaturque. Illæ propoſitiones, ſive regulæ, ſecundum quas corporum quodlibet in motu, & conflictu dirigitur, dicuntur *leges motus*, de quibus nunc quantum fini noſtro erit conveniens, ſumus acturi.

Alii alias allegant leges motus. Nevvtonus in *Philoſoph. Natural. Princip. Mathemat. p.* 12. ea ad tria ſequentia axiomata reducit.

(α) *Corpus omne perſeverat in ſtatu ſuo quieſcendi, vel movendi uniformiter in directum, niſi quatenus a viribus impreſſis cogitur ſtatum illum mutare.*

(β) *Mutatio motus proportionalis eſt vi motrici impreſſæ, & fit ſemper ſecundum lineam rectam, qua vis illa imprimitur.*

(γ) *Actioni contraria ſemper, & æqualis eſt reactio: ſive corporum duorum actiones in ſe mutuo ſunt æquales, & in contrarias partes dirigunt*, Conf. Keil. in

in introduct. in veram physicam p. 115. *Verdrief. in Physica p.* 9.

A Cel. *Bilfingero in dilucidationibus philosophicis* §. 170. *feqq.* fequentes enumerantur leges motus I. *Actioni aequalis, & contraria est reactio.* II. *Effectus plenus semper est aequipollens viribus caussae integrae*, III. *Persistit in universo eadem virium quantitas*. IV. *Corpus unumquodque perseverat in motu suo*.

§. 445. Nos, cum varias in variis corporibus mutationes conflictusque obfervamus, omnes, quae quidem in fingulis corporibus obviae funt, mutationes ad fequentes, a nobis nunc ftabiliendas, regulas confirmari, animadvertimus.

§. 446. *Nullum corpus, quod quiescit, se ipsum potest movere*.

Demonstr. Cum enim omne corpus vi inertiae gaudeat, (§. 442.) adeoque motui, per hanc vim refiftat, (§. 334.) intelligis, omne corpus quafi ad motum deprehendi fegne atque ineptum.

NOT. Comprobat hanc ipfam quoque legem experientia, qua edocti novimus, nullum corpus, fi quieverit antea, fe ipfum moviffe nuquam.

§. 447. *Ex quo intelligitur, omne corpus, cum quiescit, in suo manere statu, donec ab altero corpore ex quietis statu ad motus statum producatur*.

Demonstr. Cum enim nihil fit fine ratione fufficienti (§. 32.) fequitur, ut quid adeffe femper debeat, ex quo poffit intelligi, cur corpus, quiefcens antea, moveatur. Dum vero haec ratio, cur moveatur corpus, non in ipfo, quod movetur, corpore reperitur, (nullum enim corpus fe ipfum movere poteft (§. 446.), confequens, eft ut ratio motus extra corpus motum reperiatur. E. omne corpus, cum quiefcit, in fuo manet ftatu, donec ab altero corpore ex quietis ftatu in ftatum motus perducatur.

§. 448. *Si corpus fuerit revera in motu constitutum, tum tamdiu motum continuabit, donec im-*

pe-

pedimentum aliquod ex parte contraria accesserit.

Demonstr. Cum omne corpus sit vi motrici, sive statum suum mutandi, praeditum, (§. 441.) omnis autem vis sive nisus agendi sit ejusmodi, ut continuo agat, & statum quoque mutet, si impedimentum, quod obstat actioni, fuerit sublatum, (§. 300.) intelligitur, corpus, in motu constitutum, tandiu motum continuare, ob vim intrinsecam, donec impedimentum aliquod ex parte contraria fuerit objectum.

SCHOL. Ex his propositionibus, rite demonstratis, intelligitur porro, unumquodque corpus eum, in quo est, statum semper servare, nisi a caussa externa statum suum mutare cogatur.

§. 449. *Tantum corpus B, reagit in corpus A, quantum agit corpus A, in corpus* B, sive, ut alii enunciant, *actiones, & reactiones corporum sunt aequales.*

SCHOL. Confirmat hanc propositionem ipsa experientia. Quis enim nescit, pilam in terram, & lapidem duriorem projectam, resilire? Qua vero ratione resiliret pila, nisi pressioni pilae resisteret terra, & lapis, sive quod idem est, reageret? Quis porro nescit, hoc majori cum impetu resilire pilam, quo fortiori majorive vi in tellurem dejicitur?

SCHOL. *Cl. Bilfingerus in dilucidationibus philosophicis* §. 170. hanc motus legem ita exprimit: „ Quantum A, premit B, tantum A, premitur a „ B, sic, ut idem B, fortius premat reagendo, „ prout fortius premitur ab A. Ad illustrandam „ hanc motus legem, sequens adiicit experimentum. „ Suspendatur inquit, ex filo sphaerula, v. gr. „ marmorea, vel eburnea, sic, ut, tenso filo, „ quiescat: suspendatur alia ex plumbo, luto, vel „ materia quacunque, aliquantum molli. Atque „ haec sublata aliquousque permittatur libero lapsui, quo impingat in sphaerulam priorem quiescen- „ tem. Impellit illa quiescentem pressione, & im- „ pe-

„ petu suo, sed, & ipso comprimetur per resisten-
„ tiam, & reactionem quiescentis, & quidem ma-
„ gis magisque, prout fortius in illam impegerit:
„ Sic eadem quiescens Sphærula reactionem præstat
„ contrariam actioni, & majorem in majore actio-
„ ne. Si ad numeros, & mensuram revocare noris
„ experimentum, præcipue in elasticis institutum
„ corporibus, deprehendis, reactionem esse actioni
„ æqualem.

§. 450. *Hæ, quæ divinitus constitutæ sunt, leges motus non sunt absolute necessariæ, & immutabiles, sed sunt contingentes, & mutari possunt.*

Demonstr. Cum enim, quas Deus fixit in natura, & constituit, leges motus sint ejusmodi, ut essentiæ corporum non repugnent, si supponantur aliæ, consequens est, ut leges motus sint contingentes adeoque mutabiles. Atqui prius est verum: Non enim leges motus profluunt ex corporum essentia, id quod ex dictis facile patet. E. etiam posterius.

SCHOL. Hanc propositionem, scias, vel ideo esse probe annotandam, quod ex ea, contra Atheos, & Naturalistas, infra possibilitas miraculorum demonstrabitur. Equidem VVolfio ab adversariis contrariam sententiam imputatam esse, memini. VVolfius scilicet in Metaphysica Germ. leges naturæ dixit esse immutabiles, & alio tamen loco easdem sæpissime a Deo immutari, affirmavit. Sed cum VVolfius, leges naturæ immutabiles esse, dixit, *respectu* tantum *creaturarum*, eas esse immutabiles, arbitratus est, non vero *respectu* Dei: Immutabilitatem hypotheticam, & respectivam, non absolutam, VVolfius vult intelligi.

NOT. Plura de legibus motus adferre, esset supervacuum. Eæ enim in physicis, & mathematicis, dedita opera, copiosiusque enodantur.

CA-

CAPUT V.

De corporum elementis.

§. 451.

PRima corporum ſtamina, ex quibus ultimato componuntur, & ad quæ in corporum reſolutione cogitando tandem devenimus, dicuntur *corporum elementa*.

NOT. Cum hactenus de corporum natura, & affectionibus, legibuſque motus, ſecundum quas corpora in motu diriguntur, a nobis actum ſit, ordinis ratio videtur exigere, ut, & ipſa elementa, ex quibus corpora conſtant, diſtinctius pertractamus; maxime, cum hac in doctrina cemplures inter eruditos ſint exortæ controverſiæ.

§. 452. *Elementa corporum prima, ex quibus illa ultimato conſtant, non poſſunt eſſe entia compoſita, ſed debent eſſe entia ſimplicia.*

Demonſtr. Fac, elementa corporum prima eſſe entia compoſita, tum illa elementa prima adhuc conſtabunt partibus, in illaſque poterunt reſolvi. Atque hac ratione illa elementa erunt *prima*, (per hypotheſin), & non erunt prima, quia adhuc conſtant ex aliis partibus minoribus, in quas reſolvi ulterius queant. Quod vero cum ſit contrarium principio contradictionis, manifeſtum eſt, elementa corporum prima non poſſe eſſe entia compoſita.

Si itaque elementa non poſſunt eſſe entia compoſita; omne autem id, quod non eſt ens compoſitum, debet eſſe ens ſimplex, relinquitur, elementa corporum prima debere eſſe entia ſimplicia.

NOT. Ad intelligendum diſtinctius hoc theorema, ea, quæ ſupra, in capite de ente ſimplici, hanc in rem ſunt allata, perpendas. Ibi enim de-

monstravimus, in entium compositorum analysi non posse nos subsistere in ente composito, sed deveniendum ultimato esse ad entia simplicia, quæ omnibus careant partibus, quæque adeo in nulla minora, & priora entia possint resolvi.

§. 453. *Elementa* itaque *corporum* possunt dici entia simplicia, unde composita entia ortum trahunt.

§. 454. Hæc entia simplicia, ex quibus, tanquam ex primis staminibus, omnia entia composita constant, dicuntur a Leibnitio *Monades*, & a VVolfio in Metaphysica German. *unitates*.

NOT. Non hic copiosius inquiremus, quid ex veterum philosophorum grege nonnulli de corporum elementis, quæ vocabant *atomos*, & senserint, & docuerint. Cui diversas antiquorum de atomis sententias penitius nosse libuerit, ille vel *VVerenfelsi* meditationum de Atomis, vel Cel. *VValchii* Lexicon philosoph. Artic. *Atomi* evolvat. Nos, quæ sit Leibnitii VVolfiique de Monadibus mens, & sententia, hic paucis commemorabimus.

SCHOL. Vox *Monas* origine Græca, indicat UNUM, & proprie usurpatur de *Unitate*, in qua omnis numerus, quantuscumque etiam ille sit, tanquam in fonte suo, & ultima origine, subsistit, & terminatur. Hoc sensu vocabulum *Monas* jam a *Pytagora* fuisse adhibitum, dudum ab eruditis est observatum. Leibnitius, ultima, & prima corporum, tanquam entium compositorum, principia, & elementa indicaturus, hanc vocem a veteribus mutuatus est, eandemque in scriptis suis identidem ambit. Idque non unis adductus rationibus Leibnitius fecisse putandus est. Corpora, putat Leibnitius, nos nobis repræsentare debere, tanquam numerum maxime compositum, & ex multis constantem unitatibus. Atqui vero, quemadmodum omnis numerus ex unitatibus, tanquam partibus suis ultimis, consistat, omnisque numerus ultimato in UNUM resolvatur, ita corpora quoque tandem

dem resolvi debere in prima sua, & ultima elementa, quæ idem sint, quod UNUM in numero,) putat Leibnitius. Hinc prima illa corporum elementa vocat *Monades*, sive *Unitates*, & corpora ipsa vocat *Monadata*, sive *aggregata ex multis monadibus*. Num vero prima corporum stamina, & elementa recte *monades* dixerit, nunc non definiam. Cl. *Creilingius*, professor Tubingensis, in principiis philosophiæ Leibnitianæ examinatis, p. 4. „ *Monadis*, inquit, nomine vix aliud aptius „ dari potest, prima, & simplicissima rerum ele- „ menta in universum exprimens, neque obstat, „ quod Epiphanes auctor monadicæ cognitionis, „ aliique hæretici eodem usi fuerint.

SCHOL. Dum prima illa corporum stamina, & elementa a Leibnitio vocantur *Monades*, ipsa autem hæc elementa ab ipso habentur pro entibus simplicibus, & revera etiam talia sunt, (§. 453.) factum est, ut Leibnitius, omnia entia simplicia appellet *Monades:* Monas itaque, & ens simplex sunt ipsi synonyma. Hinc, cum Deus, ex omnium & Theologorum, & Philosophorum, sententia, sit ens simplex, immo vero ens simplicissimum, mirari noli, Leibnitium Deum vocare *Monadem*. Quæ appellatio quanto fuerit offendiculo iis, qui Leibnitii mentem nec voluerunt, nec potuerunt capere, plus satis inter omnes constat. Quotquot vero, Deum ens simplex esse, putant, & Leibnitio ens simplex & Monada synonyma esse, norunt, non erraffe Leibnitium fatebuntur, illi quidem, at, veritatem ejusmodi inconvenienti exprimi vocabulo, minus probabunt. Quia porro anima humana, brutorumque animæ sunt entia simplicia, id quod in psychologia luculentius demonstrabitur, vides, quid sit, quod Leibnitius animam hominum æque ac brutorum *monades* appellet. Elementa tamen, & stamina prima corporum, quæ entia simplieia esse, (§. 452.) demonstratum de-
di-

dimus, sunt in Leibnitiana Philosophia stricte, & κατ' ἐξοχὴν sic dictæ Monades.

SCHOL. Ex his intelligi nunc potest, cur Leibnitius quatuor *Monadum* constituat classes. In *prima classe*, ex ipsius sententia, collocatur *Deus* qui ab ipso, ob simplicitatem, seu immaterialitatem suam, vocatur Monas, quique distinctissima omnium rerum cognitione gaudet. Ad alteram *Monadum classem* refert Leibnitius *animas* hominum *rationales*, quæ non clara modo, sed distincta quoque, rerum gaudent repræsentatione. Ad *tertiam* classem pertinent *animæ brutorum*, quæ claris quidem, sed confusis, ideis sint instructæ. *Quartam denique*, *&* *ultimam classem* constituunt *ultima*, *&* *simplicissima corporum elementa*, quæ, ut dixi, Leibnitio sunt Monades, stricte, & κατ' ἐξοχὴν sic dictæ, quæque, ex Leibnitii sententia, hoc universum sibi obscure repræsentant. Deum, a quo omnia, cum simplicia, tum composita, entia suam petunt originem, vocat Leibnitius *Monadem Originariam Primitivam*, *Increatam;* Cætera entia simplicia, scilicet *Animam humanam*, *Animas brutorum*, *elementa*, *item corporum*, vocat *Monades derivativas*, quia a Deo, tanquam caussa efficiente suum ortum derivant.

Speciatim illis Monadibus, quæ ad ultimam pertinent classem, quæque ipsa sunt corporum elementa. Leibnitius tribuit quædam, quæ, nescio, an firmo satis nitantur fundamento, quæque adeo, dici non potest, quam vehementer sint impugnata.

(1) Existimat Leibnitius, has monades sive entia simplicia, ex quibus entia composita constant, gaudere vi repræsentativa, atque ipsum hoc universum sibi repræsentare *obscure*.

(2) Hinc illa vocat *viva specula hujus universi*.

(3) Affirmat Leibnitius, in monadem crea-
tam

tam forinsecus nec substantiam, nec accidens ingredi posse.

Adeoque (4) existimat, omnes mutationes, in monadibus creatis obvias, a principio interno, & vi intrinseca proficisci.

Hinc (5) appellat Monades *Entelechias*, propterea quod in se habeant certam quandam perfectionem, (ἔχουσι τὸ ἐντελές,) & detur quædam in iis sufficientia, vi cujus sint actionum suarum internarum fontes, adeoque automata incorporea *Conf. Creilingius in disputat. I. qua principia Philos. Leibnit. examinantur*, p. 14.

(6) Unde porro concludit Leibnitius, nullam Monadem creatam, sive derivativam physice influere posse in interius, alterius Monadis creatæ, sive derivativæ.

(7) Opinatur Leibnitius, omnes Monades creatas gaudere determinationibus, & qualitatibus intrinsecis, quibus a se invicem distingui possint.

(8) Nullam item Monadem creatam in rerum universitate alteri Monadi creatæ per omnia similem existere, autumat.

(9) Affirmat, Monades, quæ sunt corporum elementa, nullam quidem habere apperceptionem cum perceptione conjunctam, sed eam tamen perceptionem, licet sit obscura, & careat apperceptione sive conscientia sui, perpetuo tendere ad novam perceptionem, adeoque gaudere illas Monades appetitu.

(10) *Ut Leibnitius, quales sint repræsentationes entium illorum simplicium, sive Monadum, quæ constituunt entia composita, luculentius ostendat, vocat statum perceptionum illarum stuporem. Qualis status animæ nostræ est, cum vel deliquio animi laboramus, vel somno profundo absque somnio oppressi sumus.*

NOT. Has positiones, quas cum de Monadibus ageret, in medium protulit Leibnitius, reperies cum aliis pluribus, & in *Monadologia ipsius*, a

Doctissimo Henrico Kochiero, Professore Jenensi in patrium sermonem conversa, & in *Hanschii Principiis Philosophiæ Leibnitianæ more Geometrico demonstratis: Francofurti, & Lips. edit.* 1728. 4. to.

SCHOL. Leibnitium sequitur in Monadologia VVOLFIUS, sed ex parte tantum; & ita, ut in pluribus ab ipso faciat secessionem. Hinc periniqne illi agunt, qui VVOLFII dogmata aliis invisa redditurі, id omne omnino quod Leibnitius de Monadibus tradidit, VVolfio tribuunt. Quod ipsum præclare monuit Cel. Goettingensium Professor HOLLMANNUS, qui in differtat. I. *de Harmonia præstabilita*, p. 9. „ VVolfius, inquit, Leibnitii de monadibus sententiam omni ex parte suam „ non facit. Hinc injustum, immo impium, & „ scelestum esse, puto, longe diversa ceteroquin „ sentientes, si in aliqua consenserint thesi, in unam eosdem conjicere massam, omnesque illos „ omnibus imputare errores, quos alter solummodo eorum, qui cum reliquis aliquo in tertio „ convenit, proprios habet, solusque, exclusis cæteris, defendit. " Volfius concedit quidem, omnia entia composita, & corpora omnia constare ex elementis, iisque non compositis, sed simplicibus, omnia quoque, quæ de ente simplici supra Cap. XV. Ontologiæ dicta sunt, prædicari posse de corporum elementis, affirmat; at iis simul tribui posse, vel mundi perceptionem, vel vim repræsentativam, id vero quod sciam, negat & pernegat. *Conf. Metaphys. German.* §. 599. *& seqq. item* §. 898. *seqq.* Vide præterea *Monitum ad Commentationem luculentam de nexu &c.* §. *XIII. & Ribon Fernere erlauterung, &c. p. m.* 98.

SCHOL. Leibnitii VVolfiique de monadibus sententiam, vel ideo copiosius recensui, ut οἱ ἐν συνόψει, perspicerent Leibnitianæ philosophiæ non satis periti, quid sit tandem illud, de quo inter recentiores tam acris hucdum lis, & controversia fuit exorta. Ad me interim quod attinet, eam mi-

mihi sedere mentem, scias, ut, nec Leibnitio, nec VVolfio, salva tantorum virorum auctoritate, in omnibus accedam. Satis mihi fuerit, demonstrasse elementa corporum prima non posse non esse entia simplicia, quæ omnibus destituantur partibus. Quæ quidem entia simplicia, sive Monades, sive Atomos appellaveris, nihil mea interest. Quæ contra Monadologiam, vel Leibnitianam, vel VVolfianam, moveri poterant dubia, ea deprehendes in dissertatione a Cl. Gottschedio, sub S. R. Langhansenii præsidio Regiomonti 1721. defensa, quæ inscribitur: *Dubia circa Monades Leibnitianas, quatenus ipsæ pro elementis corporum venditantur*. Conf. Ruardi *Andalæ* dissertat. *de quatuor fictis simplicium speciebus*.

§. 455. Cum corporum elementa sint entia simplicia, (§ 452.) consequens est, ut, quicquid supra de Entibus simplicibus Cap. XV. dictum est, id omne quoque de corporum elementis possit enunciari. Elementa scilicet corporum omnibus destituta sunt partibus, carent extensione, & extensionis limite, scil. figura, non habent determinatam magnitudinem, non possunt oriri, nisi per immediatam Dei creationem, nec interire queunt, nisi per annihilationem. Hæc enim omnia, ut supra, capite de ente simplici demonstravimus, de entibus simplicibus prædicari debent.

SCHOL. Ex eo vero, quod cum Leibnitio, & VVolfio entia composita ex simplicibus constare, nonnulli affirmant, neutiquam inferendum est: Ergo entia composita, atque adeo universus mundus corporeus, componuntur ex *spiritibus*. Miror profecto, & valde miror, quosdam ex iis, qui Leibnitii æque, ac VVolfii Monadologiam impugnarunt, rationes ita potuisse subducere. Plura profecto ad spiritum requiruntur, quam sola simplicitas, seu immaterialitas. Equidem omnis spiritus est ens simplex, at non omne ens simplex est spiritus, (quia ad spiritum requiruntur etiam intel-

lectus, & voluntas.) Quæ igitur consequentia? Omnia composita constant ex entibus simplicibus, (iisque, quod probe notes, omni distincta repræsentatione, & intellectu destitutis.) E. omnia composita constant ex spiritibus. Perinde esset, ac si dicerem: Mundus constat ex entibus compositis, E. mundus constat non nisi lapidibus. At, inquis, ex quocumque coalescere debet compositum, & extensum, id ipsum quoque sit compositum, & extensum, necesse est. Respondent Leibnitii defensores. Quamvis, quoad modum coalitionis entium compositorum ex simplicibus, nihil certi determinari queat, negandum tamen non est, non magis absonum esse, fieri ex non-extenso extensum, quam fieri ex non bilioteca bibliothecam, ex non-pio pium, ex non-erudito eruditum, &c. *Conf. Bilfingeri dilucidat. p.* 88. *seqq.*

C A P U T VI.

De naturali, & supernaturali, sive miraculo.

§. 456.

Naturam §. 441. diximus, esse nihil aliud, quam vim cujusve rei activam, unde ejus actiones dependeant. Ut adeo *Naturale* generatim id omne dici queat, quod ex alicujus rei vi, & essentia potest intelligi, & explicari. *Corpori* itaque *naturale* id dicitur, cujus ratio in essentia, & natura corporum continetur, sive, quod idem est, quod ex corporum structura, & vi potest intelligi, & explicari. *Spiritui* vero *naturale* dicitur illud, quod ex spiritus vi, & essentia potest intelligi, & explicari.

EXEMPL. Ex. gr. Stomacho naturale hoc est, ut cibos concoquat. Ex structura enim stomachi, & vi intrinseca ejus explicari potest, & intelligi, quomodo fieri queat, ut concoctio perficiatur. Igni

Igni naturale eſt, ut ſtramen . & lignum aliaque conſumat. Poteſt enim ex vi ignis intrinſeca, & ſtructura explicari, quo fiat, ut ignis ligna, ac ſtramen comburat. Animæ naturale eſt, ut, omnibus ſenſibus externis quieſcentibus, ipſa ſuas per ſomnia edat operationes. Ex lege enim imaginationis intelligi, & concipi poteſt modus, quo fieri poteſt, ut anima ſomniet, & ut hæc præciſe, nec alia, in ipſa ſe exſerant ſomnia.

§. 457. Ex quo conficitur, id omne, cujus ratio in eſſentia, & natura entis non continetur, ſive quod eodem redit, quod ex vi, & ſtructura corporum, & ex vi, & eſſentia ſpiritus non poteſt concipi, & intelligi, eſſe *ſupra naturam*; *ſupernaturale* itaque, quod naturali opponitur, generatim eſt nihil aliud, quam omne id, quod in eſſentia, & vi univerſi ſecundum ſtatum antecedentem, & leges motus non fundatur.

SCHOL. Supernaturale quid erat cum ignis tres illos viros, in fornacem candentem conjectos, referente Scriptura Sac. minus læderet, minuſque conſumeret. Is enim eventus ex vi, & natura ignis non poterat concipi. Supernaturale item quid erat, cum Apoſtoli, linguarum peregrinarum prorſus imperiti, illas uno momento non modo callerent; ſed eas etiam ita in promtu haberent, ut ſua animi ſenſa iis promte expediteque poſſent explicare. Is enim effectus neque ex animæ vi, (utpote quæ tanto effectui producendo plane impar erat) neque ex ſtatu antecedenti, (ipſi enim neque vocabula, neque declinationes, neque conjugationes, neque regulas ſyntacticas didicerant, concipi poterat.

SCHOL. Id vero, quod *ſupra naturam* eſt, cave confundas cum eo, quod eſt *contra*, *& præter* naturam. Quod *præter* naturam fit, id evenit quidem revera ſecundum ordinem, & leges naturæ generales, attamen fit contra *hujus illiusſvè* corporis, in *particulari*, agendi patiendique leges,

quas particulares corporis hujus illiusve conservandi leges id, quod *præter* naturam fit, impedit, & evertit. Ita cum e. gr. venenum imbiberis, com peries, secundum ordinem naturæ illud in corpu-tuum agere. Quia vero venenum actiones corporis tui lædit, impedit, & evertit, vides, legibus corporis tui particularibus contrarium effectum produci, qui dicitur *præternaturalis*. Hinc vides, cur medici omnem corporis statum morbosum vocent *statum præternaturalem*.

SCHOL. Eventus vero *contra* naturam contingere dicitur, quando, ut loquitur *Verdrie*, vis infertur rerum ordini, & effectus quidam sequitur legibus naturæ adversus, Huc referas tenebras Ægyptiacas. *Conf. Verdriel. in physica. p.* 14.

§. 458. Omnis eventus supernaturalis dicitur *miraculum*. Ut adeo videas, *miraculum* recte definiri per ejusmodi effectum, qui neque ex essentia, neque ex vi creaturarum, aut mundi secundum statum antecedentem consequitur. (§. 457.)

NOT. Commodus hic locus est, doctrinam de miraculis distinctius proponendi. Neque vero in philosophia determinamus, num miracula unquam facta fuerint, aut etiam nunc hodie fiant. Id enim non nisi historiarum monumenta, quorum est, tradere facta, nos condocere possunt, sed in philosophia tantum de eo disquirimus, num miracula in universo possibilia sint, generales item positiones, quas ex *miraculi* notione legitime deducimus, de miraculis demonstramus.

SCHOL. Alii alias *miraculi* definitiones suppeditarunt, quas & adduxerunt, & examinarunt præ cæteris, & *Bilfingerus in dilucidat. p.* 202. *seqq.* & eruditus *Hollmanus in commentatione philosophica de miraculis*. Præcipuas harum brevissimis adferemus, ut intelligatur, quam multi fuerint eruditorum nonnulli in explodenda de miraculis doctrina. *Spinoza*, Atheorum pessimus, miraculum explicat per effectum, cujus caussas ignoramus, & si omni-

omnino ſint naturales. Perbella vero definitio, quæ, ſi quid video, ad plurimos effectus naturales poteſt transferri, quæque τὸ *mirabile* cum miraculo confundit. Poteſt quid in univerſo contingere, & contingit ſæpenumero, quod eſt ejuſmodi, ut ejus cauſſæ nos lateant, quodque adeo in admirationem nos rapit. Sed hoc eſt *mirabile* quid, non vero miraculum. *Clarckius* ad miraculum omne requirit, ut ſit rarum quid, & extraordinarium. Sic vero, opinor, actum eſt de miraculis, quæ, tempore Eccleſiæ plantandæ a Chriſto frequentiſſime patrabantur. *Vid. omnino Bilf. l. c.*

SCHOL. Ad noſtram vero definitionem, quod attinet, non eſt, quod quiſquam eam ideo explodendam exiſtimet, quod in ea neque cauſſæ efficientis miraculorum, neque cauſſæ finalis mentio ulla fiat. Non opus enim ſemper eſt, ut in definitiones philoſophicas, quæ debent eſſe principia demonſtrandi, adeoque multarum concluſionum feraces, omnia, quæ de re definita, vel ſciuntur, vel ſciri poſſunt, operoſe infarciamus. Id quod cum pluribus aliis oſtendit *Cl. Schloſſerus in diſſert.* philoſophica de Cautione philoſophica circa definitiones. Bona eſt definitio, quæ (α) omnes characteres in ſe continet, quibus res definita ab omnibus aliis rebus in omni caſu, ſtatu, & tempore poteſt diſcerni. (β) Bona eſt definitio, quæ ejuſmodi characteres tradit, ex quibus cætera omnia, quæ rei definitæ competunt, poſſunt legitimo nexu deduci, & demonſtrari, *Vid. Inſtitut. Log.* §. 148. Atqui vero cum noſtra miraculi definitio ſit (1) ejuſmodi, ut miraculum poſſit per allegatos characteres ab eventu naturali, quam accuratiſſime internoſci, (2) ita quoque ſit comparata, ut ex ea, cum cauſſa miraculorum efficiens, (id quod mox pateſcet) tum cauſſa eorumdem finalis poſſit demonſtrari, non video, quid in ea jure poſſit deſiderari.

Bonitate

§. 459. Quamvis vero per characteres, in mira-

O 4 cu-

culi definitione adductos, generatim, & in *abstracto* miraculum ab eventu naturali, facillimo negotio possit distingui; difficilius tamen, quam quisquam credat, esse videtur, in *concreto*, & in *casu individuo* miraculum ab eventu naturali discernere.

Ratio est in promptu. Cum enim paucissimi hominum vires naturæ perspectas habeant; & latentes caussas naturales sæpius non investigare queant, fit, ut eventus insolitus, cujus caussæ lateat, sæpissime pro miraculo habeatur. Quod quidem si evitare volueris, cognitione physices te instruas oportet.

§. 460. Leibnitius, ut alibi, ita & in Theodicæa (§. 249.) miracula distinguit in miracula *majora*, & *minora*. *Majora* vocat, quæ totius naturæ vires superant, & cursum ejus ordinarium transcendunt. *Minora* vocat, quæ nobis quidem naturæ vires superare videntur, attamen actu a creaturis invisibilibus, e. gr. Angelis, præstantur.

SCHOL. Ad miracula majora refert e. gr. creationem, incarnationem, &c. quæ omnem creaturarum potentiam transcendunt. Ad miracula vero minora pertinere, ait, e. gr. commotionem lacus Bethsaidæ, ab Angelo factam. Sed si nostram definitionem in subsidium adhibueris, facile intelliges, miracula, quæ a Leibnitio vocantur, non esse vera miracula, sed tantum miracula comparativa, & quoad nos talia, aut, ut rectius dicam, *mirabilia*.

§. 461. *Miracula sunt possibilia*:

Demonstr. Cum enim totum universum sit ejusmodi, ut quilibet ejus eventus possit esse aliter, (§. 394.) cumque præterea leges motus non sint necessariæ, sed contingentes & mutabiles, (§. 450. dubium non est, quin, si detur quædam caussa extramundana, sufficiente instructa virtute, illa effectum, in essentia, & vi universi non fundatum, possit producere, legesque motus suspendere, &

even-

eventum, alias futurum, immutare. Quod cum revera ſit miraculum patrare, (§. 458.) manifeſtum eſt, poſſibilia eſſe miracula, ſi tale detur ens, virtute eventum, in vi univerſi non fundatum, producendi inſtructum. Dari autem revera tale ens, infra in Theologia naturali uberius demonſtrabitur.)

SCHOL. Miracula ſunt, & *intrinſece*, & *extrinſece* poſſibilia. *Intrinſece* quidem, quia totus nexus rerum eſt ejuſmodi, ut poſſit immutari, & omnes leges motus, ob contingentiam poſſunt ſuſpendi. (§. 450.) *Extrinſece* vero, quia datur revera ejuſmodi ens, a mundo diverſum, quod eventum, ordini, & curſui naturæ plane adverſum, infinita ſua virtute poteſt producere.

§. 462. *Miraculum, ſi producitur, produci debet ab ente aliquo, quod a mundo plane eſt diverſum.*

Demonſtr. Cum enim miraculum ſit ejuſmodi eventus, cujus ratio non continetur in creaturarum, & mundi vi, atque eſſentia, (§. 458.) nihil autem ſit ſine ratione ſufficienti, (§. 32.) conſequens eſt, ut ratio miraculorum debeat contineri in ente aliquo, quod non eſt creatura, ſed a mundo plane diverſum. Ergo, quoties miracula produci debent, toties producantur, neceſſe eſt, & ab ente aliquo, a mundo plane diverſo.

SCHOL. Hoc ipſum vero ens, a mundo diverſum, quod miracula producendi vi pollet, dicitur *Deus*. Ut adeo hinc (α) intelligas, optime, & noſtra miraculorum definitione *cauſſam* miraculorum *efficientem* poſſe deduci. Hinc (β) patet, recte miraculum a nonnullis definiri per quemlibet effectum Dei immediatum.

§. 463. *Omne miraculum, cum ſit, ſit per ſaltum.*

Demonſtr. Cum miraculum ſit eventus, qui ex eſſentia, & vi creaturarum, & mundi, ſecundum ſtatum antecedentem, non conſequatur, (§. 458.) ſequitur, ut, cum miraculum contingit, non præ-

ce-

cedant omnes illæ mutationes, quæ alias ad ejusmodi eventum præstandum sunt necessariæ. Cum vero, quando aliquid ita fit, ut non omnes illæ mutationes præcedant, quæ ad effectum producendum necessario ex ordine naturæ requiruntur, id fieri dicatur per saltum, (§. 407.) oppido patet, miracula fieri per saltum.

Ponamus, miracula non fieri per saltum, tum illa ita eveniant, ut sui rationem sufficientem in statu antecedenti, & viribus naturæ inveniant, & a connexione caussali, in hoc mundo obvia, dependeant. Quo ipso vero erunt miracula nihil aliud, quam eventus naturales, (§. 456.) quod est contra principium contradictionis, (§. 22.) prolatum.

SCHOL. Dum, miracula per saltum evenire, dicimus, non saltum *absolutum* intelligimus. Vi enim hujus absoluti saltus miracula plane nullam sui haberent rationem sufficientem, quod est contra principium rationis sufficientis, (§. 32.) stabilitum. Sed hic intelligimus *saltum respectivum*, in quo non ea semper debent præcedere, ex quibus ratio reddi potest consequentium. Ita e. gr. linguarum peritiam per miraculum acquirebant Apostoli, & per saltum evadebant multarum liguarum peregrinarum periti. Non enim, quæ ad intelligendas linguas requiruntur alias, vocabula, declinationes, & conjugationes sibi reddiderant familiares, sed in momento, & callebant linguas, & loqui poterant.

§. 464. *Miraculum, cum ab ente extramundano patratur, debet effectum præstare, qui a naturali eventu plane diversus est.*

Demonstr. Si miraculum a caussa aliqua extramundana, sive Deo, patratur, tum debet adesse ratio, cur ens, a mundo diversum, miraculum præstet. (§. 32.) Ponamus igitur, per miraculum patratum, vel nullum effectum, vel effectum, qui sine miraculo naturaliter secuturus fuisset, & inten-

tendi, & obtineri; tum liquet, miraculum sine ratione sufficiente ab ente infinito & caussa extramundana esse patratum. Quod vero cum sit contra principium rationis sufficientis, (§. 32.) intelligitur, per miraculum effectum debere præstari, qui sine miraculo naturaliter non fuisset secuturus.

NOTA, Annon, cum Christus Lazarum per miraculum ex mortuis suscitaret, eventus sequebantur, qui sine hoc miraculo patrato nunquam naturaliter fuissent secuti? Naturaliter Lazarus computruisset, a vermibus corrosus, in pulverem rediisset. Sed quam longe ab his diversi erant effectus, qui, miraculo patrato, sequebantur.

§. 465. Hinc intelligi nunc potest, quid sibi velint nonnullorum loquendi formulæ, cum dicunt: *Per miraculum ordo naturæ turbatur*, item: *Per miraculum in nexum rerum confusio inducitur*.

SCHOL. Scio, has loquendi formulas a nonnullis haberi periculosas offensionisque plenas. Nec ignoro, ex his recentiorum philosophorum phrasibus consequentias necti satis formidolosas, & detestandas. Sed, re recte expensa, nec reperi, nec reperire potui venenum, quod hic delitescere iniquiores interpretes existimant. Ex notione miraculi, & positionibus, jam demonstratis, opinor, intelliges, quid sibi velit illa positio: *Per miraculum ordo naturæ turbatur*. *Ordinem* supra, (§. 187.) diximus esse nihil aliud, quam similitudinem in modo, quo res sibi vel coexistunt, vel succedunt. *Ordinem itaque naturæ* dicimus similitudinem in modo, quo res universi vel simul sunt, vel se invicem consequuntur. Quamdiu ergo mutationes in corporibus, & in mundo ita eveniunt, ut altera ex altera regulis motus convenienter fluat, & tertia sequatur ex secunda, secunda ex prima, tamdiu in mundo, & corporibus deprehenditur ordo naturæ. Simulac vero subsequentes mutationes universi non ex antecedentibus proveniunt, & even-

ventus regulis motus minus convenientes contingunt, tum, ordinem naturæ turbari, affirmamus. Cum vero miraculosi eventus ejusmodi sint, ut ex antecedentibus non fluant, nec regulis motus sint conformes, (§. 458.) quid obstat, quo minus ajamus, per miraculum turbari ordinem naturæ? Exemplo res fiet clarior. Annon ordo exigebat naturalis, ut Lazarus mortuus, & jam contumulatus, computresceret, a vermibusque corrosus in pulverem redigeretur? Quid vero, cum ex morte per miraculum excitaretur? Nonne hic ordo naturalis turbabatur? Negas? Ergo Lazarus, miraculo facto, computruit, a vermibus fuit corrosus, perinde, ac si miraculum non factum fuisset. Quod vero, quotus quisque est, qui affirmare ausit? Quæ cum ita sint, non obscure intelligis, nihil subesse periculi, cum recentiorum nonnulli; *per miraculum confusionem in rerum nexum introduci*, contendunt. *Confusio* supra dicta a nobis est dissimilitudo in modo, quo res vel sibi coexistunt, vel succedunt. Ubi itaque in rerum nexu observas mutationes quasdam, quæ in antecedenti statu sui rationem sufficientem non habent, ejusmodi dissimilitudinem sive confusionem revera invenis. Jam vero cum per quodvis miraculum mutationes producantur, quæ a naturalibus plane sunt diversæ, (§. 464.) cumque item per miraculum ii contingant eventus, qui ex antecedenti statu concipi nequeunt, (§. 458.) per miraculum, vides, in rerum nexum introduci dissimilitudinem atque confusionem. Lazaro per miraculum suscitato, nexus naturalis turbabatur, & ipsi confusio inducebatur. Vi nexus naturalis Lazarus computruisset sed, miraculo facto, vivebat, &, ut alii homines, sanguine in orbem redacto, vigebat. Per nexum naturalem a vermibus fuisset consumptus. Sed miraculo facto, nihil tale poterat contingere. Nescio, quid sit nexus naturalis turbatio, si hoc non est. Probe autem monet Bilfingerus, cavendum sedulo esse, ne

eum

cum idea *confusionis* ideam reprobationis combinemus. *Conf. Dilucid p.* 211.

§. 466. Ex his intelligis, quid de *miraculis restitutionis sive* ἐποκαταλειων, quæ vocant, sit existimandum. Leibnitius, & VVolfius horum miraculorum in scriptis suis faciunt mentionem. Ad quorum mentem, & sententiam rectius intelligendam sequentia observo.

Leibnitius de his restitutionis miraculis quædam affert in *Theodicæa* §. 249. VVolfius vero mentem suam explicat in *Metaphysica Germ.* §. 639. VVolfii, si recte judico, mens hæc est.

(α) Putat VVolfius, per miraculum naturalem nexum, & ordinem turbari.

(β) Hinc infert, alios omnino eventus, facto miraculo, contingere, quam secuti fuissent, si miraculum non patratum fuisset.

(κ) Disquirit, quid facto opus sit, si per miraculum Deus finem suum consecutus fuerit, & ipse velit res in eum statum, in quem venturæ fuissent sine miraculo, restitui.

(δ) In quo casu (quem tamen revera dari, aut extitisse unquam, non affirmat VVolfius) putat per novum miraculum nexum naturalem, qui sine priori miraculo fuisset, restitui debere.

(ε) Atque hoc novum miraculum, per quod res in eum statum, in quem venturæ fuissent sine miraculo, vocat *miraculum restitutionis*. Quale an unquam patratum fuerit, non determinat VVolfius.

SCHOL. Ut rectius hæc omnia intelligas, casum afferam sequentem. Novimus ex sacris literis, Deum per miraculum Apostolis linguarum donum infudisse. Quo miraculo facto, multa omnino eveniebant, quæ sine hoc miraculo non evenissent. Apostoli Ebraice, Syriace, Græce, Latine, &c. loquebantur, varias docebant gentes, innumeros homines ad Christum perducebant, & posteritati etiam feræ ansam Deum laudandi ejusque gloriam am-

amplificandi suppeditabant. Si vero miraculum hoc non patratum fuisset, nexus, naturalis fine dubio hic fuisset: Ignorassent linguas, gentes multas ad Christum non convertissent, & innumeri homines ad Christum non pervenissent, cætera ut taceam. Ponas nunc casum. Deum per hoc miraculum, scilicet linguarum infusionem, finem suum obtinuisse: ponas porro, Deum voluisse res omnes in eum statum in quem venturæ fuissent fine hoc miraculo, in momento restitui. Quæritur hic, qua id fieri poterit ratione? Respondit VVolfius; Novo opus fuisset miraculo, per quod res in nexum naturalem, qui fine miraculosa linguarum infusione secuturus fuisset, debuissent, restitui. Num id recte, & vere, non nunc definiam. Id tamen, absit, ut VVolfio imputem, ipsum quodvis miraculum duplicare, ipsum item credere, Christum, cum cœco miraculose visum reddiderit, debuisse ipsum per miraculum iterum occœcare. Hæc enim omnia non video, qua ratione ex VVolfii sententia hypothetica de restitutionis miraculis derivari possit. Conf. *Bilfingerus in dilucidat. p.* 211. *seqq. item Hollmannus in commentat. de miraculis*. Contra quam commentationem nonnulla monuit S. R. *Veerportenius* Gymnasii Gedanens. Rector in dissertatione de *Miraculis*.

CAPUT VII.

De mundi perfectione

§. 467.

SUB doctrinæ Cosmologicæ finem nonnulla addere visum est de mundi perfectione. Non id vere hic agemus, ut demonstremus, hunc mundum individuum, qui nunc existit, maxima gaudere perfectione, (id enim in Theologia naturali luculentius evincetur) sed ex notione perfectionis ge-

ne-

neralius in Ontologia, §. 201. explicata, determinabimus, quid requiratur, si mundo aliqua debeat tribui perfectio, & quo modo gradus perfectionis rite cognoscantur.

§. 468. Ad perfectionem in Ontologia requisivimus hæc tria, ut (α) adsint varia, (β) ut adsit finis aliquis, & scopus, ad quem ista varia collimant, (γ) ut adsit consensus variorum, & conspiratio ad finem, & scopum obtinendum. Hinc facile intelligis, universo tum demum tribui posse perfectionem, si singula, & simultanea, & successiva, in eo obvia, ita inter se consentiant, ut finis aliquis, & commune bonum obtineatur.

NOT. Finem hunc, ad quem omnia, & simultanea, & successiva, in universo tendere debeant, esse unice gloriam Dei, sive manifestationem attributorum Numinis divini, infra in Theologia naturali commonstrabitur.

§. 469. *Ex his conficitur, perfectionem mundi a posteriori, sive per experientiam, cognosci, & determinari, non posse.*

Demonstr. Cum enim perfectio mundi in eo consistat, ut omnia simultanea, & successiva, in eo obvia, ad finem aliquem, & commune bonum obtinendum consentiant, (§. 201.) consequens est, ut, qui vult perfectionem mundi a posteriori, sive per experientiam, cognoscere, & determinare, is singula simultanea, & sucessiva in mundo speciatim consideret, & accuratius penitiusque perspiciat, quomodo omnia, in nexu sumta, tendant, & conspirent ad finem, & commune bonum obtinendum. Quotusquisque vero hominum est, qui omnia simultanea, & successiva, maxima, minima, acie mentis pervadere possit, & pertentare? Quis est, qui complicatam istam omnium rerum connexionem perspiciat? Quis ergo denique reperietur, qui, perspecto toto universi nexu, determinare possit, omnia, maxima, minima, eo tendere ultimato, ut finis aliquis, & scopus bonum-

que

que quoddam commune obtineatur? A posteriori itaque meno hominum mundi perfectionem cognoscere potest, & determinare.

SCHOL. Eadem ex caussa temeritatis est, velle a posteriori, sive per experientiam determinare mundi imperfectionem. Quod tamen perplures facere, commemini, cum, de mundo perfectissimo sententiam rogati, ita respondent, ut huic mundo summam tribuant imperfectionem, idque ipsa ex experientia constare, ajant. Qui enim mundo imperfectionem competere, ex ipsa probare volunt experientia, ii vero totum mundum, universumque omnium rerum nexum perspiciant, oportet, & num cum fine obtinendo consentiant nec ne, determinare debent.

§. 470. Quo *plura* in universo occurrunt, quæ cum fine, ob quem universus mundus conditus est, consentiunt, quod *exactius* item plura ista simultanea, & successiva cum fine consentiunt, eo major est universi perfectio. (§. 206.)

§. 471. Negari quidem non potest, fieri posse, ut imperfectiones partiales in mundo occurrant, quæ, seorsum, & extra nexum consideratæ, in numero imperfectionum collocari omnino merentur. Quas tamen si in nexu consideraveris, multum ad perfectionem totius universi conferre, comperies. *Imperfectio enim partis*, ex collisione regularum, in perfectionibus simplicibus reperiundarum, oriunda, *sæpius multum facit ad perfectionem totius*. Conf. §. 215. Ontol.

NOTA. Hæc omnia, generalius tradita, magno nobis erunt usui, cum infra in Theologia naturali de *mundo* perfectissimo speciatim exponetur.

Finis Cosmologiæ.

PNEU-

PNEUMATOLOGIA

PSYCHOLOGIAM,

Et Theologiam naturalem complexa.

PSYCHOLOGIA.

CAPUT PRÆLIMINARE.

De spiritu in genere.

§. 472.

JAmdum veteres ad Metaphysicam referebant Pneumatologiam, sive doctrinam de *Spiritibus*, quam alteram Metaphysices partem, eamque specialem, constituebant.

SCHOL. *Hebenstreit in philos. prima p.* 1. *seqq.* Metaphysicam inter alia objecta ait, res sua natura præstantissimas pertractare debere *Res autem sua natura præstantissimas* dicit, esse res incorporeas, & immateriales, Deum nempe, & spiritus creatos.

§. 473. Per *Spiritum* generatim sumptum, nihil aliud intelligimus, quam substantiam simplicem, sive immaterialem, intellectu, & voluntate præditam.

NOTA. Hanc definitionem nominalem spiritus ejusmodi esse, scias, ut sufficiat ad spiritum a corpore, & ab omnibus aliis rebus dignoscendum.

§. 474. Ex hac definitione liquet,

(×) Omnia ea, quæ supra cap. XV. Ontologiæ

sunt tributa entibus simplicibus, sive immateriali bus, posse quoque prædicari de spiritibus.

(β) Ad notionem spiritus distinctam completam formandam non sufficere solam simplicitatem, sive immaterialitatem, sed intellectum quoque, ac voluntatem requiri.

(γ) Hinc absurdum est, & regulis recte ratiocinandi plane contrarium, cum nonnulli, dum elementa corporum, & animas brutorum entia simplicia esse audiunt, oppido exinde inferunt: Ergo sunt spiritus. Conf. §. 454.

(δ) Denique ex his manifestum fit, eo perfectiorem esse unumquemque spiritum, quo perfectiori gaudet intellectu, & eum esse spiritum perfectissimum, qui præditus est intellectu perfectissimo, & voluntate gaudet perfectissima.

§. 475. Ut vero, quæ sint spiritus requisita, quæve ipsius indoles, & natura, rectius intelligatur, paucis tantum, quid sit intellectus, quidve voluntas, definiemus, uberiores harum notionum explicationes in psychologia suppeditaturi.

§. 476. *Intellectus* est nihil aliud, quam facultas, res sibi *distincte* repræsentandi. *Distincte* vero res nobis repræsentamus, cum eas menti nostræ ita sistimus, ut ipsas non modo ab aliis rebus possimus internoscere, sed notas quoque, & characteres speciatim allegare, quibus res repræsentatæ ab aliis rebus discernantur. *Conf. Institut. Philos. Rat.* §. 97.

477. Quodcunque itaque res sibi tantum obscure aut clare repræsentat, & facultate res sibi distincte repræsentandi destituitur, illud non potest in numerum spirituum referri.

SCHOL. Veteres omnes Spiritus dividebant in *Spiritum infinitum*, sive *increatum*, quo referebant *Deum*, & *Spiritus finitos*, sive *creatos*. Hos, dicebant, esse vel *completos*, qui non ordinentur ad substantiam tertiam in unione constituendam, vel

in-

incompletos, qui ad ſubſtantiam aliquam tertiam conſtituendam divinitus ſint ordinati. Ad Spiritus completos referebant *Angelos*, ad hos *animam humanam*.

NOT. Nos cum exiſtentiam Dei, ex exiſtentia mundi; & animæ humanæ demum in Theologia naturali ſimus demonſtraturi, ita nunc procedemus in pneumatologia explicanda, ut (α) ea, quæ de anima, vel ope experientiæ, vel per raticcinia, legitime inſtituta, nobis innoteſcunt, exponamus in *Pſychologia* (β) Spiritus increati, ſcilicet DEI exiſtentiam, & attributa demonſtremus in Theologia naturali. Quæ enim ad Angelographiam pertinent, ea rectius ex literis ſacris, quam ex philoſophia, quippe quæ parum, vel omnino nihil de Angelis novit, petuntur.

PSYCHOLOGIÆ

PROLEGOMENA.

§. 478.

PSychologia, vi vocis, eſt doctrina ſive ſcientia de anima.

§. 479. Cum vero, quæ de anima novimus, vel per *experientiam* nobis innoteſcant, vel per *ratiocinia* ex experientia legitime deducta, vides, quid ſit, quod VVolfius, cum eoque alii, pſychologiam diviſerint in *pſychologiam empiricam*, & *pſychologiam rationalem*.

§. 480. In Pſychologia empirica ea traduntur, quæ, ope experientiæ, de anima humana novimus. E. gr. experimur, quod noſtrum aliarumque rerum, extra nos poſitarum, nobis ſimus conſcii. Experimur, quod ſentiamus res præſentes, quod

imagineimur nobis absentes, quodque item bonum cognitum appetamus, & malum repræsentatum aversemur. Hæc omnia, & alia plura, in psychologia empirica distincte exponuntur.

§. 481. Quæ, ope rationum, de anima nostra nobis innotescunt, ea omnia in psychologia rationali explicantur. Huc pertinet doctrina de animæ simplicitate, de ejus immortalitate &c. Nos enim experimur, animam esse ens simplex, experientia edoctus novit quisquam, animam esse immortalem, Hæc omnia, ratiociniis in subsidium adhibitis, demum addiscimus.

§. 482. Usus psychologiæ multiplex est, & varius. Ecquis, maximopere opus esse, negabit, cognitione sui, & animæ rationalis, per quam homines sumus, per quam ad Dei similitudinem quam proxime accedimus? Imprimis vero solidior animæ humanæ cognitio naturam ortumque affectuum, ac propensionum humanarum ordinem, & nexum nos edocet, quem qui perspectum habet, in propriis affectibus compescendis, & in aliorum propensionibus, vel excitandis, vel sedandis, vel refringendis, erit felicissimus.

De usu psychologiæ metaphysico, morali, & politico, theologico naturali legatur Bilfingerus dilucid. p. 258.

PSY-

PSYCHOLOGIA EMPIRICA.

CAPUT I.

De animæ existentia,

§. 483.

SI ad experientiam attendimus, deprehendimus, nos nosmet ab aliis rebus, quæ extra nos sunt, posse distinguere. Observamus item, nos res, extra nos positas, a se invicem internoscere.

EXEMPL. Nosti e. gr. te non esse mensam, quam extra te constitutam vides: nosti item, mensam, quam coram intueris, non esse sellam, juxta mensam positam, nec sellam esse mensam &c. Adeoque hoc ipso te ab aliis rebus, extra te positis, distinguis, & ipsas res, quæ extra te sunt, a se invicem dignoscis.

§. 484. Cum nos ab aliis rebus, extra nos positis, distinguimus, dicimur, *nos nostrum nobis esse conscii*. Et cum res illas, quæ extra nos positæ sunt, a se invicem discernimus, tum illarum rerum, quas a se invicem dignoscimus, *nos nobis sumus conscii*.

EXEMPL. Sum e. g. mihi mei conscius, cum scio, me non esse mensam hanc, quam extra me positam video. Sum mensæ mihi conscius, cum novi, mensam non esse sellam, & sellam non esse mensam.

§. 485. Experientia igitur testatur, nos, & nostrum, & rerum extra nos positarum, esse nobis conscios, (§. 483. 484.)

§. 486. Quod si verum est, consequens est, ut quid dari in nobis debeat, quod sui rerumque extra se positarum, sibi est conscium.

§. 487. Illud ipsum autem ens, quod in nobis sui, rerumque extra se positarum, sibi est conscium, dicitur *Anima*.

SCHOL. Non hic definitionem animæ realem, atque omnia ejus attributa, & accidentia complexam, afferimus, sed ejusmodi tantum allegamus characteres, per quos quilibet, audita *animæ* voce, eam a corpore possit distinguere. Si quis in hac definitione nominali requirat, & desideret libertatis mentionem, is nesciat, oportet, definitionis nominalis naturam, in qua non opus est, ut omnia, quæ de re definita sciuntur, vel prædicari possunt, recenseantur. Definitionem animæ pleniorem in psychologia rationali adferendi locus erit, ubi antea quædam demonstrata dedimus.

§. 488. Cum itaque, per experientiam, in nobis existat, & actu detur quid, quod sui, rerumque extra se positarum, sibi est conscium, (§. 486.) consequens est, ut existat, seu actu detur in nobis anima. (§. 487.)

NOT. Veteres animam in *vegetativam*, *sensitivam*, & *rationalem* dispescebant, sed entia multiplicabant præter necessitatem, & physica pneumaticis immiscebant.

§. 489. Animæ itaque existentia ex conscientia sui cuique innotescit. Qui itaque dubitare vellet, dari animam, eo ipso dubitaret, esse se sui sibi conscium; si vero dubitaret, esse se sui sibi conscium, eo ipso se refutaret. Quomodo enim dubitare posset si sui sibi non esset conscius? Quamvis itaque quis negare vellet existentiam corporum, animæ tamen existentiam inficiari nequit, quia eo ipso, dum ipsam negat, eandem concedit, & prodit conscientiam sui.

NOT. Atque hac ex caussa Cartesium, puto, affirmasse, animam notiorem esse corpore.

CA-

CAPUT II.

De Facultate cognoscendi, ejusque parte inferiori.

§. 490.

EXperientia nos docet, nos, dum vel nostrum vel aliarum rerum, extra nos positarum, nobis sumus conscii, multa percipere, & nobis repræsentare. Actio illa, qua anima res sibi repræsentat, & percipit, dicitur *cognitio*, & potentia illa, res sibi repræsentandi, appellatur *facultas cognoscendi*.

NOTA. Quia, quod in anima primum observamus, illud est, quod percipiamus res, & nobis repræsentemus, a cognitione animæ, & facultate cognoscendi recte nunc ordimur. Hanc facultatem animæ veteres vocabant *intellectum*, quem tamen non tam late patere, quam facultatem cognoscendi, infra demonstrabimus.

SCHOL. Quæ vero cognoscimus, & percipimus, non uno eodemque modo cognoscere nos, constat. Alia obscure, & confuse, alia distincte, novimus, & percipimus. Obscuram, & confusam cognitionem habet anima humana cum brutis communem. Distinctam vero cognitionem anima hominis habet sibi propriam. Quas cum brutis communes habemus cognoscendi facultates, eas referimus ad partem inferiorem facultatis cognoscendi. Huc pertinent facultas (α) *sentiendi* (β) *imaginandi*, (γ) *recordandi*, & *reminiscendi*.

§. 491. Illa ipsa rei in mente repræsentatio, quam appellamus perceptionem, dicitur alias quoque *idea* Quatenus vero anima hujus repræsentationis, sive perceptionis simul sibi est conscia, dicitur *appercipere*. Repræsentatio autem talis, cujus anima sibi est conscia, appellatur *cogitatio*.

SCHL. Terminus apperceptionis a Leibnitio est inventus, qui per illum, nihil aliud voluit significare, quam illum mentis nostræ actum, quo percipimus ipsas perceptiones nostras. Ejusmodi apperceptionem cum perceptione conjunctam requirit Leibnitius ad omnem omnino cogitationem. Neque enim male. Usus enim loquendi nos docet, vocem cogitationis non prius adhiberi, quam tum, cum indicare volumus, nos nostrarum perceptionum nobis esse conscios.

§. 492. Omnes nostræ perceptiones, sive repræsentationes differunt, aut (α) qua *repræsentandi modum*, & *rationem*, aut (β) qua *ipsas res perceptas sive repræsentatas*, sive qua objecta ipsa.

§. 493. Ratione modi repræsentandi nostræ perceptiones sunt vel *claræ*, vel *obscuræ*. *Claræ perceptiones, sive repræsentationes* sunt, quæ sufficiunt, ad rem repræsentatam ab aliis rebus distinguendam. *Obscura* vero sunt perceptiones, quæ non sufficiunt.

NOT. Exempla clararum, & obscurarum repræsentationum petas ex institutionibus nostris philosophiæ rationalis p. 50.

§. 494. *Claræ repræsentationes* sunt, vel *distinctæ*, *vel confusæ*. Illæ non modo res repræsentatas ab aliis rebus dignoscendas sufficiunt, sed notas quoque characteristicas allegare possumus, quibus res repræsentata ab aliis rebus potest dignosci. In *confusis* repræsentationibus alteram quidem rem ab altera possumus distinguere, nullas vero notas speciatim nobis sistere, quibus res repræsentata ab aliis rebus discernatur.

§. 495. Si notarum characteristicarum novas notas, & partium partes denuo possumus nobis sistere, tum exinde oritur idea sive *perceptio adæquata*; habitus autem, ejusmodi adæquatas notiones, & repræsentationes formandi, dicitur *profunditas cogitationum*.

NOT. Omnia ea, quæ de allata repræsentationum,

num, five perceptionum differentia dici debent copiosius exposita invenies in Institutionibus Philosoph. Rational. p. 49. seq.

§. 496. Res, quas nobis repræsentamus, aut sunt individua, aut abstracta, genus nempe, & species. (Conf. Log. §. 98.) Individua, aut sunt præsentia, aut absentia. Individua præsentia nobis repræsentamus *sensibus*. Absentia autem individua nobis sistimus ope *imaginationis*, *& memoriæ*. Abstracta repræsentamus nobis *intellectu*, *& ratione*.

SCHOL. Sensus, & imaginationem, memoriam item cum brutis communes habemus. Facultas itaque sentiendi, imaginandi, & recordandi pertinent ad facultatis cognoscendi *partem inferiorem*. A sensibus, a quibus omnis nostra cognitio ortum ducit, ordiamur.

C A P. III.

De facultate sentiendi.

§. 497.

CUm res, corpori nostro præsentes, nobis repræsentamus, tum dicimur illas *sentire*, & ipsæ illæ repræsentationes rerum, corpori nostro præsentium, dicuntur *sensationes*. *Facultas* autem *sentiendi* est potentia animæ nostræ, sensiones, sive sensationes habendi.

SCHOL. Ut vero sensionis natura, & indoles rectius intelligatur, a VVolfio, & Bilfingero recensentur criteria, quibus *corpus nostrum* ab omnibus aliis corporibus distinguitur. Præcipue vero *corporis nostri* characteres hi sunt. (1) Ex innumeris corporibus illud vocamus *nostrum*, pro cujus relatione, situ, & operatione, reliqua corpora nobis repræsentamus. (2) In quo, comperimus, motus fieri ad imperium voluntatis. *Conf. Bilfingeri dilucidat. p.* 34. *Corpori* autem *nostro* præsens dicitur illud,

qui-

quicquid in ejus organis ſenſoriis mutationem producit.

§. 498. *Organa ſenſoria* dicuntur membra in corpore noſtro, in quibus mutationes, cujuſvis ſtructuræ convenientes, in ſentiendo contingunt.

SCHOL. Quinque ejuſmodi organa ſenſoria corporis noſtri deprehendimus, oculum, aurem, nares, linguam cum papillis ſuis, & fibrillas nerveas, per totum corpus diſperſas. Inde oriuntur quinque ſenſus, (α) *viſus*, qui eſt facultas, corpora per mutationes, in oculo factas, ſentiendi, (β) *auditus*, qui eſt facultas, corpora per mutationes, in *aure* factas, ſentiendi, (γ) *olfactus* ſentit corpora per mutationes, in *naribus* factas, (δ) *guſtus* ſentit corpora per mutationes, in *lingua* ejuſque papillis factas, (ε) *tactus* denique corpora ſentit per mutationes, in fibrillis nerveis factas.

SCHOL. Hos ſenſus, quia nobis corpora, extra nos poſita, ſiſtunt, vocamus *externos*. Addunt nonnulli *ſenſus internos*, cum ſcilicet anima proprias ſuas cogitationes, & cupiditates percipit.

§. 499. Cum ſenſiones ſint repræſentationes rerum, corpori noſtro præſentium, (§. 497.) id autem omne corpori noſtro *præſens* eſſe dicatur, quod in ejus organis ſenſoriis mutationem producit, (§. 497.) intelligis, recte a nonnullis quoque *ſenſationes* definiri per repræſentationes rerum, in corporis noſtri organi ſenſoriis mutationem producentium.

§. 500. Cum itaque in omni ſenſione (α) in organis noſtri corporis ſenſoriis mutatio produci debeat, (§. 499.) (β) illa mutatio, a rebus, extra nos poſitis, in organis noſtris ſenſoriis producta, ab anima repræſentetur, (§. 499.) perſpicuum eſt, nec ſolum corpus, nec ſolam animam ſentire, ſed alio perfungi officio corpus, alio animam, eodem tamen tempore.

SCHOL. Corpus concurrit ad ſentiendum, *recipiendo* mutationes ab extra in organis ipſius ſenſoriis,

ſoriis, anima concurrit *repræſentando* illas mutationes in corporis organis ſenſoriis facta. Ut hæc evidentius pateant, addo exemplum. Cum fragorem tonitrui, aut exploſi tormenti, auditu percipis, tum id ita contingit, ut motus aeris tremulus, qui percuſſione, & vehementi diſploſione corporum ſolidorum, aut fluidorum producitur, ad aures ſubito deferatur, per illarum flexuoſos, & tortuoſos anfractus continuetur atque ibi reconditum auditus organum percellat. Hæc ad corpus. Quod cum fit, oppido anima ſibi mutationes in auribus factas repræſentat.

§. 501. De ſenſationibus per experientiam obſervamus, alteram iſtarum eſſe altera ſæpius clariorem, & fortiorem, alteram debiliorem, & obſcuriorem.

EXEMPL. Cum e. gr. auditu percipis fragorem tormenti bellici, tum illam ſenſationem, comperies, eſſe fortiorem illa, qua dulces luſciniæ, pone ſedentis, modulationes percipis.

§. 502. *Senſatio fortior ſupprimit ſenſationem debiliorem, uti lumen majus obſcurat lumen minus.*

Demonſtr. Hanc poſitionem quotidiana confirmat experientia, qua edocemur, &, ratione *viſus*, ita ſenſationes eſſe comparatas, ut, lumine ſolis explendeſcente, lumen ſtellarum debilius fiat, nec amplius compareat, & in auditu eamdem eſſe rationem: Sonus enim tympanorum, vel tormentorum fragor impediunt, quo minus muſicam, aut vocem loquentis nobiſcum audiamus. Quod idem obtinet in aliis omnibus ſenſationibus.

§. 503. *Quando objecta externa revera, & actu ipſo in organa ſenſoria agunt, in iiſque mutationem producunt, non eſt in poteſtate animæ, utrum, ſentire velit, nec ne.*

Demonſtr. Hæc propoſitio itidem nititur experientia. Ad quam cum attendimus, reperimus, cum radii objecti alicujus viſibilis, ſolis e. gr. in oculis mutationem producunt, non eſſe arbitrii noſtri

nostri, utrum videre solem velimus, nec ne. Cum porro fragor tormenti illabitur, in aures nostras, non est in potestate nostra, utrum ipsum audire velimus, nec ne &c.

§. 504. Possumus tamen impedire sæpius, quo minus objecta extrinseca in organis nostris sensoriis mutationem producant. Atque catenus sunt sensationes in potestate nostra. Possumus e. gr. si nolumus, radios solares, aut fragores tormentorum in oculos, aurесve illabi; oculos claudere, aut aures obturare, aut procul abire, quo minus in nobis mutationes ejusmodi molestæ producantur.

§. 505. *Non est penes animam nostram, qualem ipsa sensationem esse velit.*

Demonstr. Hanc propositionem stabilit, firmatque etiam experientia. Hac enim magistra, discimus, non esse arbitrii nostri, utrum id, quod aures nostras offendit, sentire, & percipere velimus, tanquam sonum suavem ac gratum. Neque est in nostra potestate, frigus, tanquam calorem, amarum, tanquam dulce quid, & flagella, tamquam blandam titillationem, sentire.

SCHOL. Disputatum est recentius de sensationum necessitate, quam, fuerunt, qui negarunt, alia licet omnia sensu communi edocti. Cel. *Bilfingerus in dilucidat. p.* 242. mentem suam de iis, quæ circa sensationum necessitatem ultro citroque disputata sunt, brevissime, sed distincte aperit. „ Positis conditionibus, inquit, ad sentiendum necessariis, organo, objecto, & medio recte constitutis. (1) non est penes mentem, an velit admittere sensationem, habet illam necessario. (2) Non est penes illam, qualem eam sensationem esse velit. Est tamen in potestate mentis positum, ut possit organa eo flectere, quo velit, aut avertere, cum velit, item, ut unam sensationem possit depellere per alteram sensationem fortiorem.

SCHOL. Alii necessitatem sensationum ita enunciant;

ciant: sensationes sunt necessariæ, ratione *adessentia*, & *ratione qualitatis*; sunt liberæ, *ratione præliminarium*.

§. 506. Ex his intelligi potest, regulam sensationum esse hanc positionem: *Si objecta extrinseca in organis corporis sensoriis mutationes producunt, tum illæ mutationes repræsentantur in anima.*

CAPUT IV.

De legibus motus.

§. 507.

Experientia quemlibet condocefacit, nos non ea modo, quæ coram sunt, & quæ nobis sistuntur præsentia, sentire, percipere, & nobis repræsentare, sed ea quoque, quæ jam olim sensu percepimus, quæque nunc absentia sunt nos denuo nobis tanquam præsentia, repræsentare, posse.

SCHOL. Fac, te, vel heri, vel nudiustertius, vel superioribus diebus fuisse in convivio, fac te vidisse multos illustres, & eruditos viros, te item aut doctos sermones, aut musicam audivisse; omnes hos, vel eruditos viros vel doctos sermones, nec non musicam, vivide tibi, licet fueris absens, poteris repræsentare.

§. 508. Facultas, res absentes, tanquam præsentes denuo sibi repræsentandi, & perceptiones, jam olim habitas, reproducendi, dicitur *facultas imaginandi*. Ipse autem actus mentis nostræ, quo res absentes olim perceptas, de novo tanquam præsentes, nobis repræsentamus, dicitur *imaginatio*, sive *phantasia*. Ipsa autem res, quæ ab imaginatione denuo producitur, dicitur *phantasma*.

§. 509. *Nihil nobis imaginari possumus, nisi quod antea sensibus perceperimus.*

Demonstr. Cum enim imaginatio nihil aliud sit, quam

quam facultas, ea, quæ olim sensibus percepimus, denuo repræsentandi, (§. 308.) perspicuum est, nihil nos nobis posse imaginari, nisi quod antea a nobis sensu fuerit perceptum.

SCHOL. Hinc est, ut nonnulli imaginationem vocent *continuatam sensationem*. Imaginatione enim id, quod antea sensimus, percipere, & repræsentare nobis continuamus: sic e. gr. nemo sibi poterit Romam imaginari, nisi vel ipsam viderit, vel ab aliis descriptam audiverit.

NOT. Puto, huc pertinere illud, quod veteres dictitabant: *Nihil est in intellectu, quod non antea fuerit in sensibus.*

§. 510. *Hoc facilius, quamque rem nobis imaginamur, quo, clarius & distinctius eam olim sensimus; hoc autem difficilius, & ægrius rem aliquam nobis imaginamur, quo eam obscurius, & confusius antea sentiebamus.*

Demonstr. Experientia testatur, nos, cum ædificium aliquod, secundum structuram, magnitudinem, & partes singulas, vidimus, & attente contemplati sumus, nos, inquam, illud facillimo negotio nobis denuo posse repræsentare, etiamsi fuerimus absentes, longeque ab ipso remoti. Sed fac, te velle tibi gustum cibi cujusdam, quem semel tantum degustasti, imaginari, tum, difficilius imaginationem suo defungi officio, comperies. Cibi enim dulcedinem confuse admodum, nec secundum omnes partes, sentiebas.

§. 511. *Quo recentior fuit sensatio, & quo crebrius repetita est sensatio, eo etiam vividior, & fortior est imaginatio.*

Demonstr. Deprehendimus id in vita communi, & quotidiana experientia. Cum recentissime interfuisti in templo orationi sacræ, tum universa hominum concio, multorumque, quos ibi vidisti facies menti tuæ, licet absens fueris, vividissime sistetur. Fac vero, te, longo temporis spatio interjecto, velle tibi homines, quos conspe-

xisti

xisti olim in templo, rursus, ope imaginationis, repræsentare, tum difficilius procedet negotium. aliquas jam imagines in mente evanuisse, animadvertes, nonnullæ vero obscuriuscule tibi se exhibebunt, &c. Ut adeo inde recte conficias, hoc vividiorem esse, & fortiorem imaginationem, quo recentior fuit sensatio.

Quod vero, quo crebrius repetitur sensatio, eo fortior, & vividior sit imaginatio, id comprobare poterunt illi homines, qui, compotationibus assueti, hoc plus potare volunt, quo plus jam potarent. Ratio est in promtu, si enim quis semel iterumque, ac tertio vini persensit dulcedinem, tum semper imaginatio, fortius operata, & pabulum quasi quoddam nacta, clarius & vividius eam menti sistit dulcedinem.

SCHOL. Hinc fit, ut, qui semel iterumque ac tertio, vitiorum irretiti illecebris, se vitiorum constituendos dederunt vinculis, vix ac ne vix quidem ex iis expedire queant, imaginatione fortissime operante, & vividissime vitiorum delicias nobis repræsentante, ad similia vitia exstimulati.

§. 511. *Imaginatio, cum sola, quiescentibus cæteris sensibus externis, operatur, majori claritatis gradu gaudet, quam cum una cum sensibus externis operari debet.*

SCHOL. Id ipsum experientia quoque testatur, qua edocti non ignoramus, tum, cum in statu somnii versamur, & externi sensus plane quiescunt imaginationem multo fortius, & vividius operari, quam, cum vigilamus, & nunc sensu auditus, nunc sensu visus &c. in imaginando turbamur, Hinc intelligis, (α) cur homines, quorum interest, ideas imaginationis esse clariores, oculos claudant, si imaginatio fortissime operari debeat. (β) Planum hinc fit, cur imaginatio in tenebris melius operetur. (γ) Cur literati, qui imaginatione alia, aliave objecta sibi volunt repræsentare,

se-

secessum ament, & a turbis, ac celebritate hominum remoti esse cupiant.

§. 513. Cum per imaginationem absentia nobis repraesentemus; absentia autem sint infinite multa, debet adesse ratio sufficiens, cur imaginatio *hanc* potius rem absentem, quam aliam, producat.

§. 514. Hanc rationem sufficientem deprehendimus in quadam idearum similitudine, si scilicet aliquid, quod in earum una est, reperitur etiam in altera, aut, si quis duas sensationes simul habuit, earum una recurrente, altera quoque, quae olim cum priori simul exstitit, reddit.

SCHOL. Ponas, te commeare Lipsiam, atque in foro hominumque turba occurrere tibi personam, quae facie aliisque linearum dotibus gaudeat, qui lineis facieique amici cujusdam absentis, aut patris tui sunt similes, oppido amicus ille absens, aut pater tuus tibi per imaginationem repraesentabitur: Ratio hic latet in observata idearum similitudine.

SCHOL. Ponas, te in convivio olim plures personas simul vidisse, cum iisque hilariter vixisse. Fac tibi, nec opinanti, longum post temporis spatium, Cajum, qui simul tecum convivio interfuit, obversari. Mox, Cajo conspecto, totum denuo tibi repraesentabitur convivium, omneque id, quod memoratu dignum in convivio contigit, menti tuae sistetur. Ratio latet hic in eo, quod Cajum scilicet, & omnia ea, quae in convivio contigerunt, simul senseris.

§. 515. Hanc idearum combinationem, quae sui rationem sufficientem in similitudine observata habet, vocant philosophi *Associationem idearum*. Quandoquidem vero haec idearum combinatio constanter observatur, eumque perpetuo servat ordinem imaginatio, ut, vel minima similitudine observata, confestim recurrant omnes illae ideae, quae per sensationem, eodem tempore factam, producebanban-

bantur, factum hinc est, ut philosophi certam constituerint legem, quam *legem sive regulam imaginationis* appellant.

§. 516. *Lex* autem *imaginationis* continetur hac propositione: *Perceptio præterita integra redit, cujus præsens perceptio tantummodo partem in se continet*. Alii legem imaginationis ita enunciant: *Si quæ simul sensimus, & unius sensatio denuo producitur, imaginatio producit & perceptionem alterius*

SCHOL. Hanc imaginationis legem, & rustici plebe iique omnes, & eruditi norunt, confuse illi quidem, at hi distincte. Quin, ipsa bruta secundum legem imaginationis actiones suas instituere, comperimus. Quid est, quod canis, baculo conspecto, sufugiat? scilicet cum baculum conspicit, recurrunt ipsi, occasione baculi, tædiosæ ideæ verberum, baculo ipsi inflictorum, idque per legem imaginationis, vi cujus, producta una sensatione, recurrunt simul omnes, quæ cum producta perceptione olim erant conjunctæ.

§. 517. Ex hac imaginationis lege, quam *Lockius de intellectu humano lib. 2. c. 33. p. 485. seqq.* primus distincte explicavit, innumeri casus, cum in vita civili, tum in christiana, exponi, & expediri possunt.

NOT. *B. Buddeus in Theologia morali p. m.* 170. in primis tradit, quod imaginationis lex in explicandis vehementioribus affectibus valeat, quemve item idearum associatio nobis præstet usum in discrimine naturæ, & gratiæ recte intelligendo.

§. 518. Cæterum, quemadmodum imaginatio est continuata sensatio, (§. 509.) sensationes autem non semper in nostra sunt potestate, (§. 503.) ita quoque, imaginationes non semper in potestate nostra esse, patet.

SCHOL. Experimur id ipsum fere quotidie. Si enim quis imaginem viderit obscœnam, aut librum fœdum legerit, sibi imaginem obscœnam, post mul-

multum temporis ſpatium, identicum obverſari, ſentiet, velit, nolit.

§. 519. Quatenus tamen organa noſtra ſenſoria ab objectis externis poſſumus avertere, ne eadem ſentiamus, eatenus imaginationes quoque ſunt in noſtra poteſtate.

SCHOL. Si tua intereſt, imaginem obſcænam non tuis obverſari oculis, avertas oculos ab eadem, omnique modo impedire allabores, quo minus imaginem ob viam aſpicias. Aut, ſi, imaginatione productæ ideæ mentem tuam turbare non debent, poteris alias res quaſcunque ſenſibus tuis objicere, ut ita per ſenſationem fortiorem depellatur debilior.

CAPUT V.

De facultate fingendi.

§. 520.

QUemadmodum anima noſtra gaudet facultate, res abſentes, ſive phantaſmata ſibi repræſentandi, (§. 508.) ita in ipſa quoque deprehendimus potentiam, & vim, res, quas imaginatio ſibi ſiſtit, pro arbitrio vel combinandi, vel dividendi.

SCHOL. Potes tibi *alas*, licet abſentes, imaginationis adminiculo, repræſentare. Repræſentare tibi quoque potes *equum*. Has denique ideas, imaginatione productas, potes pro arbitrio componere, ita quidem, ut ſiſtere tibi poſſis equum alatum. At hoc modo, inquies, poterimus quid imaginari nobis, quod tamen nunquam vidimus, quod eſt contra §. 508. *Reſpond.* Poſſumus quidem plura phantaſmata inter ſe componere, ut inde emergat res aliqua, quam nunquam vidimus; at partiales tamen ideas, vel phantaſmata, quæ compo-

nis

nis te sensibus usurpasse, opportet. Quamvis non videris equum alatum, alas tamen, & equum; tanquam partiales ideas, & phantasmata, ex quibus equus alatus componitur, senseris; necesse est.

§. 521. Hæc idearum combinatio, vel divisio, ab imaginatione pro arbitrio producta, si ita instituitur; ut nullum extra mentem objectum ideæ totali productæ respondeat, tum appellatur *fictio*, ipsa autem mentis potentia ita ideas, vel combinandi, vel pro arbitrio dividendi, dicitur *facultas fingendi*.

EXEMPL. E. gr. Cum poetæ Harpyias sibi repræsentant; combinant faciem virgineam flavam comam, alas & corpus accipitris, aures ursinas, manus humanas. Ex qua arbitraria plurium rerum combinatione exsurgunt monstra illa, quæ Harpyias vocant. Fingunt hic poetæ. Plures enim ideas pro arbitrio, & libitu combinant, atque id ita quidem, ut inde emergat idea aliqua totalis, cui nullum extra mentem objectum respondet. Ecquis enim unquam vidit ejusmodi monstrum? Ecquis comprobabit, dari Harpyias, nisi in poetarum cerebro?

§. 522. Cum fingimus, tum aut res, & ideas, sibi repugnantes, & contradicentes, combinamus, aut conjungimus ideas, quarum una alteram non tollit. In hoc casu dicuntur *fictiones impossibiles*, in illo vero appellantur *fictiones impossibiles*, sive *chimæræ*.

SCHOL. Ad fictiones possibiles referimus fabulas nonnullorum, eleganter confectas, item plures fictiones in philosophia. Cum e. gr. nobis universam gentem, & societatem, tanquam personam individuam; repræsentamus, atque exinde officia gentis erga gentem deducimus. Ad chimæras autem, sive fictiones impossibiles, pertinet respublica Platonica, cœcorum item respublica.

§. 523. A fictionibus dependet magna ex parte

ars inveniendi architectorum. Ars item pingendi, sculpendi, & architectura hortensis nituntur fictionibus.

NOT. Quid fictiones generatim præstent in veritatibus inveniendis, id vero præclare ostendit *Cl. Koehlerus in dissertat. de fictionibus heuristicis, Jenæ 1724. habita.*

CAPUT VI.

De statu vigiliarum, somni, & somnii.

§. 524.

EX his, quæ de sensationibus, imaginatione, & fictione dicta sunt, clare nunc, & perspicue poterit intelligi, quid sit *vigiliæ, somni, somniique* status.

§. 525. Quando anima nostra in eo est statu, ut objecta externa in corporis organis sensoriis mutationem producant, & ipsa res extrinsecas clare sentiat, tum dicimur *vigilare*.

Dum vero in eo versatur anima statu, ut nihil clare sentiat, nihilque clare imaginetur, tum dicimur *dormire*, & ille status dicitur *somnus*.

§. 526. *Somnium* autem est inter somnium, ac vigiliam status medius. In somnio enim anima quidem objecta externa clare non sentit, sed tamen ea, quæ in statu vigiliæ jam clare percepta sunt, clare sibi imaginatur.

*. 527. *Somnia.* itaque, patet, esse imaginationes, quæ solæ, sine sensationibus coexistentibus, in anima existunt.

§. 528. Somnia itaque majori gaudere gradu claritatis, non mirum est. (§. 512.)

§. 529. *Somniare non possumus, nisi de rebus, sensu perceptis.*

Demonstr. Cum enim somnia sint imaginationes, (§. 527.) imaginari autem nihil nobis possimus, nisi

nisi quod sensibus percepimus, (§. 508.) manifesta est ratio, nihil nos in somniis nobis posse imaginari, nisi quod jam a nobis sensu fuit perceptum.

§. 530. Cum autem teste experientia, anima nostra phantasmata pro arbitrio vel combinet, vel separet, (§. 520.) non mirum est, animam in somnio, nullis quippe sensibus externis turbatam, fortissimeque operantem, experiri sæpius phantasmata, & plures imagines, antea seorsum perceptas ita combinare, ut inde emergant imagines monstruosæ, formidolosæ, & terribiles.

§. 531. *Anima nostra in somniis operatur secundum legem imaginationis.*

Demonstr. Cum enim somnia sint imaginationes, (§. 527.) facile intelligis, animam operari in iisdem secundum legem imaginationis, (§. 516.)

EXEMPL. E. gr. Fac, te antequam cubitum ii, vel legisse quid, vel cum amico sermones contulisse de spectris, oppido imaginatio, quiescere nescia, & moleste sedula, formidolosis imaginibus, te dormientem turbabit. Ex quibus imaginibus, si una, alterave vestimento rubro induta, tibi comparuerit, confestim, ob similitudinem coloris, imaginatio bellum, & funestam cladem tibi sistet. Atque ita inter tormentorum bellicorum fragores, & tympana versaberis. Si datum nobis esset, ad omnia, quæ in somnio obveniunt, attendere, profecto totius phantasmatum successionis rationem ex lege imaginationis essemus redditurí.

§. 532. Fit nonnunquam, ut, dum somniamus, clare agnoscamus, quid somniemus; tum somnium appellatur *clarum*. Fit vero quoque, ut, quod somniaverimus, non satis agnoscamus; tum somnium appellamus *obscurum*.

SCHOL. Cum clarum fuerit somnium, tum expergefacti omnium eorum, plerorumque certe, quæ somniavimus, recordari possumus.; aliisque som-

nium speciatim enarrare. Quod non item licet in somnio obscuro.

CAPUT VII.

De memoria, oblivione, & reminiscentia.

§. 533.

EXperientia teste, novimus, animam nostram perceptiones, jam olim habitas, non modo posse reproducere, sed reproductas quoque ideas recognoscere, quod eædem sint, quas jam antea habuimus.

EXEMPL. E. gr. Vides florem aliquem peregrinum in principis alicujus horto. Quem dum Dresdæ intueris simul autem tibi conscius es, te jam illum ipsum florem olim vidisse Lipsiæ, reproductam ideam floris recognosces, quod eadem sit quam jam ante habuisti.

§. 534. Facultas animæ, ideas reproductas recognoscendi pro iisdem, quas jam antea habuimus, vocatur *Memoria*.

SCHOL. Ita notionem *memoriæ* determinat *Cl. VVolfius in Psychol. Empir. Lat. p.* 123. Sunt ex veteribus, qui, *memoriam idearum receptaculum* esse, dicunt. Alii eam facultatem, ideas, sive perceptiones, jamdudum habitas, reproducendi appellant. Sed illi vocabulo usi metaphorico, leges definiendi migrant. Conf. Logic. §. 169. Hi vero imaginationem cum memoria confundunt. Aliud enim est, res objectas extrinsecus immediate percipere, quod est *sensuum*: aliud vero est, perceptiones, jam olim habitas, reproducere, quod est *imaginationis;* aliud denique est, ideas, ab imaginatione reproductas, recognoscere, quod eædem sint, quas jam olim habuimus, id quod operatio est *memoriæ*. Quod aliud quid sit, ideas *reprodu-*

cere,

cere, aliud vero quid *recognoſcere*, quod ideæ reproductæ eædem ſint, quas jam olim habuimus, quodque uſui loquendi convenienter, & recte determinetur notio memoriæ, intelligi poteſt, ſi ad ſequens attenditur exemplum. Annon ſæpius contingit, tibique uſu venit, ut, ſi quid legiſti in libro quopiam, imaginatio quidem ideam iſtam in mente reproducat, ſed tibi ſis non ſigillatim conſcius, te ea, quæ jam in mente tua reproducuntur, in libro iſto legiſſe. Quod cum ſit, memoriæ hunc defectum imputas. Vides, notionem memoriæ uſui loquendi convenienter determinari, cum per illam intelligitur facultas, ideas ab imaginatione reproductas, recognoſcendi, quod eædem ſint, quas olim habuimus.

§. 535. Impotentia animæ, perceptionem reproductam recognoſcendi, quod eadem ſit, quam jam olim habuimus, dicitur *Oblivio*.

§. 536. De memoria nos docet experientia ſequentia:

I. Facile memoriæ mandamus ea, quæ vel diu, vel ſæpius percipimus*, vel frequentius ruminamur, & repetimus.

II. Facilius quoque ea mandamus memoriæ, quæ diſtincte percepimus, quam quæ confuſe.

III. Felicior eſt memoria, quæ res perceptas *plures cito* arripit, & *diu* retinet.

SCHOL. Ut adeo bonitas memoriæ ex ſequentibus æſtumetur. Si quis (α) *plurima*, (β) *cito*, & *facile* memoriæ mandat, & (γ) memoriæ mandata *diu* retinet, bona gaudere dicitur *memoria*.

§. 537. Fit nonnunquam, ut idea, ab imaginatione reproducta, obſcura ſit, & ne quidem recognoſcatur; tum ſolemus, cum repræſentatio, ab imaginatione reproducta, recognoſci debet, eam in claram, & diſtinctam commutare, idque ita, ut nonnullæ, vel temporis, vel loci circumſtantiæ allegentur, quibus mediantibus, idea reproducta clara fiat.

SCHOL. Fac, tibi, Lipsiæ commoranti, in foro Titium obviam venire, cum quo, ante decem, amplius, annos in convivio aliquo Dresdæ simul fuisti: Fac, te non posse recognoscere, quod idem sit Titius, quem olim vidisti Dresdæ in convivio, tum allegabit Titius aliquas circumstantias, quæ olim in convivio adfuerunt. Atque, his mediantibus circumstantiis, recognosces tandem, eundem esse Titium, quem olim Dresdæ vidisti.

§. 538. Facultas animæ, perceptiones præteritas mediantibus quibusdam circumstantiis, reproducendi, & recognoscendi, & obscuras ideas, jam olim habitas commutandi in claras, & distinctas, dicitur *reminiscentia*.

EXEMPL. Cum e. gr. Titius, in nundinis Lipsiensibus tibi occurrens, allegat quasdam loci, temporisque circumstantias, quibus mediantibus, possis recognoscere, quod idem sit Titius, quo cum vixisti Dresdæ, tum dicis, allegatis circumstantiis: Jam modo recordor &c.

§. 539. Hæc quidem hactenus de cognoscendi facultate, ejusque parte inferiori. Ad quam retulimus omnes illas animæ operationes, & facultates, quas cum brutis habemus communes. Bruta, ut homo, sentiunt, imaginatione, & somniis gaudent, recordantur, reminiscuntur. Nunc ad eas progrediemur operationes, & facultates, quas sibi homo proprias vindicat. Atque huc pertinent facultas attendendi, & reflectendi, ratio, intellectus, abstrahendi item potentia &c.

DE

DE FACULTATE

COGNOSCENDI,

ejusque parte superiori.

CAPUT I.

De facultate attendendi, & reflectendi.

§. 540.

ORdinis exigit ratio, ut, expositis iis, quæ ad facultatem cognoscendi, ejusque partem inferiorem pertinent, ea nunc exponere aggrediamur, quæ ad facultatis cognoscitivæ partem superiorem spectant. Huc vero referuntur omnes illæ operationes animæ nostræ, per quas res cognoscimus distincte, quasque cum brutis plane non habemus communes.

§. 541. Deprehendimus per experientiam, nos posse efficere id, ut perceptionis A, nobis magis simus conscii, quam perceptionis B, adeoque ut perceptio A, clarior evadat, quam cæteræ omnes perceptiones, quæ cum A, una adsunt.

EXEMPL. E. gr. Efficere possumus, ut, cum in quandam ingressi bibliothecam, multos contemplamur libros, unum eorum speciatim possimus considerare, atque id ita quidem, ut hujus libri, quem præ cæteris omnibus nunc intuemur, & inspicimus magis, & clarius nobis simus conscii, quam cæterorum omnium, qui simul se visui nostro exhibent.

§. 542. Cum efficimus, ut unius rei A, magis nobis simus conscii, quam cæterarum, quarum æque po-

poteramus nobis esse conscii, tum illi rei A, dicimur *attendere*.

EXEMPL. Attendis e. gr. in bibliotheca illi libro, quem nunc præ cæteris omnibus in bibliotheca contueris. Attendis sermoni oratoris, si illius tibi magis fueris conscius, quam aliarum rerum, quas eo tempore tibi poteras repræsentare.

§. 543. Attentio suis gaudet gradibus. Eo major est attentio, quo (α) diutius quis cogitationes suas ita potest in objecto aliquo defigere, ut singula, in objecto occurrentia, acie mentis pervadat, & pertentet. (β) Attentio eo major est, quo *pluribus* objectis simul eodem tempore possumus attendere. (γ) Attentio major est, si quis, inter multos strepitus, cum multa objecta extrinseca feriunt organa sensoria, rei alicui potest attentione ita inhæreet, ut rerum, sensus ferientium, propemodum sibi non amplius sit conscius.

EXEMPL. Ut hi gradus patescant evidentius, sequens addo exemplum. Cum quis, qui philosophiæ operam dat, ita potest demonstrationi attendere, ut omnes propositiones, in demonstrationis catena, longa serie connexas, sigillatim sibi sistere possit, &, quo quæque nexu cum altera sit conjuncta, distincte perspiciat, tum ejusmodi hominis attentionem permagnam esse, dicimus. Hanc, in diu conservanda attentione, patientiam summam, reperimus in maximis quibusque mathematicis, & exercitatissimis philosophis. Cum porro quis, & epistolam scribere, &, eodem tempore, pluribus aliis epistolas diversi argumenti dictare, & omnibus, ac singulis speciatim attendere potest, tum vero magnam ejusmodi attentionem miramur. Julius Cæsar exemplo hic nobis esse potest, quem accepimus, id præstitisse.

§. 544. Quemadmodum, experientia teste, attentio continuo nec interrupto exercitio, & acquiritur, & augetur, ita, per sensus, & imagina-

ginationem, omnesque confusas repræsentationes, attentionem turbari, & minui, itidem constat.

EXEMPL. Cum e.gr. quis quotidie demonstrationes mathematicas, & philosophicas, vel legerit, vel ab aliis propositas audiverit, vel denique ipse eas confecerit, id tandem, succedente tempore, consequetur, ut connexionem multarum propositionum, in demonstratione longa serie concatenatarum, facili negotio queat perspicere. Quod idem juvenis minus exercitatus vix poterit præstare.

SCHOL. Quod vero sensus, & imaginatio turbent, & minuant attentionem, tuo ipsius exemplo quotidie condoceberis. Fac, te in museo libris assidere, & demonstrationi mathematicæ, a VVolfio prolatæ, attendere. Fac vero, vel fragorem tormentorum, vel horrisonum tympanorum strepitum ex improviso aures tuas ferire, tum de repente omnis evanescet attentio. Fac quoque, te, cum legis librum, argumento cuidam difficili attendere, imaginationem autem, imaginem heri visam, tibi reproducere, tum extemplo omnis turbatur attentio.

§. 545. Cum attentio ita per partes continuatur, ut omnes partes, in toto occurrentes, speciatim contemplemur, tum ille mentis nostræ actus dicitur *reflexio*.

SCHOL. Reflexionem, & actum reflexum vocabant veteres illam animæ actionem, qua se ipsam, & suas operationes cognoscit. Sed significatus vocis *reflexionis*, uti a nobis determinatur, usu communique sermone receptus est. Fac e. gr. horologium tibi offerri. Fac, te velle super illud reflectere. Quid agis? Annon omnibus rotulis, in horologio occurrentibus, sigillatim attendis? Annon omnes catenulas speciatim consideras? Vides, in reflectendo attentionem continuari per singulas, & minimas alicujus rei partes.

§. 546. Intelligis hinc:

I. Quid sit, cum animam super se ipsa, & actionibus

nibus suis reflectere dicimus: In hoc casu anima ad omnia partialia, & omnes suas speciales actiones attendit.

II. Hinc patet, ea omnia, quæ de attentione dicta sunt, (§. 542.) valere quoque de reflexione.

III. Quæ igitur attentionem turbant, & minuunt, ea reflexioni quoque obstant.

§. 547. *Mediante reflexione, a cognitione clara, & confusa ad distinctam cognitionem intellectu progredimur.*

Demonstr. Cum enim, ope reflexionis, partialia, in re quapiam obvia, sigillatim nobis repræsentemus, (§. 545.) ejusmodi autem repræsentatio rerum, qua notas, & partes alicujus rei nobis sigillatim repræsentamus, dicatur *cognitio distincta*, (§. 75. Log.) manifestum est, mediante reflexione, a cognitione clara, & confusa ad distinctam cognitionem nos progredi.

CAPUT II.

De Intellectu.

§. 548.

SUpra jam, & in Logicis, a nobis probatum est, variam esse nostram rerum repræsentationem, & cognitionem, confusam aliam, aliam distinctam; (Conf. §. 494.)

§. 549. Facultatem, res distincte repræsentandi dicimus *intellectum*.

SCHOL. Vox *intellectus* tam late interdum patet, ut per eam a nonnullis philosophis omnis cognitio humana, sive confusa illa sit, sive distincta, intelligatur. Ita novimus, a veteribus animæ nostræ adsignari duas potentias; intellectum scilicet, sive facultatem repræsentandi, & voluntatem, si-

ve

ve facultatem appetendi. Per intellectum itaque facultatem cognoscendi generatim intelligebant, Vox autem intellectus multo aliter determinari debet. Attendas ad usum loquendi. *Intelligere* nos tum demum rem aliquam recte dicimur, si eam distincte, & cum suis notis characteristicis repræsentaverimus, &, *intelligibiter explicare* quid, nos dicimus, cum ita illud explicamus, ut rationem interiorem, & notas rei allegemus. Intellectus itaque recte definietur per facultatem, res *distincte* repræsentandi. Si intellectus sensuum, & imaginationis confusas repræsentationes sub se complectitur, quidni etiam brutis intellectum tribuimus?

§. 550. Ex his intelligis:

I. Eo majorem esse intellectum, quo *plura* sibi distincte repræsentare potest.

II. Major itidem est intellectus, si plura *distinctius* sibi repræsentat.

III. Maximus itaque, & perfectissimus intellectus ille est; qui (α) *omnia possibilia*, (β) *distinctissime, & adæquatissime*, (γ) *unico actu, & simul*, sibi repræsentat.

§. 551. Per experientiam deprehendimus, nos nec *omnia* nobis repræsentare, nec, quæ nobis repræsentamus, ea distinctissime nos nobis sistere. Adeo, vides, intellectum humanum, cum quoad *objectum*, tum quoad *modum repræsentandi*, esse limitatum.

§. 552. *Intellectum purum* dicimus, ubi res eo distinctionis gradu nobis repræsentamus, ut nulla sensuum imaginationisque confusa repræsentatio sit admixta. *Intellectus impurus* est, cum res nobis ita repræsentamus, ut multas adhuc sensuum, & imaginationis confusas ideas admixtas inveniamus.

EXEMP. Cum e. gr. quis, in Metaphysicis versatus, notiones abstractas *spatii*, *essentiæ*, &c. tam distincte sibi repræsentat, ut nullis imaginibus sensualibus, ad eas recte intelligendas, opus habeat, tum

ſum hæc intellectus operatio pertinet ad intellectum purum. Si vero quis ſibi notionem ſpiritus, ſine imagine quadam ſenſuali, formare nequit, tum illud eſt indicium intellectus impuri.

§. 553. *Intelligitur hinc, in hac vita nec dari intellectum perfecte purum, nec dari poſſe.*

Demonſtr. Cum enim, & quoad modum repræſentandi, & quoad objectum, intellectus noſter limitatus ſit, adeoque non omnia diſtinctiſſime ſibi repræſentare poſſit, (§. 551.) facile intelligitur, multas adhuc ſenſuum, & imaginationis confuſas repræſentationes eſſe diſtinctis animæ repræſentationibus intermixtas. Quo ipſo patet, nec dari, nec dari poſſe in hac vita, intellectum perfecte purum.

NOT. Equidem non nego, & mathematicos, & philoſophos, tam abſtractas ſibi formare rerum ideas poſſe, ut, omnem confuſam ſenſuum imaginationiſque repræſentationem abeſſe, crederes; At, re rite expenſa, deprehendes, etiam ſubtiliſſimis, & maxime abſtruſis conceptibus admixtas eſſe confuſas ſenſuum, & imaginationis ideas.

§. 554. Operationes, quas intellectui debemus, ſunt potiſſimum ſequentes. (α) Format intellectus *ideas*, ſive *notiones*. (β) Ideas vel conjungit, vel ſeparat, ex quo naſcitur *judicium*. (γ) Ex judiciorum conjunctione derivat novum judicium, unde oritur *ratiocinium*.

NOT. Addunt nonnulli quartam operationem, ſcilicet ratiociniorum concatenationem, ſive demonſtrationem.

§. 555. Cum de tribus hiſce intellectus operationibus in inſtitutionibus philoſophiæ rationalis ſufficienter a nobis actum ſit, non eſt, cur iis explicandis immorari velimus. Quare paucis tantum hic exponemus, quæ qualeſque ſint ideæ, quas intellectus ſibi format.

§. 556. Cum ideæ individuales ſint repræſentationes rerum præſentium; res præſentes autem, ſive

five exiftentes, tantum ope fenfuum, nobis repræfententur, (§. 497.) manifeftum eft, ideas individuales ab intellectu non formari.

§. 557. Ideis fingularibus, five individualibus opponuntur notiones univerfales, five abftractæ (§. 103. 108. Log.) Cum itaque ideas fingulares, five individuales non intellectus formet, (§. 556.) palam eft, univerfales, five abftractas notiones tantum formari ope intellectus.

§. 558. Cum vero ideæ, five notiones generum, & fpecierum, fint notiones univerfales, (§. 109. Log.) patet, ideas, quæ intellectu formantur, effe ideas generum, & fpecierum.

§. 559. Quid fit genus, quidve fpecies, qua item ratione notiones univerfales formentur, dictum eft a nobis in Logicis (§. 105. 107.) Ibi enim demonftravimus, notiones generum, & fpecierum, tanquam notiones univerfales, formari non poffe, nifi per abftractionem (§. 110.) Breviffimis itaque tantum hic attingemus, in quo confiftat abftractio, facultafque abftrahendi, animæ noftræ propria.

§. 560. Cum individua nobis repræfentamus, tum ejufmodi res nobis fiftimus, quæ omnimode funt determinatæ, innumerifque involutæ circumftantiis, & characteribus exhibentur (§. 100.) Log. Si itaque notiones generum, & fpecierum, tanquam notiones univerfales nobis formare volumus, tum id ita fit, ut notas illas, & characteres, in quibus individua perpetuo conveniunt, feparatim confideremus, illas autem determinationes, quæ in individuorum collatione non funt perpetuæ, in mente paullifper feparemus, & omittamus. Atque hoc ipfum eft *abftrahere*. Notiones autem ita formatæ dicuntur *abftracta*.

EXEMPL. Si e. gr. notionem *fpei* formare volueris, tum opus eft, ut plures cafus individuales, in quibus *fperare* quidam dicuntur, confideres, & inter fe conferas. Id quod in pluribus iftis cafibus

non

non perpetuo occurrit, mente separas ab iis determinationibus, quæ sunt in pluribus casibus perpetuæ & constantes. Id quod fit abstractione.

§. 561. Cum notiones abstractione formatæ, & universales, non in sensus incurrant, adeoque aliis coram monstrari nequeant, nobis summum Numen dedit *verba*, per quæ varietates rerum, maxime abstractas, a se invicem distinguere, & cum aliis communicare possumus.

EXEMPL. Sic e. gr. notio abstracta, & universalis *hominis* non incurrit in sensus, neque adeo alicui coram monstrari illa potest. Si tamen alter, quod sit homo, nosse voluerit, tum ipsi notionem *hominis* universalem poteris per verba ingenerare, dum scilicet recenses notas illas, & characteres, quibus homo ab aliis omnibus rebus internosci possit.

§. 562. Cum rem nobis immediate repræsentamus, ita, ut illam coram intueamur, tum illa cognitio dicitur *intuitiva*. Cum vero res nobis, vel per verba, vel per alia quæcunque signa, nobis sistimus, dicitur illa cognitio *cognitio symbolica*.

EXEMPL. Si e. gr. solem præsentem intueris, tum illa cognitio solis dicitur *cognitio intuitiva*. Cognitionem autem symbolicam habes *spiritus*, si cogitas, spiritum nihil esse aliud, quam substantiam immaterialem, intellectu, & voluntate præditam.

§. 563. *Cognitio symbolica vel maxime facit ad ideas distinctas acquirendas.*

Demonstr. Cum enim cognitione symbolica, sive per verba, partes, & notas rei cujusque distinguamus. (§. 561.) consequens est, ut, ope cognitionis symbolicæ, ideas rerum distinctas acquiramus. (§. 79. 80. Log.) Atque adeo per symbolicam cognitionem ideas distinctas acquirimus.

SCHOL. Conf. Gollingii dissertat. de *Cognitione intuitiva. & symbolica.* in qua cum alia multa, ad

ad perſpiciendam cognitionis intuitivæ, & ſymbolicæ differentiam, afferuntur, tum imprimis demonſtratur, omnem noſtram cognitionem univerſalem & diſtinctam vocabulis cæteriſque ſignis ita niti, ut notio diſtincta eo momento deſignat, quo nulla amplius ſigna ſuppetunt.

§. 564. Acuti dicuntur oculi noſtri, ſi plura in objectis, quæ ſe exhibent viſui, poſſumus a ſe invicem diſcernere. Atque adeo *acumen* eſt in anima noſtra nihil aliud, quam facultas, in uno objecto multa diſtinguendi.

EXEMPL. E. g. Cum quis notionem, vel *legis*, vel *obligationis* ſibi format, atque in his notionibus plura diſtinguere a ſe invicem, & detegere novit, tam ejuſmodi homini acumen tribuimus.

§. 565. Quo itaque plura in re quapiam quis diſtinguere noſtis hoc majus eſt acumen.

§. 566. *Acumen cum intellectu eſt connexum, & quo quis majori gaudet intellectu, eo majus in ipſo eſt acumen.*

Demonſtr. Cum enim intellectus, nihil ſit aliud, quam facultas, diſtincte res ſibi repræſentandi, (§. 549.) *diſtincte* autem rem quampiam nos nobis repræſentemus, ſi plura in ea, ſive partiales notas a ſe invicem diſtinguere, ſeparatimque nobis repræſentare poſſimus, (§. 78. Log.) intelligis, acumen quippe quod eſt facultas plura in re quapiam diſtinguendi, (§. 564.) pertinere ad intellectum. Cum præterea hoc major ſit intellectus, quo diſtinctius ſibi res repræſentat, (§. 550.) hoc autem diſtinctius intellectus ſibi res repræſentet, quo plura poteſt in re repræſentata diſtinguere, (§. 78. Log.) manifeſtum eſt, hoc majus eſſe acumen, quo major eſt intellectus.

§. 567. Quod ad cæteras mentis operationes, judicium ſcilicet, ratiocinium, & demonſtrationem attinet, iis recenſendis ſuperſedere poſſumus, propterea quod & judicii naturam, ratiociniorum, demonſtrationiſque varias

ſpecies in philoſophia rationali, uberius excuſſimus.

CAPUT III.

De ingenio, ratione, rationiſque analogo.

§. 568.

CUM plures res inter ſe conferimus, tum experientia nos edocet, nos facile poſſe cognoſcere, quid ſit in rerum plurium repræſentatione *ſimile*, quid *diſſimile*. Facilitas, ſimilitudines rerum obſervandi, dicitur *ingenium*.

SCHOL. Vox *ingenii* tam late patet ſæpius, ut per eam nonnulli intelligant univerſum complexum omnium facultatum, & virium mentis. Sic dicimus: Cajus eſt bono ingenio præditus. Id eſt, facile obvia quæque arripere, memoriæ mandare, & dijudicare poteſt. Uſus tamen loquendi quemlibet condocet. Ingenium ſtrictiori ſenſu nihil aliud ſignificare, quam eam mentis facultatem, & promptitudinem, qua res inter ſe facile comparare, & rerum ſimilitudines ſine multo labore introſpicere poſſumus. Ingenio e. gr. hæc deberetur locutio, ſi diceres: Prudens utitur divitiis ſuis, uti mendicus claudus ſubalaribus fulcris. Quemadmodum enim mendicus claudus ſubalaria fulcra non amat quidem per ſe, neque tamen ea abjicit, ſed iis ad ambulandum opus habet, ita etiam dives divitias ſuas non abjicit quidem, neque tamen eas amat per ſe, ſed eas retinet, uſus, & neceſſitatis gratia.

§. 569. Hinc *ingenioſus*, ille dicitur, qui ſimilitudines rerum facile obſervat.

NOT. Præ cæteris poetæ, & oratores ſunt ingenioſi. Utuntur, & oratores, & imprimis poetæ, allegoriis, & metaphoris, quæ in rerum ſimilitudinem fundantur.

§. 570.

§. 570. *Ad ingenium opus est attentione, & reflexione.*

Demonstr. Ope enim ingenii similitudines rerum observamus, (§. 568.) similitudo autem plurium rerum ita observatur, ut tam ea, quæ in uno, quam quæ in altero adsunt, probe a se invicem distinguamus, & deinde, quatenus in utroque idem sit, attendamus. Quod cum, ut vides, fieri debeat ope attentionis, & reflexionis, (§. 542. 545.) Er. ad ingenium opus est attentione, & reflexione.

§. 571. Cum Systemata philosophica: sive ejusmodi libros, in quibus veritates, & propositiones universaliores proponuntur, & traduntur inspicimus, tum generaliores illas, & universales propositiones ita ordinatas deprehendemus, ut aliæ ex aliis demonstrari possint, & posteriores ex prioribus intelligi queant, cur sint veræ. Unde perspicuum est, propositiones, & veritates universaliores inter se connecti.

§. 572. Facultatem animæ nostræ, nexum veritatum universalium distincte perspiciendi, dicimus *rationem*.

NOT. Philosophi in omnibus fere assertionibus suis ad rationem provocant; ipsi tamen, quod mirabile dictu, sententiam de ratione dicere jussi, in varias distrahuntur sententias.

SCHOL. Prius vero, quam *rationis* vox determinari rite potest, duplex *rationis* acceptio probe est attendenda. I. Sumitur ratio *objective* pro ipso veritatum, & propositionum universalium nexu: Atque ita sumsisse videtur Leibnitius *rationem*, cum in discursu de conformitate rationis, & fidei, Theodiceæ præmisso, §. 23. rationem definit per catenam, i. e. nexum veritatum. II. Sumitur *subiective* pro facultate mentis nostræ, veritatum universalium connexionem distincte perspiciendi.

SCHOL. Quod vero vox *rationis* recte ita determi-

 mi-

minetur, id vero sequentibus comprobatur. Annon usui loquendi est conforme, cum dicimus: *Cajus vitam suam non instituit rationi convenienter*, cum quotidie comessatur, scortatur, & libris sepositis, studiisque liberalium artium post habitis, eam vivit vitam, ut damna, ex ejusmodi dissoluta vivendi ratione oritura, plane non perpendat? Annon contra Sempronius vivit rationi conformiter, cum vitam suam instituit, futuras consecutiones, futuramque felicitatem, infelicitatemve continenter consideret, & ante oculos habeat? Vides his in exemplis, Cajum ideo *rationi non convenienter* vivere dici, quia nexum inter actiones suas actionumque consequentias non perspicit. Sempronius vero ideo ad rationis ductum vivit, quia non præsentia modo intuetur, sed simul mente cernit futura & eminus prospicit consecuturos actionum suarum eventus.

SCHOL. Cicero idem, quod nos, per rationem voluit intelligi. Ita enim ille *in libro I. de officiis, Cap. IV. Homo*, inquit, *quod rationis est particeps, per quam conseqentias cernit, caussas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit, atque annectit futuras*. Quo quidem quid aliud innuit, atque indicat Cicero, quam hoc nos per rationem rerum, & veritatum nexum perspicere? Neque est, quod contra hanc rationis definitionem objicias, esse illam nimis angustam, dum ad rationem non modo requiratur, ut nexum veritatum respiciat, sed quoque, ut a bono malum, & a malo bonum distinguat, & verum, falsumque dijudicet. Sed distinguas, quæso, operationes intellectus ab operationibus rationis. Formatio notionum universalium, quam nonnulli rationi retribuunt, non ad rationem, sed intellectum pertinet.

§. 573. Intelligi hinc & determinari possunt gradus

dum rationis. Quo longiorem scilicet veritatum nexum, quis potest perspicere, eo majori rationis gradu gaudet; quo brevior vero est veritatum nexus, qui perspicitur, hoc minor est rationis gradus. Ubi vero plane nulla veritatum connexio perspicitur, ibi non locum habet ratio.

SCHOL. Licet hinc intelligas, cur experientiam philosophi opponant rationi. In experientia, per quam ea tantum, quæ coram sunt, & in sensus incurrunt, contuemur, unum veritatum nexum perspicimus. Brutis quoque quare omnis denegetur ratio, hinc perspicuum est. Bruta enim, ut observamus, sensibus tantum præsentia contemplantur, neque præsentibus, ut Cicero monet, futura annectunt, & adjungunt.

§. 574 *Ratio maxime se exserit ratiocinando.*

Demonstr. Dum enim ratiocinamur, ex duobus judiciis, inter se collatis, deducimus tertium, adeoque, quomodo judicium tertium cum duobus aliis judiciis connexum sit perspicimus. Quod cum sit operatio rationis (§. 572.) manifestum est rationem se maxime exserere ratiocinando.

Unde, & ratiocinia dicuntur.

§. 575. Si ratiocinia, & demonstrationes ita concatenare possumus, ut, in demonstrationum nexu, loco fundamenti, substernantur, nonnisi axiomata, & definitione, neutiquam vero experientiæ, tum, si nexum ejusmodi ratiociniorum, & demonstrationum perspicimus, *ratione pura* gaudere dicimur. Ubi vero nexum veritatum ita tantum perspicimus, ut, inter demonstrandi principia, etiam experientiis locum concedamus, dicitur *ratio impura*.

§. 576. Rationem, objective sumtam, diximus esse catenam, sive nexum veritatum. Recte itaque illud *rationi conforme* dicitur, quicquid cum veritatibus cognitis connectitur. *Difforme* autem *rationi* illud erit, quod veritatum nexui contradicit.

EXEMPL. E. gr. hæc propositio: *Deus aversatur malum:* est rationi conformis. Hæc enim propositio cum aliis veritatibus jam cognitis connectitur. Ratio novit, *Deum esse sanctissimum*. Scit præterea *ens sanctissimum omnia odisse mala*. Ergo concludit: *Deus aversatur mala*. Vides nexum postremæ positionis cum præcedentibus. Si vero dixeris: *Anima est mortalis*: tum hæc propositio contradicit aliis propositionibus veris, ex ratione jamdum cognitis. Annon ex rationis lumine constat, *animam esse ens simplex*? Annon, duce ac magistra ratione, novimus *ens simplex esse indestructibile*? Ergo *animam indestructibilem esse*, inde concludimus. Propositio itaque hæc, *anima est mortalis, sive destructibilis*, cum contradicat propositionibus antecedentibus, mirum non est, eam esse rationi difformem, & contrariam.

§. 577. A ratione pendet *soliditas*, per quam nihil aliud intelligimus, quam facilitatem, plura ratiocinia ita concatenandi, ut subsequentia semper intelligantur ex antecedentibus, donec ad principia indubitata perventum fuerit.

§. 578. *Ratio quatenus est ratio, non in errores nos adducit, neque quispiam errare potest, quamdiu rationem ducem sequitur.*

Demonstr. Cum enim per rationem veritatum nexum distincte perspicimus (§. 572.) consequens est, ut ratio, quatenus est ratio unice in veri inquisitione, & indagatione occupetur. Atque adeo, rationem falso pro errorum genitrice haberi, patet. Dum porro, qui rationem ducem sequitur, veritatum universalium nexum distincte perspicit (§. 572.) sequitur, ut, quamdiu quis rationem sequitur ducem, tamdiu a vero aberrare non possit.

SCHOL. Equidem facile prævideo, fore, qui hanc positionem falsam, ipsique experientiæ contrariam existiment. At si, qui sunt, ut sunt, qui rationi tot tantosque tribuunt errores, eamque pedi-

bus

bus proculcandam credunt, næ ii, quid ſit ratio, juxta cum ignariſſimis ignorant. Id enim, quod præjudicatis opinionibus, ratiocinationibuſque illegitime conceptis, vitioſis item affectibus tribuendum erat, id, inquam, imputant rationi. Sed, inquis, ipſa ſcriptura ſacra, cum eaque Theologi, rationem in malo ſenſu uſurpant. Conf. Epheſ. II. 3. Col. I, 21. 2. Cor. X., 5. At in locis citatis non exſtat vox λόγο, rationem ſignificans, ſed vox διανοια, aut λογισμό, &c. Διάνοια autem non ſignificat rationem, ſed tantum *beneplacitum* & λογισμός non indicat rationem, ſed ratiocinationem, quæ ſœpius ex falſis præjudiciis ortum trahit. E contrario in bono ſenſu, & ut nos eam ſumimus, vox ratio occurrit Rom. XII, 1. 1. Petr. II. 2.

§. 579. Fit interdum, ut, quando olim certas obſervavimus circumſtantias, cum iiſque certos eventus connexos, nos, iiſdem circumſtantiis recurrentibus, eoſdem rurſus expectemus eventus. Id quod dicunt philoſophi, *expectationem caſuum ſimilium*.

EXEMPL. E. gr. Cum jam olim obſervavi, Titium, cum opes ſuas luxuriando concoqueret, ad incitas redactum eſſe, nunc, iiſdem circumſtantiis, & cauſſis in Cajo recurrentibus, Cajum itidem in ſummam prolapſurum eſſe mendicitatem, concludo. Hic expecto caſus ſimiles. Hæc expectatio caſuum ſimilium non in hominibus modo, ſed in brutis quoque reperitur.

§. 580. Ad expectationem caſuum ſimilium requiritur, (α) ut præſentes quaſdam circumſtantias obſervem, id quod *ſenſibus* perficitur (β). Tum opus eſt, ut, occaſione præſentium circumſtantiarum, ſimiles præteritas reproducat *imaginatio*. (γ) Denique caſus ſimiles dum exſpectamus, *memoria* agnoſcit, eaſdem nunc eſſe circumſtantias, quæ jam olim adfuerunt.

§. 581. Quia itaque exſpectatio caſuum ſimilium

lium

lium fit per ſenſus, phantaſiam, & memoriam, (§. 580.) conſequens eſt, ut expectatio caſuum ſimilium ſine rationis operatione exſerere ſe poſſit.

NOT. Conf. hic mea diſſertatio de *fallaci expectatione casuum ſimilium in praxi morali*, *Vitembergæ* 1733. habita.

§. 582. Quia tamen expectatio caſuum ſimilium in ſenſibus, imaginatione, ac memoria fundata, (§. 580.) hanc cum ratione habet ſimilitudinem, ut eſſectus, ex præſentibus circumſtantiis ſecuturus, confuſe licet, prævideatur, (580.) id omne autem, quod cum ratione ſimilitudinem habet, dicitur *analogum rationis*, intelligitur, *analogum rationis*, quod in brutis reperitur, conſtitui in expectatione caſuum ſimilium.

NOT. Plura de analogo rationis quatenus in brutis locum habet, agentur infra in Capite de animabus brutorum.

CAPUT IV.

De Voluptate, & Tædio.

§. 583.

QUandoquidem, experientia magiſtra, quilibet novit, animam noſtram, & facultate, obvia quæque, atque univerſalia cognoſcendi, & ea, quæ tanquam bona, cognovimus, appetendi, malave averſandi, præditam eſſe; non autem id omne, quod ad facilitatem cognoſcendi, ſpectat, hactenus expoſuimus, proximum eſt ut de appetendi, averſandique facultate quædam nunc adferamus.

NOTA. Cum vero omni *appetitus averſationiſque* notione idea *voluptatis* ac *tædii* contineatur, id nunc agemus, ut, quid ſit voluptas tædiumque, diſtincte, enodemus,

584.

§. 584. Cum ad nos attendimus, observamus, toties, quoties, vel in nobis, vel in alia quacunque re extra nos, perfectiones contuemur, in nobis oriri *voluptatem*.

SCHOL. Ecquis nescit, nos insigni perfundi voluptate, cum quis nobis centum, aut plures thaleros dono dederit? Ejusmodi enim donum, tanquam perfectionem, i. e. tanquam tale quid, quale cum fine nostro est conveniens, nobis repræsentamus. Ita quoque in nobis oritur voluptas, si quotidie in liberalium artium studiis incrementa, & auctus senserimus. Incrementa enim studiorum, tanquam perfectiones, consideramus.

§. 585. *Voluptatem* itaque in genere (voluptatum) definimus per sensum, sive cognitionem intuitivam perfectionis.

NOT. Est hæc definitio ejusmodi, ut ortum, genesin, & caussas voluptatis exponat. Atque adeo inter definitiones geneticas, sive reales est referenda. Omne autem id, quod contra ipsam moveri poterit, confutatur oppido, si modo inter definitionem nominalem, & realem distinguere norir.

Ex definitione suppeditata sequentia fluunt Axiomata,

I. Quo major est perfectio, quam quis animo contemplatur, eo major, & insignior est voluptas,

II. Hoc major est voluptas, quo majorem perfectionis habemus certitudinem.

III. Hoc insignior est voluptas, quo vividius perfectiones nobis repræsentamus.

IV. Quamdiu nobis perfectionem rei alicujus repræsentamus, tamdiu durat voluptas: Cessante vero perfectionis repræsentatione, cessat, & evanescit voluptas.

V. Perfectio si est vera, i. e. talis, ut nunquam in majorem degeneret imperfectionem; tum volu-

luptas quoque est vera; si vero perfectio est apparens, tum voluptas quoque est apparens.

EXEMPL. E. gr. Qui veritatis ducitur cognitione, is in ea veras reperit perfectiones. Adeoque voluptas, veritatum utilissimarum cognitione nixa, est vera. Qui vero in ebrietate putat inesse perfectiones, majores vero, & plures imperfectiones postea observat, is voluptatem capit quidem ex ebrietate, sed apparentem illam.

§. 586. *Si perfectio fuerit vera, eandemque quis ita sibi repræsentat, ut, eam non imperfectionem, sed perfectionem esse, certo sciat, tum voluptas, ex certa vera perfectionis cognitione oriunda, est durabilis.*

Demonstr. Si enim perfectio fuerit vera, tum nunquam degenerat in imperfectionem (§. 585.), adeoque, cum caussa voluptatis perpetua, & durabilis sit, ipsa voluptas durabilis sit, necesse est.

Si illam perfectionem veram ita nobis repræsentavimus, ut *certo* sciamus, esse perfectionem, tum fieri non potest, ut illam ullo tempore pro imperfectione habeamus, (§. 348.) Dum itaque cognitio perfectionis hoc modo est, & manet perpetua, consequens est, ut voluptas quoque, hoc ex fonte profluens, sit durabilis.

§. 587. Voluptas itaque vera supponit (α) perfectionem veram. (β) Certam, & indubiam perfectionis veræ cognitionem.

§. 588. Voluptas itaque appatens, quæ nititur perfectione apparenti, est cito transitura minusque durabilis, & degenerat in majus tædium.

§. 589. Voluptati opponitur *tædium*, quod, contraria ratione definitum, nihil est aliud, quam sensus, sive cognitio intuitiva imperfectionis.

SCHOL. Tædium, cave, ponas in sola absentia voluptatis. Est enim omne tædium ejusmodi, ut positivi quid, & reale involvat. Ipsa autem tædii notio, hic evoluta, est ita comparata, ut ad omnes tædii species possit applicari, experientiæque

sit

sit quam maxime conformis. Sic exempl. gr. cum non modo nullos in studiis progressus sentis, sed quoque omnia in pejus prolabi, animadvertis, tum tædio afficeris. Sentis enim, & cognoscis tuas imperfectiones.

§. 590. Quemadmodum voluptas crescit, & augetur, cum (α) *plures* nobis perfectiones repræsentamus, (β) cum vivide, distincte, & certo perfectiones cognoscimus, (§. 585.) ita, e contraria parte, tædium majus fit, quo (1) *plures* imperfectiones cognoscimus, (2) quo *vividius*, & *certius* illas imperfectiones cognoscimus.

§. 591. Tædium, & voluptas, est vel *verum*, vel *apparens*. Illud nititur imperfectione vera, & est durabile, hoc imperfectione apparenti, & transire cito, repenteque evanescere potest.

§. 592. *Prædominator* in mente nostra voluptas, si repræsentatio perfectionum fortior est repræsentatione imperfectionum, quæ simul concurrunt. *Prædominatur* vero tædium, si repræsentationes imperfectionum fortiores sunt repræsentationibus perfectionum, easdemque obfuscant.

SCHOL. Si e. g. ob injuriam aliquam levidensem, qua te affecit Cajus, tædio fueris affectus, sed eodem fere tempore, quo injuriam pateris, præter opinionem literas centum thaleris repletas, ab amico acceperis, tum hoc donum, quod mittit amicus, tam erit efficax, ut omne tædium, ex injuria tibi illata haustum, oppido depellat. In hoc casu prædominatur voluptas.

§. 593. Cum anima in ejusmodi statu fuerit constituta, ut nec tædio, nec voluptate aliqua afficiatur, tum ejusmodi status appellatur *status indifferentiæ*.

SCHOL. E. gr. Si quis, in tabernam librariam ingressus, librum, antea sibi ignotum, aspexerit, tum, nec voluptate nec tædio, librum contemplatus, afficitur.

§. 594. Tædii species est *dolor*, quem *genetica*

VVol-

VVolfius definit per solutionem continui, in corpore. Conf. ejus *Psycholog. Empirica* §. 539.

SCHOL. Probe autem memini, ab adversariis VVolfii contra hanc definitionem monitum esse, non omnem continui solutionem esse dolorem. Quare completam doloris notionem formari ita posse existimamus, si ita dolorem definiverimus: *Dolor* est sensus, ex solutione continui nervosi in corpore nostro ortus.

§. 595. Quicquid igitur de tædio dictum est, id dici quoque debere, putato, de dolore.

§. 596. *Bonum* est, quod nobis nostroque statui perfectionem conciliat, sive, quod idem est, quod fini nostro est conveniens. *Malum* vero dicitur, quod nos nostrumque statum imperfectiorem reddit, sive, quod cum fine nostro non consentit.

§. 597. Cum idea *boni* contineat ideam *perfectionis*, idea *mali* ideam *imperfectionis*, (§. 596.) perfectio autem æque ac imperfectio sit, vel vera, vel apparens, (§. 201.) consequens est, ut bonum, & malum sit, vel verum, vel apparens.

§. 598. Uti itaque cognitio, sive repræsentatio, perfectionis voluptatem in mente excitat. (§. 585.) & cognitio imperfectionis tædium, (§. 589.) ita quoque repræsentationem *boni* gignere voluptatem, & cognitionem *mali* tædium, patet. Sicut igitur bonum, vel verum, vel apparens est, (§. 597.) ita quoque voluptas, & tædium, inde ortum, vel verum est vel apparens.

599. Perfectiones æque ac imperfectiones suis gaudent gradibus. (§. 193.) adeoque bona, & mala etiam sunt gradu diversa. *Bonum minus* est malum in comparatione ad bonum majus: & *malum minus* est bonum, relatum ad malum majus.

§. 600. Repræsentationes nostræ sunt, vel individuales, sive rerum existentium, (§. 99. Log.) vel abstractæ, sive generum, & specierum (§. 100. 110. Log.) Illæ formantur ope sensuum (§. 550.) hæ ope intellectus. (§. 358.) E. etiam bonum malum-

lumve, vel ope ſenſuum, & confuſe, vel ope intellectus, & diſtincte, nos nobis repræſentamus. Voluptas, ex boni repræſentationibus, ope ſenſuum factis, orta, dicitur *ſenſualis*. Voluptas vero, ex repræſentationibus boni diſtinctis, ope intellectus factis, dicitur *mentalis*. Quod idem valet de tædio.

NOT. Explicatis nunc voluptatis tædiique notionibus, facillime intelligetur, in quo conſtet appetitus ſenſationiſque natura.

CAPUT V.

De appetitu, & averſione.

§. 601.

CUM nobis bonum aliquod repræſentamus, tum, voluptate in mente coorta, oppido in nobis ſentimus niſum, conatum, & inclinationem verſus bonum illud a nobis perceptum, & cognitum. Cum e contrario aliquid, tanquam malum, nobis repræſentamus, tum in mente tædio ante exorto, obſervamus conatum aliquem, & niſum, malum illud cognitum depellendi, & miram quandam ab eo reclinationem.

EXEMPL. Si e. gr. Cajo hectico duo obtuleris pulveres, alterumque dixeris hecticæ ſanandæ eſſe perquam accommodatum, alterum vero, tamquam venenum peſtilentiſſimum, corporis vires deſtruere, tum Cajus, convaleſcere cupiens, oppido in ſe ſentiet niſum, & conatum ad pulverem hecticum obtinendum, eoque fruendum. Contra pulvere venenato, quem ſibi perniciofiſſimum ſiſtet, reclinationem in ſe animadvertet.

§. 602. Hæc animæ *inclinatio* verſus bonum cognitum dicitur *Appetitus*: ipſa autem potentia animæ, verſus bonum cognitum inclinationem haben-

bendi, appellatur *facultas appetendi*, sive *voluntas*.

SCHOL. Appetitus, qui pro actu sumtus, a nonnullis quoque dicitur *appetitio*, *appetentia*, *volitio* dum per *inclinationem* definitur, poterat, quem offendere vox metaphorica *inclinationis*, ex definitionibus proscribenda. (§. 169. Log.) Quare *inclinationem*, scias, de anima cum adhibetur, nihil esse aliud, quam conatum animæ, sensationem aliquam producendi.

SCHOL. Vox *voluntas*, qua indicamus generatim omnem appetendi facultatem, a VVolfio quidem aliisque usurpatur tantum de appetitu rationali. At cum ita usu receptum sit; ut plerumqne per voluntatem generatim omnis appetendi facultas significetur; eum quidem significatum hic retinere voluimus.

§. 603. Reclinatio animæ a malo cognito dicitur *aversatio*, sive *nolitio* in genere.

SCHOL. Reclinationem autem ita hic sumimus, ut per eam nihil aliud velimus intelligi, quam conatum animæ sensationem aliquam impediendi, quo minus producatur.

§. 604. *Cum omni appetitu est voluptas conjuncta, & cum omni aversatione tædium.*

Demonstr. Dum omnis appetitus fertur in bonum cognitum, (§. 602.) consequens est, ut omnis appetitus secum habeat conjunctam repræsentationem boni. Quia vero, posita boni repræsentatione, ponitur voluptas (§. 586.) manifestum est, cum omni appetitu esse voluptatem conjunctam.

Porro cum aversatio sit reclinatio a malo cognito (§. 603.) sequitur, ut omnis aversatio involvat repræsentationem mali. Posita vero repræsentatione mali, ponitur tædium. (§. 589.) E. cum omni aversatione tædium esse conjunctum, patet.

§. 605. Uti itaque voluptas, & tædium gradibus

bus suis gaudent. (§. 585.) ita quoque appetitus & aversatio gradus certos admittant, necesse est. Quo *plura* scilicet bona, & quo vividius illa plura tibi repræsentaveris; hoc vehementior, & fortior fit appetitus. Quod idem, contraria ratione, valet de aversatione.

§. 606. *Nihil appetere possumus, nisi nobis, tanquam bonum aliquod, repræsentaverimus, & nihil aversari possumus, nisi id, tanquam malum, nobis repræsentaverimus.*

Demonstr. Hæc propositio experientia fundata & ipsa definitione appetitus aversationisque nixa, poterat sine demonstratione assumi; at ipsam tamen, ex principio rationis sufficientis ita demonstrari, & corroborari posse, existimamus. Quoties quid agimus, vel omittimus, toties, cur hoc agamus, nec potius aliud, cur ita agamus, nec aliter, debet adesse ratio sufficiens, (§. 32.) E. quoties quod appetimus, vel aversamur, toties debet adesse ratio sufficiens, quæ nos ad appetendum, aversandumque determinet, quæque adeo efficiat, ut *hoc* præcise, nec aliud appetamus, ut *sic*, nec aliter. Ratio illa aut deprehenditur in intellectu, (sumo hanc vocem hic latius pro quacunque repræsentandi facultate) aut in voluntate. Si fuerit illa in voluntate, tum, interrogatus, cur velis hoc, nec aliud, aut respondebis: *quia possum velle*, aut dices: *volo, quia volo*. Si illud, ab indeterminato sequetur determinatum, & a posse concluditur ad esse, (quod est contra §. 54. 146.) sin hoc, ridicule, ut dixi, respondebis: *volo quia volo*. Ratio itaque, cur hoc, illudve, hic & nunc, appetamus, vel aversamur, erit in repræsentationibus intellectus. Appetitus scilicet ratio latet sufficiens in repræsentationibus *boni*; aversationis vero ratio in repræsentationibus *mali* (§. 603.)) Nihil itaque appetere possumus, nisi id nobis, tanquam bonum, repræsentaverimus, & nihil aversamur,

mur, nisi id, tanquam malum, nobis repræsentaverimus.

§. 607. Intelligitur nunc regula, quam anima in appetendo aversandoque sequitur. Hæc sequenti continetur propositione. *Nihil appetimus, nisi sub ratione boni, & nihil aversamur, nisi sub ratione mali.* Hanc positionem vocant *legem appetitus*.

§. 608. *Motiva* vocamus repræsentationes boni, voluntatem ad appetendum determinantes, vel repræsentationes mali, voluntatem ad aversandum commoventes. Illas repræsentationes vocant *motiva volendi*, has *motiva nolendi*.

EXEMPL. Cum e. gr. hecticus pulverem oblatum appetit, tum motivum est repræsentatio sanitatis, per ejusmodi pulverem recuperandæ.

§. 609. Apparet hinc, nos, dum sine repræsentatione boni nihil appetere, & absque mali repræsentatione aversari nihil possumus, (§. 606.) nos, inquam, sine motivis nec velle, nec nolle quicquam posse.

§. 610. Cum bonum nobis repræsentamus, aut, ope sensuum imaginationisque, confuse illud nobis sistimus, aut, ope intellectus, & rationis, distincte. (§. 497. 508. 549.) Appetitum itaque & aversationem, repræsentationibus boni ac mali fundatam, (§. 606.) vel ex repræsentationibus boni, & mali sensualibus, & confusis, vel ex distinctis, & ope intellectus formatis, ortum suum trahere, manifestum est.

§. 611. Appetitus ille, qui ex repræsentationibus sensuum confusis oritur, appellatur *sensitivus*: qui autem ex distinctis, & ope intellectus formatis repræsentationibus suam ducit originem, vocatur *rationalis*. Atque eodem modo, mutatis mutandis, aversationem distinguimus.

EXEMPL. Cum e. gr. quis, febri æstuque jactatus, vinum, quod videt vehementius appetit, tum hunc

hunc appetitum vocamus sensitivum, propterea quod ægrotus vinum sibi, ope sensuum bonum & dulce repræsentat.

§. 612. *Qui appetitum sensitivum in agendo sequuntur, id demum appetunt, quod sensus suavius afficit, aversanturque id, quod iisdem molestiam, & tædium creat.*

Demonstr. Cum enim appetitus sensitivus nitatur repræsentationibus boni, ope sensuum factis, (§. 611.) & aversatio repræsentationibus mali sensualibus; ii autem, qui sensuales sequuntur repræsensentationes, ea tantum, quæ coram sunt, & ante pedes, contueantur, (§. 497.) adeoque bonum præsenti delectatione sensuum, & malum præsenti sensuum tædio metiantur, de futuris nihil soliciti, mirum non est, eos, qui appetitum sensitivum in agendo sequuntur, id demum appetere, quod sensus suavius afficit; id omne contra aversari, quod iisdem tædium creat.

§. 613. Ut omnis omnino appetitus, aversatioque suis gaudet gradibus, (§. 605.) ita appetitus quoque sensitivus, & sensitiva aversatio gradu distinguatur, necesse est.

§. 614. Appetitus scilicet sensitivus fit vehementior, & mirum quantum crescit, si *plura* bona simul nobis confuse repræsentaverimus, si item, sensuum imaginationisque adminiculo, plura illa bona vividissime, & clarissime, nobis sistimus.

§. 615. *Hinc perspicuum est, hoc vehementiorem esse appetitum, quo plus voluptatis sensus demulcet.*

Demonstr. Cum enim hoc vehementior fiat appetitus sensitivus, quo plura bona, aut quo majus bonum, sensus nobis sistunt, (§. 614.) id autem, judicio sensuum stantes, pro maximo bono habemus, quod sensus maxime delectat, (596.) mirum non est, hoc fieri appetitum sensitivum vehementiorem, quo major, & intensior est voluptas, qua sensus afficiuntur.

§. 616. *Appetitus sensitivus in id quoque vehementius fertur, quod crebrius cum voluptate aliqua jam sensimus.*

Demonstr. Cum enim appetitus sensitivus hoc vehementior sit, quo vividius, & clarius imaginatio rem aliquam, tanquam bonam, sibi sistit, (§. 614.) imaginatio autem tum demum rem aliquam sibi vividissime repræsentare soleat, si eam antea crebrius cum voluptate aliqua sensimus, (§. 511.) palam est, appetitum sensitivum in id majori cum impetu ferri, quod crebrius cum aliqua voluptate antea sensimus.

EXEMPL. Si e. gr. Cajus voluptatem, ex Veneris, & Bacchi servitio, crebrius senserit, tum ipsum comperis, maximo impetu in has delicias postea ferri, usque adeo, ut cupiditatum vi vix ac ne vix quidem amplius obsistere queat.

§. 617. Quæ de appetitus sensitivi gradibus determinandis attulimus, ejusmodi sunt, ut, habita oppositi ratione, facillimo negotio ad aversationem sensitivam possint transferri.

§. 618. Appetitum sensitivum, vel aversationem sensitivam vehementiorem, cum extraordinaria sanguinis, & fluidi nervei commotione in corpore conjunctam, dicimus *affectum*.

NOT. Doctrinam itaque de affectibus hic commodissime explicabimus. Percensebimus itaque omnes, quos nosse datum est, affectus, eorumdemque originem, & effecta rimabimus.

CAPUT VI.

De affectibus.

§. 619.

Affectus cum sint appetitus, vel aversationes vehementiores, (§. 618.) manifestum est, affectus eodem modo, quo generantur appetitus sensitivi

ſitivi, vel averſationis ſenſitivæ gradus, generari. Atque adeo ad affectum producendum requiritur, vel (1) ut multa bona, & mala ſimul nobis repræſentemus, vel (2) ut bona malaque nobis, ope ſenſuum imaginationiſque, *vividiſſime* repræſentemus. (§. 614.)

§. 620. *Conficitur ex dictis, nullum locum habere poſſe affectum, qui neque in tædio, neque in voluptate conſiſtat.*

Demonſtr. Cum enim omnis affectus ſit, vel appetitus, vel averſatio ſenſitiva vehementior, (§. 618.) nullus appetitus poſſit eſſe ſine voluptate, & nulla averſatio ſine tædio, (§. 604.) liquet, nullum affectum poſſe habere locum, qui neque in tædio, neque in voluptate conſiſtat.

§. 621. Abſit autem, ut quamlibet voluptatem, & quodvis tædium pro affectuum ſpeciebus habeamus. Ad affectum requiritur vehementior voluptas, & tædium, atque item extraordinaria ſanguinis ac fluidi nervei in corpore commotio. (§. 618.)

§. 622. Sponte hinc enaſcitur diviſio affectuum in *gratos* & *ingratos*. Cum ſcilicet omnis affectus, vel voluptatem, vel tædium ſecum habeat conjunctum, (§. 620.) omnis affectus, vel gratus erit vel ingratus.

NOT. Addunt nonnulli affectus *mixtos*, in quibus voluptas ac tædium alternant. Huc referunt affectum *amoris*, qui quidem multum habet in ſe jucunditatis, ſed plurimum ſimul tædii.

§. 623. Nonnulli affectus ſunt ejuſmodi, ut ab iis, tanquam a ſtirpe, cæteri affectus tanquam ſurculi, progerminent. Hos dicunt *originarios*. Cum vero gaudium, & triſtitia ejus ſint indolis, ut ab his quidem duobus affectibus omnes cæteri promanent, gaudium, & triſtitiam pro affectibus *originariis* recte haberi; patet; Cæteros ab his deſcendentes affectus appellamus *derivativos*.

§. 624. *Gaudium* est prædominium voluptatis sive est voluptas insignior.

EXEMPL. Cum e. gr. Cajo, spartam per multos annos frustra ambienti, & anhelanti, præter omnem spem & expectationem, vocatio transmittitur, & quidem ad munus lautissimum, tum in Cajo major, & insignior voluptatis gradus orietur, sive, quod idem est, Cajus gaudebit.

§. 625. Dum, voluptatem tum *prædominari*, diximus, quando tædium, si quod adfuerit, plane non sentimus, (§. 592.) intelligitur, characterem gaudii præcipuum esse hunc, si tanta voluptate perfundimur, ut tædii, quod eo tempore adest, prorsus obliviscamur.

§. 626. *Nullum gaudium potest in nobis exoriri, nisi vel plura bona simul, vel magnum aliquod, & insigne bonum confuse nobis repræsentemus.*

Demonstr. Cum enim omnis voluptas nitatur repræsentatione boni, (§. 585.) & magnitudini bonorum repræsentatorum respondeat magnitudo voluptatis, (586.) palam, est in statu voluptatis insignioris, aut plura bona simul, aut magnum quoddam, & insigne bonum vividissime nobis repræsentari debere. Voluptas insignis dicitur *gaudium*. E. nullum gaudium potest in nobis exoriri, nisi vel plura bona simul, vel magnum aliquod & insigne bonum confuse nobis rapræsentemus,

§. 627. A gaudio differre quodam modo, putant nonnulli *lætitiam*, quam definiunt per gaudium ob malum finitum.

EXEMPL. E. gr. cum, ex morbo recreati, convaluimus, tum gaudium nostrum, ob morbum sublatum, prodituri, dicimus: *gaudeo, quod modo convaluerim.*

§. 628. Omnes affectus cum extraordinaria sanguinis, & fluidi nervei commotione in corpore nostro connexos esse, & ipsa docet experientia; & ex (§. 618.) jam patet. Hinc, quæ quisque affectuum in corpore nostro efficiat, paucis dispiciemus.

§. 629.

§. 629. In gaudii affectu hi reperiuntur plerumque in corpore effectus (α). Concitatior sanguinis circulus, (β) risus, (γ) complosio manuum, (δ) exultatio, (ε) oculi vividi, & igne micantes.

§. 630. Gaudio opponitur *tristitia*, quæ est insignior gradus tædii, sive est prædominium tædii.

§. 631. *Prædominatur tædium*, cum voluptatem, si qua adfuerit, eo tempore, quo afficimur tædio, prorsus non sentimus, (§. 592.) E. character tristitiæ præcipuus est, si voluptatis prorsus obliviscimur, si qua adfuerit.

§. 632. Tristitiam oriri ex confusa & simultanea multorum, & magnorum malorum repræsentatione, ex §. 590. 630. colligi potest.

§. 633. Effectus, qui in corpore tristitiam comitantur, plerumque sequentes sunt. (1) Lacrymæ, & fletus. (2) oculi languidi, & humum intuentes, (3) pallida facies, (4) tremor in toto corpore, & omnibus membris, (5) querimoniæ, (6) solitudinis amor.

§. 634. *Amor* est gaudium, ex alicujus personæ felicitate ortum.

SCHOL. Amor vel ut affectus consideratur, atque eatenus a nobis definitur; vel ut animæ inclinatio, & pronitas ad hunc affectum, atque hoc sensu amorem VVolfius in Psychologia Empirica §. 633. dicit *dispositionem* animæ ad percipiendam voluptatem ex alterius felicitate.

§. 635. Ex definitione suppeditata plures fluunt positiones, quas sigillatim adducemus, maxime cum ejusmodi eas esse reperiamus, & ad interiorem veri amori indolem perspiciendam, & ad recte intelligendas theses nonnullas, in morum philosophia obvias, permultum faciant.

§. 636. *Amor erga alium tum demum oritur, si in ipso quicquam, quod bonum nobis videtur, quodque nobis placet, animadvertimus.*

Demonstr. Cum enim amor sit gaudium, (§. 634.) gaudium autem esse non possit, nisi insignior adsit voluptas, §. 624.) voluptas vero tum demum oriatur, si boni quid, & quod nobis placet, nobis repræsentamus, (§. 585.) lucide appareт, amorem erga alterum oriri tum, cum in ipso observamus, quod nobis bonum videtur, nobisque placet.

Hinc VVolfius in Psychologia empirica §. 633. *amorem* definit generice per affectum, qui oritur ex eo, quod quid in altero observamus, quod nobis placet, si quid in altero nobis repræsentamus, tanquam bonum, præsertim respectu nostri.

§. 637. Ex his fluunt intelligique possunt positiones sequentes.

I. Hoc quisque vehementius amat alterum, quo majus alterius felicitate delectatur.

II. Quo plura quis bona in altero observat, eo majora capit incrementa amor.

III. Qui alterum amat, non potest non tædio affici, cum, alteri ægre fieri, videt.

IV. Qui alterum amat, id omne appetit, quod ad alterius felicitatem promovendam pertinet; idque omne impedire, & depellere nititur, quod ad alterius infelicitatem tædiumque procreandum facit.

§. 638. His amoris signis accurate cognitis, perfacile nunc erit ad intelligendum, quod sit *odium*. *Odium*, contraria ratione definitum, nihil est aliud, quam gaudium ob alicujus personæ infelicitatem, &, *odisse* alios, nihil est aliud, quam aliorum delectari infelicitate.

SCHOL. VVolfius, odium, ut dispositionem, & animæ inclinationem ad actualem hunc affectum considerans, illud dicit dispositionem animæ ad voluptatem percipiendam ex alterius infelicitate: Pshychol. Empic. §. 661.

§ 639.

§. 639. Qui novit amoris signa, §. 637. a nobis recensita, eum nunc latere non possunt odii criteria.

I. Qui alterum odit, alterius infelicitatem, tanquam boni quid, considerat, quia ex ea capit voluptatem. (§. 585)

II. Qui alterum odit, non potest non tædio affici, cum alterum, quem odit, res suas secundo vitæ sine ulla offensione cursu, feliciter agere, videt.

III. Unde non mirum, omnes eos, qui alios odio habent, horum, quos oderunt, felicitatem destructam velle, infelicitatem contra omnibus viribus promovere.

§. 640. Cum amoris, tum odii, sunt effecta nonnulla, quæ corpus juxta ac animum mire agitant, & turbant. Amorem comitantur plerumque commotio spirituum, quos vocant, animalium perturbatio, rubor in facie, oculi micantes, insatiabile desiderium se uniendi cum persona amata, lacrymæ porro, &, ut ait Terentius, suspiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rursum. *Eun. Act. I. Scen. I. v.* 14. Odium vero comites habet oculos torvos, & truces, colorem pallidum, iras, & rixas, vindictæ item cupiditatem, &c.

§. 641. Cum ob alterius infelicitatem contristamur, dicimur *commiserari*. Ut adeo *commiseratio* nihil aliud sit, quam tædium vehemens ob alterius infelicitatem.

SCHOL. Talis commiseratio reperiebatur in Christo, cum, funesto Hierosolymitanorum exitio perspecto, insigniori afficeretur tristitia ob infelicitatem ipsorum, mox insecuturam.

§. 642. *Qui alterum amat, non potest non ejusdem quoque, quem amat, vices miserari.*

Demonstr. Cum enim, qui alterum amat, non possit non tædio affici, cum alteri, quem amat, ægre fieri videt, (§. 637. n. III.) is autem, qui ob infelicitatem alterius tædio afficitur, dicatur

alterius *commiserari*, (§. 641.) perspicuum est, eum, qui alterum amat, non posse non alterius quoque vices miserari.

SCHOL. Unde commiserationem nonnulli recte vocant, *filiam amoris*, qui quo major est, eo major quoque est commiseratio. Sublato vero, & extincto amore, mirum non est, omnem quoque cessare commiserationem.

§. 643. Commiserationi opponitur *invidia*, quæ est tædium ob felicitatem alterius.

EXEMPL. Cum e. gr. Cajus videt, Titium in lauta, & bene aucta parte constitutum, crescere in dies opibus, cum, eidem, observat, omnia fluere ad votum, majoresque, vel fortunæ, vel dignitatis, fieri accessiones, tum Cajus, si tristitia ideo afficitur, Titio suam *invidere* felicitatem dicitur.

§. 644. *Quemadmodum, commiserationem amoris esse filiam, §. 542. demonstravimus, ita, invidiam odii esse filiam, recte affirmamus.*

Demonstr. Cum enim, qui alterum odit, non possit non tædio affici, cum ei, quem odit, prospere omnia cedere videt, (§. 639. n. II.) illud autem tædium, quod ex alterius felicitatis sensu cooritur, nominetur *invidia*. (§. 643) sequitur, ut, invidiam odii esse filiam recte affirmemus.

§. 645. Ex his non difficulter intelligi potest.

I. Quod omnis invidus alterius, cui invidet, felicitatem, tanquam mali quid, sibi repræsentet; quia omne tædium oritur ex repræsentatione mali (§. 589.).

II. Quod invidus ejus, cui invidet, felicitatem aversetur, atque adeo destruere allaboret, quia id omne, quod nobis, tanquam malum, repræsentamus, non possumus non aversari. (§. 603.)

§. 646. Quos habet tristitia, eosdem plerumque comites habere solet commiseratio. Præsertim vero comperimus, eam a lacrymis rarius, a studio vero juvandi, nunquam sejungi. Invidia vero, quan-

quantum faciei pallorem, quantam universo corpori maciem, tanta animo tormenta cruciatusque conciliat.

§. 647. Gaudium istud, quod percipimus, cum boni quid commisisse opinamur, dicitur *acquiescentia in seipso*.

EXEMPL. Si e. gr. Sempronius, conscensa cathedra, ingenii experimentum edidit, atque id ita quidem, ut omnibus, & egregias animi dotes, & eruditionem exquisitam, & miram denique facundiam approbarit; tum Sempronius iis, quæ bene a se, excellenterque facta sunt, gavisus, dicitur *in se ipso acquiescere*.

§. 648. Hic affectus quamvis sit unus omnium maxime jucundus, mirificeque animum ad præclara facinora identidem exsuscitet, fieri tamen potest, ut idem, in vitiosam degenerans φιλαυτίαν, multum afferat detrimenti.

§. 649. Opponitur acquiescentiæ in seipso *pœnitentia*, quam definimus per tædium ob malum, quod patravimus.

SCHOL. Si Mævius, qui in Academia liberius vixit, domum reversus, male se tempus collocasse, animadvertit, si ob crassam mentis ignorantiam, contemni se se ab omnibus, & a spe etiam, potiundi munere, exclusum videt, tum pœnitentia vitæ anteactæ tangitur, i. e. tædio afficitur, quod per opportunam solidi quid discendi occasionem temere dimiserit, quod pecuniam item, valetudinemque profuderit. Quæ omnia nunc, tanquam mala, a se patrata, considerat.

§. 650. Cum ab aliis de nostris recte, beneque factis benignius, honorificeque existimari sentimus, tum, gaudium in nobis oboriri observamus. Illud gaudium, ex opinione aliorum, benignoque de nostris bene factis judicio ortum, dicitur *Gloria*.

SCHOL. VVolfius in Psychologia Empirica §. 769, *gloriam generice* ita definit: *Gloria* est affectus, qui oritur, si ea, quæ fecimus, vel nostra sunt; ab

ab aliis bona existimari opinamur. Videri poterat hic affectus non multum ab *acquiescentia in semetipso* §. 647. explicata, differre. At, cum acquiescentia in se ipso sit gaudium, ob bonum, quod patravimus, quamvis id non referatur ad opinionem aliorum; gloria vero sit gaudium ob bonum, quod patravimus, & *quatenus id refertur ad opinionem judiciumque aliorum*. (§. 650.) vides, tantam esse inter hos duos affectus differentiam, quanta maxima esse potest.

§. 651. Gloriæ, quam merito stimulum ad optima quæque perpetranda dixerim, opponitur *pudor*, quem definimus per tædium, ortum ex sinistro, & malo Judicio aliorum de nobis, & factis nostris.

SCHOL. Fac, novellum Magistrum, qui temeritatis, quam doctrinæ, plus in cathedram affert, ab opponentibus in angustias redactum, stare, ceu Marpesiam cautem, nihilque quod respondeat, habere, ad hoc a circumstantibus auditoribus exsibilari, tum tædio magnaque tristitia bonus hic homuncio afficietur, ideque ideo, quod a se commissum quid videt, quod famam suam existimationemque quam maxime lædit. Atque id ipsum est, quod nomine *pudoris* insignimus.

§. 652. Ex notione pudoris distincta concipi nunc possunt subsequentes positiones.

I. Quo quis majori gloriæ studio ducitur, hoc pronior est ad pudorem.

II. Nullius rei nos pudet, nisi ejus, quam famæ, & existimationi nostræ officere opinamur.

III. Hinc, cum nonnullos interdum videmus pudere earum rerum, quas minime ipsorum existimationi fraudi esse, in aprico est, e. gr. pusillæ staturæ, paupertatis, &c. colligi potest, perversum de honore conceptum perversum præposterumque gignere in ipsis pudorem.

Pu-

Pudorem produnt suffusus in facie rubor, aversus corporis status, &c.

NOT. Cæterum perlubenter fateor, nunquam me affectum pudoris in homine considerare, quin singularem quandam Dei contra malum providentiam inde cognoscam. Fac enim homines carere pudoris affectu. Annon ita carebunt freno quodam, & retinaculo malitiæ: Annon soluti præcipitesque ferentur in omnia mala? Hinc Poeta: *Hunc periisse, scias, cui pudor periit*. Quod quidem, tanquam in transcursu, monitum hic volo, ut intelligant lectores, quemadmodum omnes omnino affectus, ita pudorem quoque non forte casuve, sed aliquo numine divinoque prorsus consilio in mentibus humanis esse altissime impressum.

§. 653. Cum gaudio perfundimur ob bonum futurum, & a nobis demum obtinendum, tum dicimur *sperare*. Ipsum autem gaudium ob bonum futurum dicitur *spes*.

EXEMPL. E. gr. Titius, lecto mortis affixus, cum grave ancipitique conflictatur morbo. Advocatur medicus: Accedit. Hic periculi quid subesse negat, aureos montes pollicetur, sanitatemque, vi morbi infracta, propediem restitutum iri, affirmat. Tum Titius voluptatis sensu permulcetur, idque ideo, quod pristinam sanitatem, tanquam eximium bonum, sit obtenturus. *Sperat* hoc in casu Titius.

§. 654. Hinc efficitur, hoc eminentiorem esse spem, hocque majora eandem acquirere incrementa, (1) quo *plura* bona obtinenda sibi quis repræsentat; (2) *quo certius* ista bona futura obtinebuntur. Evanescit autem spes, si bonum, quod speramus, plane obtineri non posse, observamus.

§. 655. Spei gradum eminentiorem dicimus *fiduciam*. Cum vero tanto major spes esse soleat, tanto facilius quantoque certius judicamus, bonum a nobis obtineri posse, (§. 654.) intelligitur, *fidu-*

fiduciam quoque definiri posse per gaudium de bono *certo* obtinendo.

§. 656. Quoniam, quoties speramus, futurum bonum obtinere cupimus, (§. 653.) fit, ut mora, qua bonum obtinendum retardatur, nobis tædium procreet. Hoc ipsum tædium, ex mora boni obtinendi coortum, dicitur *desiderium*.

§. 657. Spei adversum tenet *metus*, quem definimus per tædium; malo futuro, seu imminenti perceptum.

EXEMPL. E. gr. Cum in ephemeridibus relatum legunt Saxones, Turcas in eo jam esse, ut in proxime abjectos irruant terras; tum magno afficiuntur tædio, futura sibi repræsentantes mala, & incommoda. Quo in casu dicuntur; *metuere Turcas*.

§. 658. Quo (1) *plura* mala instant, (2) quo *certius* ista adventura opinamur, eo major est metus: Si vero malum jam ita imminet, ut evitari amplius non possit, oritur inde vehementior tristitia. Quæ, intollerabilis tristitia ob malum imminens, prorsus inevitabile, constituit extremum gradum metus. Atque hic extremus metus gradus id ipsum est, quod vocamus alias *desperationem*.

EXEMPL. Finge, te, ingenti immanissimorum hostium multitudine circumcinctum, nullam amplius elabendi rimam animadvertere, tum desperabis vitam tuam. Vehementissima enim conturbaberis tristitia, ob vitæ disperditionem, quam nunc, tanquam malum intollerabile, & inevitabile tibi sistis.

VVolfius *desperationem* ita definit: Est affectus, qui oritur, si nobis malum repræsentamus, tanquam inevitabile, imprimis, ubi simul idem nobis repræsentamus, tanquam intollerabile. *Conf. Psychologia Emp.* 825.

§. 659. Fit interdum, ut, præter spem, & opinionem, quid occurrat nobis, quod malum nobis

sisti-

fistimus. Unde vehemens subinde oritur tædium. Vehementius hoc tædium ex improviso malo perceptum, dicitur *terror*.

SCHOL. Ponas Cajum, in museo libris assidentem, & meditantem, præter omnem opinionem, spectrum horribilis faciei, maximique corporis juxta se videre. Annon Cajus, spectrum hoc tanquam malum improvisum, sibi sistens, vehementissime conturbabitur? Annon summa afficietur tristitia? Quæ ipsa tristitia, ex malo minus separato, & improviso oriunda, *terrorem* constituit.

§. 660. Ubi terror animum ita concutit, ut hic, extra se raptus, sui sibi plane non amplius videatur esse conscius, tum insignior ille terroris gradus appellatur *pavor*.

§. 661. Usu venit nonnunquam, ut, cum bonum quoddam obtinendum speramus, id ita speremus, ut, quia reperire non possumus, num bonum speratum facile obtineri queat, multo cum metu adhuc colluctemur, spemque metus, metum rursus spes excipiat. Quæ spei metusque vicissitudo, *Fluctuatio*, vel *Vacillatio animi*, nominatur. Ubi vero difficultates plures, quæ bonum obtinendum circumstant, nobis repræsentamus, oritur inde *pusillanimitas*, cui opposita est *animositas*, orta ex præsentatione facilitatis boni obtinendi.

SCHOL. Sempronius, in gravem implicitus morbum, nunc in spem venit sanitatis recuperandæ, nunc æstu jactatus insolito, timet rursus sanitati ac vitæ suæ. En *fluctuationem animi!* Morbo in dies ingravescente, medicoque attonito adstante animam despondet, & abjecta fere spe ad mortem se præparat. En *pusillanimitatem!* Fac vero, novum accedere medicum, qui ingenio mali, morbique rite explorato, confidere animo jubeat, propterea quod ipse plures jamjam ejusdem indolis morbos feliciter sustulerit; tum animo collecto, paululum rursus lætatur. En *animositatem!*

§. 662. *Æmulationem*, sive *Zelotypiam*, definimus

per

per appetitum sensitivum, quo ferimur in aliquod bonum habendum præ altero quodam, idem appetente.

Hic affectus est ejusmodi, ut ipsi plures alii facile immisceantur, *metus*, scilicet, ne alter nobis bonum, quo frui soli cupimus, eripiat; *odium* contra illum, quem putamus, nobis bonum eripere velle, *invidia* item &c.

§. 663. Devenimus nunc ad affectum, omnium fere vehementissimum, puta, *iram*. Est autem *ira* nobis nihil aliud, quam insigne tædium, ortum ex injuria, nobis, vel aliis illata, conjunctum cum odio ejus personæ, quæ injuriam intulit.

SCHOL. Alii aliam iræ definitionum proferunt, quorum tamen plures iram, vel a metu, vel a pœnitentia, vel a tristitia, & pudore, non satis distinguunt. Allata vero definitio videtur omnino esse ejusmodi, ut characteres, iræ proprios, alleget. Ponas, exemp. grat. Cajum, Titium, præsentibus aliis spectatæ auctoritatis hominibus, plurimis proscindere conviciis, ipsique vitia vitæ anteactæ exprobrare, tum Titius, injuriosius se tractatum arbitratus, vehementiori afficietur tædio, magnumque adversus Cajum, injurias inferentem, concipiet odium, sive *irascetur* Cajo.

§. 664. Promtitudo, & animæ pronitas ad iram celerem dicitur *iracundia*. Quæ in iis reperiri potissimum solet, qui, honoris paulo avidiores, vel speciem injuriæ pro insigni statim injuria habent.

§. 665. Ira intenditur, fitque vehementior,

I. Cum injuria, quæ infertur, magna fuerit, & atrocissima, aut certe, ut talis, menti repræsentetur.

II. Cum plures injuriæ concurrunt, magnaque copia inferuntur.

III. Dum per præsentem injuriam, ope memoriæ & imaginationis, pristinæ injuriæ reviviscunt quasi, & vivide denuo menti sistuntur.

IV. Cum affectui iræ alii simul affectus exempl. gr.

grat. pudor, pœnitentia, metus, terror, desperatio, invidia, æmulatio, &c. immiscentur.

SCHOL. Fac, Cajo a Titio per calumniam crimen atheismi affingi; tum Cajus ira exardescet, & stomacho. Crescet autem, & augebitur ira, si Titius, qui Cajo atheismi crimen imputat, fuerit olim Caii discipulus, ab eoque multa, & insignia acceperit beneficia. Nam in hoc casu injuria *major* est, (vi num. I.)

SCHOL. Ponas porro, Cajum non modo Titio crimen Atheismi imputare, sed id quoque agere, ut Titium, munere suo hic dum laudabiliter functum, de gradu dignitatis suæ dejiciat, dejectumque in exilium propellat, tum magis magisque ira in Titio intenditur, quia *plures* concurrunt injuriæ, (vi num. II.)

SCHOL. Quod si Mævius, qui multis olim te injuriis lacessivit, tibique vel maxime ægre fecit, forte fortuna tibi occurrerit, & vel limis te aspexerit oculis, mox ira effervesces, idque non tam ideo, quod te nunc limis Mævius aspicit oculis, sed quod imaginatio tua omnes illas injurias, quibus te quondam Mævius affecit, occasione præsentis injuriæ, denuo tibi repræsentet. (num. III.) ut adeo intelligi queat, cur vehementissima sæpius ira ex caussa levi oriatur, maxime, si iræ alii affectus (num. IV.) recensiti immiscentur.

§. 666. Cum ira plura conjuncta sunt mala, inter quæ, ratione animæ, maxime locum habet *vindictæ cupiditas*, qua quod alter nos injuria affecit, ipsi malum rependere nitimur.

SCHOL. In corpore iræ effectus omnium maxime conspicui sunt. Enumerat hos Seneca Lib. I. de Ira Cap. I. hunc fere in modum: „ Flagrant, & „ micant oculi, multus ore toto rubor, exæstu„ ante ab imis præcordiis sanguine. Labia quati„ untur, dentes comprimuntur, horrent, ac sub„ eriguntur capilli, spiritus coactus, ac stridens, „ articulorum se ipsos intorquentium sonus, ge-

„ mi-

appetitus, averſationiſve rationalis naturam pertinentes.

§. 669. I. Appetitum rationalem oriri ex diſtinctis repræſentationibus, ſupra §. 611. demonſtravimus. Cum vero, ope intellectus, res diſtincte cognoſcamus, (§. 549.) conſequens eſt, ut appetitus rationalis intellectum, tanquam ducem, ſequatur.

II. Unde manifeſtum fit, quod, ſi appetitus rationalis via labatur, maleque eligat, ratio quærenda ſit in errore intellectus.

III. Quo majus bonum nobis intellectus repræſentat, eo fortius ad appetendum motivum adeſt (§. 608.). Atque adeo mirum non eſt, nos e bonis, diſtinctius cognitis, majus bonum præferre minori.

IV. Fieri poteſt, & fit etiam perſæpe, ut, quod intellectus, & ratio tanquam bonum repræſentant, id ſenſus, & imaginatio nobis tanquam malum ſiſtant, & contra.

V. Hinc oritur illud, ut, quod appetitus ſenſitivus cupit, rationalis ſæpe averſetur, &, quod, ſenſus, & imaginationem ſecuti, averſamur, idem, ratione in conſilium adhibita, appetamus.

VI. Status ejuſmodi, quo appetitus ſenſitivus rationali eſt contrarius, & vice verſa, dicitur *pugna appetitus ſenſitivi, & rationalis*.

SCHOL. Hanc pugnam exemplo perquam perſpicuo illuſtrabimus. Fac, judici cuidam, qui jure jurando pollicitus eſt, ſe quaſcunque largitiones oblatas recuſaturum, offerri a cliente quodam magnam pecuniæ ſummam, ut jus pervertat. Senſus, ſplendore auri præſtricti, pecuniam, tanquam gratam, tanquam utilem, ipſi repræſentabunt, atque tum appetet pecuniam, accipiendamque putabit. Mox vero ratio, & intellectus judici perjurii deformitatem, injuſtitiæ item vitium, cum infamia inde expectanda menti ſiſtent, atque tum averſabitur largitiones, oblatumque munus reſpuen-

dum existimabit. Atque hæc appetitus rationalis, sensitivique lucta tamdiu durabit, donec alterutra appetitio vincat, ita, ut vel ratio imperet, & sensus obtemperent, vel sensus imperent, & ratio obtemperet. Intelligi hinc potest illud poetæ;

- - - - *Video meliora proboque*,
Deteriora sequor.

Videmus scilicet persæpe meliora, & probamus etiam, *rationem scilicet, tanquam optimam magistram, secuti*, deteriora tamen sequimur *sensuum determinati confusis repræsentationibus, eorundemque irritamentis allecti, & circunducti*.

§. 670. Appetitus rationalis, quem hucdum explicavimus, dicitur *Voluntas* κατ' ἐξοχήν, Aversatio vero rationalis *Noluntas*.

NOT. Ita vocat eum *VVolfius*, in cujus systemate quoties, vel *voluntatis*, vel *noluntatis* vocabulum occurrit, toties appetitum rationalem, scito, intelligi.

§. 671. *Hæc ipsa voluntas quamvis motivis, sive repræsentationibus boni, ad volendum determinetur, & inclinetur*, (§. 609.) *non tamen anima, ut vel velit, vel nolit, neque interna, neque externa, vi, cogi potest*.

Demonstr. Dum enim voluntas sequatur repræsentationes intellectus. (§. 611.) idque tantum cupiat, quod intellectus, tanquam bonum, distincte cognoscit, (§. 611.) facile intelligitur, voluntatem a vi externa cogi non posse. Si enim voluntas posset cogi ad appetendum, tum vi externa posset effici, ut id, quod intellectus, tanquam malum, sistit, simul pro bono haberet, & si ad aversandum posset voluntas cogi, tum vi externa deberet effici, ut intellectus, quod pro bono habet, simul pro malo haberet. At cum huic ei præstandæ nulla vis par esse queat, propterea, quod contradictoria produci non possunt. (§. 22.) intelligi potest, voluntatem nulli vi externæ esse subjectam, neque adeo cogi posse.

Quod

Quod vero internæ coactioni non subjecta sit voluntas, id internus quemvis sensus condocere potest: experimur quidem, positis volendi, nolendique motivis, nos invitari, determinari, suaviter allici ad volendum, vel aversandum, coactionis vero nescia est anima.

EXEMPL. Fac e. gr. capitis damnatum ad supplicium pertrahi, & raptari à carnifice. Carnifex, crudelissimis licet tormentorum generibus excogitatis, omnibus licet instrumentis adhibitis; nunquam tamen in eo, quem ad supplicium rapit, appetitum patibuli, & rogi procreabit, quamvis id externa vi efficere possit, ut reus pedem moveat; & rogum scendat. Hinc veteres: Voluntas non potest cogi quoad *actus elicitos*, i. e. quoad internam appetitionem, post tamen cogi, quoad *actus imperatos*, i. e. quoad externa.

§. 672. Dum itaque voluntas neque externa, neque interna vi ad appetendum, aversandumve cogi potest, (§. 671.) patet; animam, cum in appetendo, tum in aversando, seipsam *determinare*. Facultas animæ seipsam determinandi dicitur *Spontaneitas*, & ea actio; ad quam se ipsa determinat anima, dicitur *spontanea*.

EXEMPL. Cajus e. gr. frequentat collegium juridicum *sponte*, *sponteque* audit Doctorem Juris Titium, quatenus scilicet non vi externa pertrahitur, & truditur in scholas juridicas. Mævius vero, mox capitis pœnam in ferali pegmate subiturus, non *sponte* ad locum supplicii ire dicitur, si ea crudeli carnificis manu ad eum locum raptatur; violenterque detruditur.

§. 673. *Ex his consequitur*, *animam*, *& in appetendo*, *& aversando sponte agere*.

Demonstr. Cum enim anima, neque interna neque externa vi, ad appetendum aversandumque cogi queat, (§. 671.) adeoque se ipsa ad appetendum aversandumque determinet, eatenus autem, quatenus anima seipsa determinat, *sponte*

ipſa agere dicatur, (§. 672.) conſequens eſt, ut anima, & in appetendo, & in averſando ſponte agat.

§. 674. His recte intellectis, intelligetur nunc facillime, in quonam genuina *libertatis* notio conſiſtat. Ad quam diſtinctius evolvendam, permultum refert, caſum allegaſſe ſpecialiorem, in quo quis *libere* agere, dicatur.

§. 675. Ponas ergo, Cajum *libere*, præ ſtudio theologico, & juridico, eligere ſtudium medicum. Nonne hic in Cajo requiritur, ut *diſtincte perſpiciat*, quid agat, ut incommoda ſtudii theologici, vel juridici perpendat, ponderetque e contrario commoda, & opportunitates a ſtudio medicinæ expectandas? Nonne porro, ſi ſtudium medicum præ theologico, juridicoque *libere* eligere dici debet, requiritur, ut ſtudium medicum etiam mittere, & illud non eligere poſſet? Nonne denique vel hoc quoque imprimis requiritur, ut ſe ipſum determinet, ut a nullo violenter ad ſtudium medicum cogatur, trudatur, pertrahatur?

§. 676. His in ſummam collectis conficimus, ad omnem actionem liberam requiri (I) *diſtinctam* actionis ſuſcipiendæ *intelligentiam*, ſive, ut quis eam actionem, quam *libere* ſuſcipere dicitur, recte intelligat, eaque, quæ actionem circumſtant, probe expendat, atque adeo eligat, quod optimum judicat.

SCHOL. Hinc bruta non agere *libere* dicuntur. Quamvis enim bruta, ab omni vi externa libera ſe ipſa ad agendum determinent, quia tamen diſtincta, & mediata actionum committendarum cognitione deſtituuntur, omnis ipſis libertas denegatur.

§. 677. I. Quia, ſi actio libera dici debet, ita comparata eſſe debet, ut etiam poſſit omitti, ut contrarium ejus fieri poſſit, (§. 675.) id autem, cujus oppoſitum adhuc fieri poteſt, appellatur *contingens*, (§. 175.) ſequitur, ut

ut ad omnem actionem liberam requiratur *contingentia*.

EXEMPL. Hinc e. gr. pulsum cordis, circulum sanguinis, non vocamus actionem liberam, quia non possumus eam omittere.

§. 678. II. Cum ut agat quis *libere*, requiratur, ut se ipse ad agendum determinet, (§. 675.) is autem, qui se ad agendum ipse determinat, dicatur *sponte* agere, (§. 672.) palam est, libertatem sine spontaneitate esse nullam posse.

SCHOL. Sic fur, a carnifice ad supplicium pertractus; non libere ad patibulum ire dicitur, cum spontaneitas desit.

§. 679. His recte præstructis, intelligis, *libertatem* nihil esse aliud, quam facultatem entis *intelligentis*, (§. 676.) *ex pluribus possibilibus sive contingentibus*, (§. 677.) *sponte*, (§. 678.) *eligendi id, quod optimum judicat*.

SCHOL. Hunc libertatis conceptum, ipsa fundatum experientia, eleganter solide, multaque cum diligentia, exposuit S. R. *Wagnerus*, Hamburgensium in præsenti decus, & delicium, idque in peculiari libro, quem de *libertate*, ante paucos annos, Germanice conscripsit. *Schloesserus* item selectis quibusdam thesibus libertatis notionem enucleavit. Vitemb. 1725. Scholastici aliam libertatem dicebant esse libertatem *contradictionis*, aliam *contrarietatis*. Vi *hujus* aliquid, positis omnibus ad agendum prærequisitis, possumus agere, & non agere. Vi *illius* possumus ex actionibus, specie diversis, eligere hanc, illamve. Libertatem contradictionis vocant quoque libertatem *exercitii*, e. g. cum possum librum legere, & non legere. Libertatem contrarietatis appellant quoque libertatem *speciei*, exempli gr. cum possumus librum legere, vel ambulare, vel, loco ambulationis, scribere &c.

§. 680. Ex libertatis notione intelligitur: (*a ubi non habet locum intellectus & ratio, ibi nul-*

la libertas, (β) *Quicquid non tollit contingentiam actionis*, & *spontaneitatem*, *id non tollit libertatem*, adeoque (γ) *cum necessitas hypothetica contingentiam neutiquam tollat*, (§. 185.) *sequitur*, *ut necessitas hypothetica cum libertate possit consistere*.

§. 681. *Motiva itaque volendi non tollunt libertatem*, *sed cum ea optime possunt simul stare*.

Demonst. Cum enim motiva volendi nihil sint aliud, quam repræsentationes boni voluntatem ad appetendum determinantes, (§. 608.) ad id autem, ut quis *libere* agat, requiratur, ut actionem suscipiendam sibi tanquam bonam distincte antea repræsentet, intelligenterque eam ponderet, (§. 676.) perspicuum est, tantum abesse, ut motiva volendi ullo modo libertati adversentur, ut sine iis nulla libertas locum habere queat.

Ponamus, motiva volendi tollere libertatem. Tunc sequetur, omnem actionem, si quidem *libera* dici debeat, esse sine antecedenti deliberatione suscipiendam, omnemque illam, quæ cum ratione, & intelligentia committitur esse necessariam. Quo quidem nihil absurdius dici potest.

Quod vero motiva volendi plane non officiant libertati, id cum suus quemque sensus condocet, tum ex exemplo apposito patescet clarius. Fac, te hucdum studio Theologico addictum fuisse. Fac porro, te nunc, misso studio Theologico, animum tuum appellere ad studium juridicum. Numne adsunt rationes, quæ te ad hanc mutationem suscipiendam commovent? Adsunt omnino. Scilicet (α) debili voce es instructus, adeoque ad orationes sacras habendas minus aptum te sentis. (β) Memoria languida, nec tenaci te laborare intelligis, quæ impediat, quo minus hebræam, græcamque linguas, Theologo necessarias, addiscere queas, (γ) accedit, quod spes affulgeat stipendii percipiendi, quod vero ex mente testatoris, non nisi juris studioso conferri debeat. En ratio-

rationes, en motiva, ad ſtudium Theologicum cum juridico commutandum te moventia! Ecquis vero eſt, qui cum te his motivis ad ſtudium juridicum amplectendum adductum videat, negare velit, te juriſprudentiam præ theologia libere elegiſſe? Neſcio itaque, nec video ſatis, qui fieri poſſit, ut nonnulli eo progrediantur vecordiæ, ut, omnia motiva libertati repugnare, affirmarint, periculoſamque illam doctrinam eſſe, clamitarint, qua, cum ratione, & tamen libere, actiones ſuſcipi poſſe, aſſeritur. *Conf. omnino jam citatus liber VVagneri de libertate.*

§. 682. *Ita apparet nunc, indifferentiam illam perfecti æquilibrii, quæ veteribus Scholaſticis tantopere arriſit, quæque placet etiam nunc nonnullis, neutiquam libertatis notionem conſtituere, ſed pertinere ad non entia, & commenta.*

Demonſtr. Cum enim libertas ſine motivis, ſive repræſentatione boni diſtincta locum habere non poſſit, (§. 676.) *indifferentia vero perfecti æquilibrii* vocarent veteres, qua anima, poſitis omnibus ad volendum requiſitis, ſive motivis, tamen contrarium eligere poſſet, idque ſine motivo, ſine ratione ſufficienti, animam ad contrarium determinante, palam eſt, *indifferentiam perfecti æquilibrii* referri inter ea, quæ fieri non poſſunt, adeoque ad non entia, & commenta. (§. 62.)

SCHOL. Concedimus equidem, quod anima, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poſſit contrarium agere, ſed N. B, *ſi contraria motiva fortiora acceſſerint*. Cajus e. gr. offert mihi medicinam, quam, ait, hecticæ ſanandæ eſſe accommodatiſſimam. Appeto eam, & quidem libere. Fac vero, Titium accedere, & jurejurando confirmare, quod in pulvere oblato peſtilentiſſimum deliteſcat venenum, tum, novis motivis, ſcilicet repræſentatione periculi, mortiſque, ex ſumto pulvere certiſſime ſubſecuturæ, determinatus, averſor id, quod modo pro ſaluberrimo habebam me-

 dica-

dicamento, & appetebam. Atque eatenus, quatenus anima per se indifferens est, ad agendum, & non agendum, ipsi tribuitur *indifferentia exercitii*. *Conf. Flottwell in dissertat. philosophica de Anima in aequilibrio libera, Jenae* 1734. *habita*

CAPUT VIII.

De commercio animae, & corporis, quatenus illud constat ex experientia.

§. 683.

EXplanata sunt hactenus cum ea, quae ad animae facultatem cognoscendi pertinent, tum illa quoque, ordinis lege, distinctius enodasse nobis videmur, quae appetitionibus animae, & aversationibus recte intelligendi deserviunt. Nunc, experientia magistra, trademus, quo nexu, quave cognatione corporis ac animae mutationes inter se contineantur.

§. 684. Quod animam arctissimo sit conjuncta vinculo cum corpore, & in societatem veniat eorum, quae corpori contingunt, de eo suus neminem sensus dubitare patitur. Neque adeo negasse quemquam hanc positionem, memini, nisi eos, qui aut corpora dari negant, quo pertinent *Idealistae*, aut, qui spiritus existere inficiantur, quo referendi *Materialistae*.

§. 685. Harmoniam vero, & commercium, quod anima habet cum corpore, ut alia plura, ita, vel maxime sequentia comprobant.

I. Experientia quemque condocet, eo momento, quo in corpore nostro organa sentiendi, ut, oculus, auris, nares, fibrillae nerveae, a rebus externis pulsantur, feriuntur, moventur; statim in anima oriri ideam ejus mutationis, quae in corpore nostro ab objectis extrinsecis producitur. Eaque ipsa idea est rei externae, quae sensus afficit, mu-

mutationique in sentiendi organis productæ, admodum conveniens.

EXEMPL. E. gr. Cum tormenta bellica, magno fragore, exploduntur, tum motus aeris tremulus producitur, ad aures defertur, per illarum anfractus continuatur, & fibrillas per aurem interiorem dispersas subita vibratione percellit. Hæ mutationes ad corpus spectant. Eo ipso vero momento, & temporis punctulo, quo hæc omnia in corpore, & organo auditus contingunt, anima sibi fragorem bellici tormenti repræsentat. En arctam connexionem animæ cum corpore.

II. *Commercium* hoc evincit præterea illud, quod ubi corpus, vel languore alioque, vel morbo, & dolore infirmatur, anima quoque miram sentiat ægritudinem, &, omni vigore amisso, paulatim languescat. Contra, cum corpus succi plenum crescit in dies, & vigescit, tum animam quoque, & in cogitando, & in judicando, ratiocinandove plurimum acquirere agilitatis, & firmamenti comperimus.

III. Experimur præterea, anima, cerebro læso, mirum quantum in functionibus suis turbari & identidem in delirium prolabi.

§. 686. Hæc uti docent, animam, arctissimo cum corpore connexam vinculo, intimum cum eo habere commercium, sic itidem experientia nescire neminem patitur, corpus cum anima vicissim habere harmoniam, & consensionem. Quod ut intelligas, attende ad sequentia.

I. Observamus, motus quosdam in corpore evenire tum, cum anima eosdem vult consequi, & eo cessare rursus momento, quo cessare cupit eos anima.

II. Novimus, in turbulento affectuum concursu ita sanguinem, succosque corporis omnes confundi, & conturbari, ut nihil tranquilli in eo compareat, æstu autem animi defervescente, sedari omnia, & placari.

§. 686.

§. 686. Quæ quid aliud indicant, quam amicum, quod cum anima habet corpus, commercium? Nihil autem, si experientiam recte in consilium adhibueris, experiris, sentisque aliud, quam quod cum certis corporis mutationibus convenientes animæ ideæ simul existant, (§. 685.) quodque ad animæ decretum nonnulli corporis motus sequantur.

NOT. Qui plura experientia sentire putant, idque maxime observasse sibi videntur, quod anima, ut caussa efficiens producat vere motus in corpore, quodque, quoties in corpore mutatio accidit, toties animæ a corpore *effective* imprimatur idea, næ ii sensisse quid se putant, quod nunquam senserunt, idque, ut experientiam certam, nec fallacem, allegant, quod, ut fœtum aliquem adulterinum, imaginatio enixa est. Hi, non video, qua se ratione *vitio subreptionis*, §. 566. Philosophiæ nostræ rationalis explicato, purgare queant.

§. 687. Cum, experientiam testari, dixerimus, (§. 684.) animam motus corporis ita determinare posse, ut pro lubitu hic, nec alius sequatur motus, consequens est, ut eadem confirmet experienti, animæ competere *regimen in corpus*. *Regimen* enim *animæ in corpus*, quid aliud est, quam facultas animæ, motus corporis pro lubitu ita determinandi, ut sequatur hic, nec alius, motus.

§. 688. Tantum de commercio mentis, & corporis nos condocet experientia, qua edocti, scimus, dari revera inter utramque hanc substantiam mutuam amicitiam. Modum vero, quo sequatur ad decretum animæ motus in corpore, quoque ad certas in corpore factas mutationes exsurgat idea in anima, varii varie explicant; de quo deinceps dispiciemus.

Finis Psychologiæ Empiricæ.

PSY-

PSYCHOLOGIA RATIONALIS.

CAPUT I.

De essentia, & Natura animæ, Rationibusque eorum, quæ sunt in anima.

§. 689.

SUpra jam monitum fuit a nobis, ea, quæ animæ tribuuntur, aut cognosci ex experientia unde existit *Psychologia Empirica*, aut ratiociniorum ope investigari, unde *Psychologia rationalis*. (Conf. §. 479.) Ad finem itaque perductis iis, quæ ad psychologiam empiricam spectant, nunc in investigandis eorum, quæ per experientiam animæ competunt, rationibus versabimur, atque, id ita quidem, ut, quas ratio suppeditat, positiones cum demonstrationibus percenseamus.

§. 690. Definitionem nominalem *animæ* supra allegavimus, (§. 487.) qua ipsam diximus esse ens, quod in nobis sui, rerumque extra se positarum est sibi conscium. Cum conscius sibi quis sui rerumque extra se positarum est, tum *cogitare* dicitur. (§. 491.) Atqui vero tum, cum quis sibi sui rerumque extra se positarum conscius est se ab aliis rebus, resque a se invicem dignoscere debet, (§. 484.) ut adeo cogitans rerum discrimina percipere debeat, & unam repræsentationem cum altera per attentionem, & reflexionem (§. 542.) comparare.

§. 691. Quicquid igitur rerum differentias observare nequit, quicquid perceptiones suas a se ipso di-

discere non potest, quicquid item non est ejusmodi, ut unam repræsentationem cum altera, ope attentionis, & reflexionis, comparare valeat, id cogitare non potest.

§. 692. *Quicquid est ens compositum, illud non potest cogitare.*

Demonstr. Quicquid rerum differentias observare, & res repræsentatas inter se invicem conferre, perceptionesque suas a se ipso discernere nequit, id *cogitare* non potest (§. 691.). Atqui vero ens compositum hæc omnia non potest: Ergo ens compositum cogitare nequit. Quotiescumque enim compositum, vel perciperet res, vel res perceptas inter se compararet, toties certas subiret mutationes, (quia, quod communis quemque sensus edocet, nulla cogitatio, & nulla rerum perceptarum inter se collatio sine mutatione evenire potest). Cum vero omnes mutationes, quæ in ente composito fieri possunt, mediante motu fiant, ita, ut partes ipsius, vel transponantur, vel aliæ addantur, vel minuantur quædam, (§. 265.) consequens est, ut; si in ente composito cogitatio, & conscientia sui locum habere deberet, tum illa aut ex additione, aut transpositione, aut diminutione partium exurgeret. Sed *transpone* partes, tum habes *aliud* ens compositum, aliamque ejusdem figuram, neutiquam vero cogitationem, & conscientiam sui. *Adde* partes, tum emerget *majus* ens compositum, (§. 257.) *diminue* partes, tum habebis *minus* ens compositum: (§. 257.) Nunquam vero esculpes cogitationem.

SCHOL. Hoc negare quidem non possumus, a caussa quadam externa imagines, & repræsentationes rerum materialium in ente composito, e. gr. imaginem regis in ænea statua produci posse: Ad id autem, ut ens quoddam perceptionis inter se conferat, ut similitudines rerum, & differentias observet, ut pro lubitu uni rei attendat alteramque cognoscere omittat, ad id, inquam,

inter-

interna quædam vis requiritur. Cum vero compositum quiescens seipsum movere non possit, (§. 446.) multo minus perceptiones producere easdemque inter se conferre, & super ea reflectere poterit.

Theorema hoc: *Compositum non potest cogitare*; a variis varie demonstratum est. *Canzius in Jurisprudentia Theologiæ p.* 152. hanc in rem præclare: „ *Quod si*, inquit, *intellectus, & voluntas Spirituum finitorum necessario deposcunt rem extensam, in qua insint, (cum res extensa sit complexus plurium,) intelligendi, & appetendi facultas nascetur vel a partibus extensi, vel a toto, i. e. quatenus partes juncta sunt. Tertius, & quartus &c. modus consequendi, aut possidendi intellectum in re extensa non datur. cum nihil amplius in ea sit. Non potest intellectus oriri a partibus extensi singulis, singula enim haberent sua magnitudini respondentes minutos intellectus, quorum unusquisque aliquid ad intellectum ex partibus componendum, & majorem, uti atomi ad molem coacervandam, conferret, quo nihil potest cogitari absurdius; sed nec intellectus, & voluntas possunt resultare ex partibus extensi, quatenus sunt juncta in certo situ, figura, & motu. Nam si hoc fieri posset, nihil obstaret, quo minus ejusmodi machina major, fabricaretur, servata proportione minoris, idque ideo maxime, ut major intellectus, domus instar, ex ea oriretur.*

§. 693. Cum itaque de ente composito in genere sit demonstratum, adeoque etiam de corpore quovis, quod est ens compositum, (§. 430.) perspicuum est, nec materiæ subtiliori cogitationem posse tribui.

§. 694. *Quin etiam ne per potentiam quidem divinam corpori, ac materia facultas cogitandi tribui potest.*

Demonstr. Ponamus, Dei omnipotentia vim, & facultatem cogitandi corpori tribui posse, tum

aut

aut corpus cogitaret, ut corpus, aut in spiritum mutaretur. Si mutaretur in spiritum, tum vero non corpus, sed spiritus, omnipotentia divina productus, cogitaret. Si vero simul corpus manèret, tum non cogitaret, ut corpus, sed ut spiritus simul existens. Id enim, quod cogitat, & intellectu adeo gaudet, est *spiritus*; & pertinet ad essentiam spiritus τό cogitare. (§. 473.)

§. 695. *Anima est ens simplex*.

Demonstr. Cum enim anima cogitet, & sui sibi conscia sit, (§. 487.) ens compositum autem non possit sui sibi conscium esse, adeoque nec cogitare. (§. 692.) consequens est, ut anima non possit esse ens compositum. Quia vero, quicquid est, debet esse aut ens compositum, aut simplex (267.) manifestum est, animam esse ens simplex.

Ergo anima non est extensa, (§. 269.) omni caret magnitudine, (§. 270.) item figura destituitur, (§. 271.) est indivisibilis, (§. 272.) & indestructibilis, (§. cit.)

§. 696. *Anima gaudet vi cogitandi, sive repræsentativa, a qua, tanquam a principio & fonte suo, omnes ejus repræsentationes ortum trahunt.*

Demonstr. Dum enim omnia entia simplicia gaudent vi quadam, (§. 301.) anima autem est ens simplex; (§. 695.) intelligis, animæ quoque vim, sive continuum agendi conatum, & nisum; (§. 298.) tribui debere. Cum vero præcipuæ animæ operationes repræsentationibus absolvantur, vim istam animæ recte dicimus *vim repræsentativam*. *Vis* est id, in quo continetur ratio sufficiens, cur actio ad existentiam perveniat. (§. 398.) E. in vi repræsentativa continetur ratio sufficiens, cur repræsentationes ad existentiam perveniant. Id, in quo continetur ratio sufficiens, cur alterum ad existentiam perveniat, dicitur *caussa* alterius, (§. 347.) E. vis repræsentativa est caussa, sive principium repræsentationum, & perceptionum in anima.

§. 697.

§. 697. Non omnia sibi repræsentat unico actu anima, quæ sibi repræsentare potest, nec, quæ sibi repræsentat, eo distinctionis gradu semper sibi sistit, quin distinctius possit repræsentare. Ergo anima nondum habet omnia ea actu, quæ habere potest. Ergo anima est ens finitum, (§. 324.) & limitibus circumscripta est. (§. 323.) Vis itaque animæ repræsentativa etiam certo modo sit limitata, necesse est.

§. 698. Hæc vis repræsentativa limitatur (α) qua *objecta*, quæ repræsentantur, sive, ut alii enunciant, *materialiter*. Dum scilicet anima sentit, sibi repræsentat ea, quæ in organis sensoriis mutationem producunt, (§. 499) atque adeo res sibi repræsentat pro situ corporis organici. (β) Limitatur qua *modum repræsentandi*, ita, ut aliæ perceptiones sint clariores, obscuriores aliæ, prout scilicet organa sensoria fuerint, vel sana vel corrupta, aut objecto percepto propius admota, aut ab eodem longius distant. Hinc animam recte dicimus in repræsentationibus suis limitari per situm corporis organici, & constitutionem organorum sensoriorum.

SCHOL. Ex quo nunc intelligi potest, quid sit, quod anima a nonnullis dicatur *substantia repræsentativa universi pro situ corporis organici in universo*: Ut vero magis perspicua fiat illa loquendi ratio: *pro situ corporis organici*, ad sequentia attendas. Cum e. gr. in bibliotheca tua fueris, tum percipis, sentiendoque tibi repræsentas libros, qui sunt ante oculos. Ecquid vero est, quod non simul videas libros, qui sunt a tergo? Nonne caussa est situs corporis organici? Quod enim prout alium, aliumve situm habebit, ita aliæ, aliæque perceptiones exurgent in anima. Quid porro est, quod, cum rem aliquam, e. gr. arborem sensibus tibi repræsentas, alio plane modo percipias, quam cum propius accesseris? Nonne rationem invenies in situ corporis organici? Atque adeo intelligis,

quid

quid sit illud tandem, cum anima sibi res pro situ corporis organici repræsentare dicitur. *Conf. Bilsing. dilucid.* (§. 288.)

§. 699. Quandoquidem vim repræsentativam animæ diximus esse principium fontemque omnium repræsentationum operationumque animæ, (§. 696.) agedum, dispiciamus nunc, qua ratione & illæ ex vi repræsentativa resultent.

§. 700. De sensationibus quidem dubium non est, quin in vi repræsentativa contineantur. Cum enim sensationes sint repræsentationes rerum præsentium, (§. 497.) repræsentatio autem supponat, vim repræsentandi, (§. 297.) palam est, vim repræsentativam non posse non adesse, si sensationes locum habere debeant.

§. 701. Dum autem anima in sentiendo res præsentes, mutationibus, in organis sensoriis factis, convenientes sibi repræsentat, (§. 699.) sequitur inde, (α) repræsentationes sensuum in anima exactam habere cum iis rebus, quæ repræsentantur, convenientiam, & similitudinem. Sunt enim repræsentationes rerum velut imagines rerum. Atqui vero inter imaginem, & rem, cujus est imago, semper debet esse similitudo. (β) Hinc colligitur, eodem ordine eademque successione, eodem item tempore, quo res externæ organa sensoria afficiunt, pulsant, feriunt, animam sibi easdem repræsentare debere. (γ) Ex quo fluit illud, si in casibus duobus, vel pluribus etiam *eadem* in organis sensoriis producitur mutatio, *eandem* in anima repræsentationem oriri debere.

§. 702. Quæ quidem omnia quemadmodum ex natura, indoleve sensationum tam evidenter fluunt, ut evidentius non possint, ita illud quoque pro comperto habemus, *cum sensationibus omnibus certos motus fluidi nervei in cerebro simul existere.*

Demonstr. Cum enim in omni sensatione in organis sensoriis ab objecto externo per motum producatur mutatio, (§. 499.) consequens est, ut nervei,

vei, qui connexi sunt, arctiusque cohærent cum organis sensoriis, quoque tangantur. Nervei autem, id quod quemque corporis humani dissectio condocet, in cerebrum usque, filo quasi continuo, propagantur simulque tanquam totidem vascula, subtilissimum aliquod fluidum, quod vocant ideo *nerveum*, in se continent. Quo patet, motu in organis sensoriis facto, subtilissimum illud fluidum nerveum agitari, atque, agitatione usque in cerebrum continuata, ipsum cerebrum mutationes subire. Vides ergo, *cum sensationibus certos motus* fluidi nervei simul in cerebro existere.

§. 703. *Imaginatio itidem ex vi repræsentativa resultat.*

Demonstr. Cum enim sensatio suum ortum habeat a vi repræsentandi, (§. 700.) imaginatio autem nihil aliud sit, quam continuata sensatio, (§. 309.) ratio in promptu est, cur imaginationem ita, ut sensationem, ex vi repræsentativa fluere, affirmemus.

§. 704. Et quia somnia sunt imaginationes, (§. 627.) eadem, liquet, per vim animæ repræsentativam produci.

§. 705. Sicut sensationibus omnibus respondet certus motus fluidi nervei in cerebro, (§. 702.) imaginatio vero non nisi continuata est sensatio, (§. 509.) dubium non est, quin cum imaginatione sit certus quidam motus subtilioris illius, de quo diximus, fluidi nervei in cerebro conjunctus.

SCHOL. Patet id cumulatius ex eo, quod, læso turbatoque cerebro; imaginatio, sive phantasia mirum quantum in functionibus suis impediatur, & turbetur. Specialius hæc imaginatio motusque fluidi nervei in cerebro ita explicatur. Quemadmodum scilicet sensatio, quæ olim fuit sensatio, producit imaginationem, (§. 508.) ita idem, qui in cerebro cum sensatione simul exstitit, (§. 702.) idem, inquam, motus nunc reproducitur cum imaginatione.

§. 706. *Attentio, reflexio, abstractio, resultant etiam ex vi repræsentativa animæ.*

Demonstr. Cum enim attentio æque ac reflexio abstractioque nihil aliud involvant, quam id, ut anima unam rem clarius distinctiusque præ altera contempletur, (§. 542.) consequens est, ut anima in attentione, reflexione, & abstractione, ad unum præ cæteris repræsentandum, nitatur. Qui nisus quid aliud est, quam vis repræsentandi? Ut adeo, attentionem, reflexionem, & abstractionem ex vi repræsentativa resultare, pateat.

Si itaque attentio, & reflexio ex vi repræsentativa concipi possunt, (§. 706.) comparatio vero idearum, adeoque ingenium etiam, ex attentione, & reflexione originem trahunt, (§. 570.) *ingenium, & idearum comparationem ex vi repræsentativa derivare possumus.*

§. 707. *Per vim repræsentandi formantur etiam notiones universales.*

Demonstr. Cum enim ad notiones rerum universales formandas opus sit attentione, reflexione, abstractione (§. 560) hæ autem facultates ex vi repræsentativa deriventur, (§. 706.) intelligis, per vim animæ formari notiones rerum universales.

§. 708. *Judicia nostra animæ ex vi repræsentativa deduci possunt.*

Demonstr. Cum enim judicia nihil aliud sint, quam combinationes, vel separationes idearum, (§. 185. Log.) consequens est, ut in judiciis anima sibi ideas certas, & repræsentationes formet. Quo ipso manifestum fit, animam judicare non posse, nisi adsit in ea nisus ad repræsentationes quasdam producendas. Hic ipse nisus est vis repræsentativa, (§. 298.) Ergo ad judicia formanda requiritur vis repræsentativa, & ex hac illa recte derivantur.

§. 708. *Ratiocinia oriuntur ex vi repræsentativa.*

Demonstr. Cum enim ratiocinia tribus constent judi-

diciis, (§. 238. Log.) judicia vero non nisi ex vi repræsentativa, deduci debeant, (§. 708.) in aprico est, ratiocinia oriri ex vi repræsentativa.

§. 710. Dum vero ratio per ratiocinia se maxime exserit, (§. 574.) ratiocinia vero ex vi repræsentativa animæ resultant, (§. 709.) idem de ratione dicendum, patet.

§. 711. Cum igitur tres intellectus operationes præcipue, notionum scilicet universalium formatio, judicium, ratiocinium, ex vi repræsentativa propullulant, (§. 707. 708. 709.) manifestum est, intellectum quoque ex vi repræsentativa oriri debere.

§. 712. Quia acumen ab intellectu sejungi non potest, (§. 566.) lucidissime apparet, etiam acumen a vi repræsentativa provenire.

§. 713. *Ex vi repræsentativa etiam in anima oritur appetitus, & aversatio, atque adeo voluntas, & noluntas.*

Demonstr. Cum enim omnis appetitus ex repræsentatione boni oriatur, (§. 606.) & omnis aversatio ex repræsentatione mali, (§. 606.) repræsentatio autem boni malique oriatur ex vi repræsentandi, (§. 696.) consequens est, ut & appetitus, & aversatio, oriantur ex vi repræsentativa.

§. 714. Dum igitur appetitus, & aversationes in genere ex repræsentativa vi oriuntur, (§. 713.) quis dubitet, etiam appetitus sensitivos, atque adeo affectus, oriri ex vi repræsentativa?

§. 715. *In vi repræsentativa animæ continetur, & consistit ejusdem essentia.*

Demonstr. Cum enim vis repræsentativa contineat rationem eorum in sese, quæ animæ conveniunt, (§. 628.) omniaque etiam, quæ in Psychologia empirica a posteriori de anima cognovimus, ex vi repræsentativa a nobis deducta sint, (§. 714.) dubium nullum superest, quin vis repræsentativa primum illud sit, quod de anima concipitur. Primum autem illud quod in aliqua re concipi potest, quodque continet rationem sufficien-

V 2 tem

tem in sese eorum omnium, quæ rei conveniunt, est *rei essentia*, (§. 66.) E. vis repræsentativa est animæ essentia.

§. 716. *Vis repræsentativa constituit etiam naturam animæ.*

Demonstr. Naturam cujusque rei constituit vis ejusdem intrinseca, ad determinatas actiones patrandas tendens, (§. 443.) Cum vero vis animæ repræsentativa sit vis animæ actuosa ad determinatos effectus, nimirum perceptiones, & volitiones præstandas apta, (ex vi enim repræsentativa omnes has mutationes profluere, demonstravimus (§. 714.) perspicuum, evidensque est, quod vis repræsentativa constituat naturam animæ.

SCHOL. Naturam itaque, & essentiam animæ unum idemque esse, ex dictis constat. Quod neutiquam valet in corpore, ubi naturam vis ejus activa, sive motrix, essentiam vero modus compositionis constituit. Conf. §. 443.

§. 717. Id omne itaque animæ *naturale* est, quod ex vi ejus repræsentativa, secundum regulas legesque cogitandi, potest concipi distincteque explicari. *Supernaturale* vero, quod ex ea non potest distincte intelligi. (§. 456.)

SCHOL. Facile hinc determinari poterit differentia inter somnium naturale, & supernaturale. Somnium naturale legi imaginationis conformatur, & continuatur. Somnium supernaturale non item.

§. 718. *Vis animæ tantum unica est.*

Demonstr. Dum enim omnia, quæ de anima in psychologia empirica a posteriori cognovimus, ex vi repræsentativa unica derivari potuerunt, (§. 700. seqq.) sine ratione vires plures animæ tribuuntur, præter hanc.

SCHOL. Hoc theorema compluribus paradoxon, aut falsum omnino, videri, non miror. Cum enim perpauci notiones distinctas, *vis*, & *facultatis* sibi forment, factum est, ut cum plures animæ facultates dentur, putent, positionem, qua animæ tantum

tum unica vis tribuitur, esse sensui communi, & experientiæ contrariam. Si nos unicam vim animæ assignamus, tum id ita intelligi volumus, unicum tantum esse nisum, perpetuumque conatum in anima, ad novas repræsentationes formandas. Hæc autem unica vis repræsentativa diverso modo, pro diversitate rei, quæ repræsentatur, determinari solet. Unde oriuntur variæ facultates animæ: Cum exempl. grat. vis animæ repræsentativa ad repræsentationem rerum præsentium tendat, tunc anima dicitur *sentire*. Ipsa autem possibilitas sentiendi dicitur *facultas sentiendi*. Eadem est ratio facultatis imaginandi, recordandi, judicandi, ratiocinandi, & aversandi &c.

SCHOL. *Cel. Bilfingerus* hanc in rem præclare: *Etsi* inquit, *una animæ vis tribuatur, non tribuitur tamen una facultas; quia autem unica illa vis diverso modo agit* (nunc enim sentit, nunc imaginatur, nunc recordatur, nunc judicat, nunc ratiocinatur, &c.) *diverso quoque modo potest agere. Potentia illa sive possibilitas agendi dicitur facultas. Igitur plures in anima adesse possunt facultates*, Vid. Diluc. §. 288.

SCHOL. *VVinclerus in Institut. philos. p.* 256. Vi unica, inquit, tantum anima pollet, propterea, quod est simplex. Duæ vires duas substantias requirunt.

CAPUT V.

De modo, quo anima cum corpore est conjuncta.

SECT. II.

De systemate influxus physici.

§. 719.

DAri arctum quoddam corporis & animæ commercium, id sat multis, ex experientia adductis, rationibus supra §. 684. demonstrasse mihi videor. Superest, ut de modo nunc dispiciamus; quo anima cum corpore est conjuncta. De eo scilicet quæritur, quomodo id fiat, ut, dum motus in organis sensoriis oritur, statim oriatur in anima repræsentatio, & qui fiat, ut, dum anima vult, hoc illudve membrum in corpore moveri, oppido motus in corpore conveniens adsit.

§. 720. Hanc quæstionem, hoc problema, cujus solutio est mere metaphysica, nec in aliis altioris momenti disciplinis multi est usus, triplici ratione eruditi solvendum putarunt. *Alii* existimant, animam ita agere in corpus, & corpus, ita agere in animam, ut, quando ab objecto externo mutatio in organo sensorio fiat, tum motus per nervos in cerebrum usque propagetur, & ita, mediante fluidi nervei motu, animæ imprimatur idea, &, quando anima velit, corpus ejusdemque membra moveri, tum anima *revera*, & *effective* alium, aliumque nervum impellat, atque ita efficiat, ut motus voluntarius hic, nec alius, sequatur. *Alii*, Deo quasi ex machina advocato, opinantur, facta in organis sensoriis mutatione, Deum immediate in anima convenientem producere mutationem, & coercita in anima voluntate,

mo-

motum convenientem corpori a Deo imprimi. *Alii* denique, in aliam, eamque novam, sententiam ingressi, modum, quo anima cum corpore est conjuncta, ita exponunt. (1) Putant, facta in organis sensoriis mutatione, sensationes in anima produci per vim animæ intrinsecam, & quidem ex sensationibus præcedentibus. (2) Ab anima, neque immediate a Deo produci, sed resultare ex structura, & vi motrice corporis, & motibus præcedentibus. (3) Quod vero tam amicus, tamque arctus corporis motuum, & animæ repræsentationum consensus adsit, id a quadam Dei prudenti præordinatione, & præstabilitione derivant.

SCHOL. Dici non potest, quam vehementi animi æstu, quantaque virulentia ac pertinacia nostris temporibus de modo, quo anima cum corpore conjuncta est, sit disputatum. Crederes, de salute Græciæ agi, aut quoddam fidei dogma in discrimen vocari, cum tamen tota illa controversia sit de mera hypothesi, & problemate, quod affirmari, ac negari potest. In tres autem, ut dixi, abeunt sententias eruditi, nec plures, quam tres, modos dari, commercium inter animam, & corpus expiscandi, & a non paucis asseritur, & res ipsa docet. *Illustris Bilfingerus in Commentatione hypothetica de harmonia animæ, & corporis, maxime præstabilita* a priori demonstravit, non posse quartam præter has tres sententias in medium adduci p. 10. *Cel. Hollmannus* in dissertatione I. *de harmonia inter animam, & corpus præstabilita p.* 6. hanc in rem præclare: „ Diversissimæ, ait, duæ substantiæ si in operationibus „ suis conspirare secum debent, *aut* altera alteram „ dirigat moveatque, *aut* communis inter utram„ que mediator intercedat, *aut* utraque suum „ agat, in perpetua tamen cum altera consensio„ ne, necesse est. Illustrari id solet, & explicari exemplo duorum horologiorum, quæ, licet a se

invicem sint diversa, licet magna distantia a se sejuncta sint, tamen consonent exacte. *Faciamus*, inquit *Billebius* in dissertat. *An Harmonia praestabilita sit miraculum, & concipiamus duo horologia, quae consonare debeant. Res expedita reddi potest triplici ratione. Una per influxum; Si fecerimus, ut alterum agat in alterum, idque vel mutuo, vel ex unica tantum parte. Altera per caussas occasionales, si opificem operi comitem fecerimus, qui dissonantia ceteroquin, vel cessatura a motu horologia singulis momentis dirigat. Tertia si sapienter satis perfecerimus eas machinas artis, ut singulae suas leges exacte sequantur, easdemque ab initio sibi respondere curaverimus. Ita enim, cum utraque easdem vel similes exequantur leges, semel harmonicae factae nunquam dissonabunt*, p. 8. *Conf. Schloesseri Commentatio de Commercio animae & corporis*, §. 8. Nos tres has opiniones de modo commercii animam inter & corpus nunc recensebimus, atque id ita quidem, ut (a) *rationes* cujusque sententiae adducamus (b) *difficultates*, quae unamquamque commemoratarum opinionum circumstant, enumeremus.

§. 721. Prius vero, quam ad unamquamque trium harum hypothesium percensendam me accingo, id monendum esse existimo, ad duo potissimum momenta attendi debere in explicando animae corporisque commercio I. Scilicet quaeritur, quomodo se anima habeat in *sensationibus*, facta nimirum in organis corporis sensoriis mutatione. II. Quaeritur, qua ratione in *corpore* motus hi, nec alii, sequantur, cum anima hos, nec alios, motus vult provenire.

NOT. Haec vel ideo hic annotanda putavi, quod in controversiis, quae de commercio inter animam & corpus recentius obortae sunt, saepius observaverim, de omnibus omnino cogitationibus, omnibusque cupiditatibus disceptatum esse, cum tamen

men

men nonnisi sensationes, & motus corporis hic in censum veniant.

§. 722. Dum, tres modos, commercium inter animam & corpus explicandi, ab eruditis adferri, diximus, (§. 720.) fierique posse negavimus, ut plures, quam tres, dentur, ab eorum primo nunc ordiemur. Consistit autem hic, (vi §. 720.) in eo, ut putent nonnulli, animæ, facta in organis corporis sensoriis ab objectis extrinsecis mutatione, per motum fluidi nervei revera imprimi ideam, & corpus, anima motus in ipso decernente, ita ab anima impelli, & moveri, ut hi præcise, nec alii, motus consequantur. Hic modus commercium inter animam & corpus explicandi, dicitur *Systema influxus physici*; qui autem hoc systema defendunt, appellantur *Influxistæ*, a nonnullis *Influxionistæ*.

SCHOL. Cur vero hypothesis illa, qua sumitur animam revera movere, & impellere corpus, & curpus vicissim animæ imprimere ideam, dicatur systema *influxus physici*, ratio hæc est. Anima scilicet dicitur *physice influere* in corpus, quando anima revera, & effective agit in corpus illudque movet: Et corpus *physice influit* in *animam*, cum ei imprimit reali actu ideam. Jam vero cum primus modus, explicandi commercium inter animam, & corpus, huc redeat, ut statuatur, animam revera agere in corpus, & corpus in animam, (§. 720.) intelligis, cur hic modus, commercium animæ, & corporis explicandi, dicatur *Systema influxus physici*. Dicitur hæc hypothesis alias quoque *Systema Aristotelico-Scholasticum*. Aristotelici scilicet, & Scholastici hanc hypothesin quovis modo defendebant, & quamdiu stetit philosophia Aristotelico-Scholastica, tamdiu quoque hæc opinio philosophantibus arrisit.

§. 723. Qui Systema influxus physici defendunt, animamque adeo, ut caussam motus in corpore, ut effecta, producere affirmant, & v. v. ita rationes

nes subducunt: „ Quo posito, ponitur statim, & „ semper effectus, & quo remoto, statim, & sem- „ per removetur alterum, id dicitur recte *caussa* „ alterius. Atqui, posito in organis corporis sen- „ soriis motu, ponitur, repræsenatio in anima, & „ sublato motu, tollitur repræsentatio, item, po- „ sito voluntatis decreto, ponitur motus volunta- „ rius in corpore, & remoto voluntatis decreto, „ removetur motus voluntarius in corpore. E. „ motus in organis corporis sensoriis est caussa re- „ præsentationis in anima, & decretum volunta- „ tis est caussa motuum in corpore, sive, quod „ idem est, anima agit in corpus *effective*, ita, „ ut producat motus in corpore, & corpus agit „ rursus in animam, ita, ut producat fluidum „ corporis nerveum ideas, in anima, eidemque eas „ imprimat. E. Systema *influxus physici* est verum „ Systema.

SCHOL. Alii eadem fere ratione, ita instruunt ratiocinium: *Quacumque substantia firmissimo sociata sunt vinculo, atque ad unum compositum constituendum a sapientissimo omnium rerum conditore sunt ordinata, earum unam ab altera moveri par est. Atqui anima, & corpus &c. Ergo*. In utroque vero Syllogismo ii, qui Systema influxus physici impugnant, quid desiderent, habent. Majorem enim propositionem, ajunt, parum habere ponderis ac firmamenti. Consequentiam scilicet, & nexum negant in hac propositione: „ Quo posito, „ ponitur statim, & semper alterum, & quo re- „ moto, removetur statim, & semper alterum, id „ dicitur recte *caussa alterius* „. Adducam verba *Bilfingeri*, qui in *dilucidat*. §. 249. ita de hac propositione mentem suam exponit. *Fallit*, inquit, *regula, nisi limitetur. Accipe casum. Si duo effectus sint ejusdem caussa naturaliter agenti, & effectus quidem, qui ab alia caussa non procedant, quam ab hac, sane posito uno, ponitur, & alter, etsi unus non sit caussa alterius. Nam illuminatio*

tel-

telluris, pergit acutiſſimus vir, *a ſole, facta eſt cauſſa illuminationis Saturni? Poſita una, ponitur, & altera, & ſublata una, tollitur, & altera. Sint A, & B, duæ urbes, ſub eodem meridiano ſitæ, poſita in A, meridie, meridies eſt in B, & viceverſa ac contraria.* „ *Quod tamen A ſolem in meridie habeat, non eſſe cauſſa, cur & B, ſolem meridianum experiatur. Nec vice verſa meridies, in B, eſt cauſſa meridiei in A. Sed uterque effectus habet eandem cauſſam, naturaliter agentem unicam.* Aliam adhuc adjicit propoſitionis „ allatæ limitationem, hoc modo „ : Si, poſito A, ponitur B, & ſublato A, tollitur B, ſic, *ut ex poſitionis vel ablatione τῦ A, poſſit ratio reddi poſitionis vel oblationis τῦ* B; tum A, eſt cauſſa τῦ B. Sin minus, ex poſito vel ſublato A, poſſit intelligi, cur ponatur ſimul aut tollatur B, nego, Canonem probare inſtitutum, aut ex concomitantia, vel ſucceſſione duorum ſequi cauſſalitatem. *Conf. Inſtitut. Philoſoph. Rat. p.* 275. ubi ſatis mihi eviciſſe videor, quod ex eo, quod una res alteram, vel inſequatur, vel cum ea ſimul exiſtat, nondum inferre ſemper liceat, ergo una res eſt cauſſa alterius.

§. 724. Defenſores Syſtematis influxus phyſici porro, ad *experientiam* confugiunt, &, ex conſtanti omnium hominum conſcientia, ſenſu, & conſenſu conſtare, & pateſcere, putant, animam eſſe cauſſam, & principium motuum voluntariorum in corpore, corpus viciſſim, vel ſpiritus animales, & fluidum nerveum in corpore afficere animam, eidemque ideas materiales imprimere.

SCHOL. Ut alios taceam, unus omnium hic adduci meretur *Cel. Langius*. Hic in diſquiſitione modeſta, *ex natura omnium hominum in hac parte æqualiter ſibi con*ſ*cia, & hinc ex evidentiſſima & univerſaliſſima experientia* conſtare, arbitratur, animam influxu phyſico agere in corpus, & corpus viciſſim in animam. *Quin etiam ſibi perſuadet,*

hanc

hanc experientiæ evidentiam superare quamlibet veritatis geometricæ evidentiam certe nulli certitudini cedere. Unde non mirum, quod Reverendus Vir, contra VVolfium disputaturus, sequentem propositionem, postulati, & axiomatis loco assumat, „ Inter duas essentiales hominis partes, animam, & corpus, tanquam duas substantias, physice distinctas, est unio physica, uti communione, sic etiam operatione physica se exserens, p. 2. „ Dudum vero monuerunt alii, quidvis potius, quam influxum physicum, constare ex experientia. Quamvis enim suus quemque sensus, & experientia condoceat, ad certa animæ decreta, & volitiones sequi motus hos, nec alios, in corpore, item ad certos motus in organis sensoriis sequi has, nec alias, repræsentationes, in anima, (conf. §. 680.) negant tamen ac pernegant, vel ullum unquam experiendo sensisse; vel etiam nunc sentire quemquam, quod anima revera moveat corpus, & quod per motum fluidi nervei animæ imprimatur idea. Atque adeo eos, ajunt, qui influxum physicum ex experientia probare recte sibi videntur quid pro experientia habere, quod tamen nunquam experti sint, & nunquam senserint, & quod potius ratiocinando ex experientia collegerint. Quare non posse non ipsos *vitii subreptioni* incusari pertendunt. *Conf. VVolf. in Phychol. Rat. item Instit. nostræ Philos. Rat. p.* 202.

SCHOL. Cl. Bilfingerus cum in aliis pluribus scriptis, tum maxime in dilucidationibus ostendit, quam perperam inepteque in stabiliendo influxus physici systemate, ad experientiam provocetur. *Quod mutatio*, inquit, *in corpore fit caussa influens physicæ mutationem animæ, & v. v. id observationis, sive experientiæ, esse non arbitror*; *p.* 280.

SCHOL. Ipsum sanioris influxus physici patroni fatentur, minus recte argumentum pro influxu physico ab experientia desumi. *Cel. Hollmanus*, qui semper defendit influxum physicum *in disserta-*

tatione II. de Harmonia præstabilita, p. 5. ita: „ „ Ambabus amplector illam Cel. VVolfii sententiam, qua experientia nihil aliud evinci asserit, „ quam motus corporis, & actiones animæ simul „ fieri, nequaquam autem eadem confirmari concedit, quod vel motus corporis producantur ab „ anima, vel sensationes, & perceptiones animæ „ producantur organis corporis.

§. 725. Superest argumentum tertium, quo influxus physici defensores systema, & hypothesin suam corroborare allaborant. „ Nisi talem, inquiunt, animæ, & corporis unionem statuamus, „ ut mutuum in se invicem operationem habeant, „ actiones corporis jure non possunt imputari animæ, nulla remanent virtutum ac vitiorum forma „ ac norma.

SCHOL. Observat ad hoc argumentum Bilfingerus sequentia: *Verum est*, inquit, *si physice anima influit in corpus, possunt illi operationes suæ imputari. Sed conversa non sequitur propositio: Ergo, si non physice influit, sed moraliter tantum SUUM confert, (ita tamen, ut eo posito, & propter id positum, ponatur, eo negato, & propter id negatum tollatur operatio) non potest illi imputari. Notum est in moralibus, recte effectus imputari caussæ physicæ; sed non ideo absoluti caussam moralem, propter cujus voluntatem egit physica. Conf. Dilucidat.* §. 321.

§. 726. Hæ sunt potiores rationes, quibus, commemini, influxus physici systema a nonnullis ejusdem fautoribus esse adstructum, & stabilitum. Recensui istas *historice*. Neque enim in animo est, vel de argumentis, quibus unaquæque hypothesis confirmatur, vel de difficultatibus, quibus premuntur omnes judicare. Nunc enumerabimus quoque ea, quæ Influxum physicum vel tollere prorsus, vel dubium certe reddere, posse videntur.

SCHOL. Nisi me omnia fallunt, sequentia fere contra influxum physicum moneri, deprehendo.

I.,

I. „ Vox *influxus*, inquiunt, contra sentientes, est „ vox, a rebus materialibus desumta. Quæ si „ transfertur ad animam; oppido omnis conceptus „ evanescit, nullamque cum ea ideam combinare „ possumus. Advertat, pergunt, qui sibi notionem „ cum voce *influxus* conjungere videtur, animum „ ad se ipsum, & intelliget, nihil omnino esse, „ quod vocabulis istis *influxus*, *transfusionis*, & „ *transformationis* virium respondeat, ubi ad ani„ mam transferuntur „. *Conf. VVolf. Psychol. Rat.* §. 473. II. Objicitur: „ Si anima revera in corpo„ re motum producit, id fieri debet ita; ut ani„ ma actu corpus contingat. Contactus vero possi„ bilis non est, nisi in ente materiali: Ergo si „ anima movere debet corpus, aut si ipsi imprimi „ debet idea, non potest non esse materialis; & „ ens compositum. „ III. Influxus physicus adversatur illi legi motus: *In toto universo semper conservari debet eadem virium vivarum quantitas*. „ „ Per influxum enim physicum, ajunt, vis quæ„ dam motrix oritur in aliqua materia, quæ ex „ nulla alia in eamdem derivatur. Et si corpus in „ animam physice influit; vis aliqua motrix in „ gratiam animæ perit, quæ materiæ cuidam in„ hæreat, & aliunde in ipsam derivata est. „ IV. *Bilfingerus* inter alia hoc usus est argumento contra influxum physicum. Putat, inter vires animæ appetitumque fortissimum, & motus corporis sæpius nullam esse proportionem. Vires, inquit animi, & corporis motus sunt, quoad proportionem *incomparabiles*, i. e. non possunt secum invicem comparari. Ergo actus, quales in corpore movendo experimur, non procedunt a viribus animæ influxu. Ergo anima non effective movet corpus suum. Conf. Dilucidat. §. 327.

§. 727. Hæc de influxu physico dixisse habuimus: Qui vero num possibilis sit, aut probabilis, judicet lector. Satis nobis fuerit, & argumento pro

pro influxu, & dubia contra illum commemoraſſe.

NOT. De influxu phyſico legas *Bilfingeri Dilucidat.* §. 321. *ſeq. item in commentatione hypothet. de Harmonia corporis, & animi maxime præſtabilita. Erf.* 1723. 8. item *Gottſched.* in vindic. Syſtemat. influ. phyſici Lipſ. 1727. Adde *Verdrie*. in comment. de æquilibrio mentis, & corporis. Gieſſ. 1726. 4. & denique *Ruardum Andalam* in diſſ. de unione mentis, & corporis phyſica, neutiquam metaphyſica. Halæ recuſ. 1724.

SECT. II.

De ſyſtemate adſiſtentiæ, ſeu cauſſarum occaſionalium.

§. 728.

QUod explicavimus, ſyſtema influxus phyſici eruditis arriſit uſque ad tempora Carteſii. Hic, exploſo influxu phyſico, aliam de modo commercii inter animam & corpus opinionem combiberat, nodumque, ut dicam, quod res eſt, non ſolvebat, ſed ſecabat. Opinabatur enim, *Deum*, facta ab objecto externo mutatione in organis ſenſoriis, *Deum*, inquam, convenientem repræſentationem producere in anima, &, orto in anima voluntatis decreto, *Deum* corpori imprimere ideam convenientem. Hinc modus commercium animæ cum corpore explicandi vocatur *ſyſtema cauſſarum occaſionalium*, item *adſiſtentiæ*.

SCHOL. Cum acu digitum pupugeris, & idea in anima hujus compunctionis oborta fuerit, tum ſecundum hoc ſyſtema, compunctione facta, Deus ideam in anima producit, & cum volueris, linguam, vel brachium tuum moveri, tum, ſecundum hoc ſyſtema, Deus immediate, orto decreto in anima, producit motum in corpore.

Auctor

Auctor hujus systematis, & inventor primus, ut dixi, fuit *Cartesius*, qui animæ vim corpus movendi, corporisque vim ideas imprimendi animæ prorsus denegavit. Quare affirmavit, mutatione in organis sensuum excitata; Deum vim animæ repræsentativam ita determinare, & ita dirigere, ut hæc factam in organis sensoriis mutationem sentiat, contenditque porro, orta in anima voluntate Deum ita vim movendi determinare, ut motus ille aut sequatur, aut sistatur. Adeoque mutationes, in organis sensoriis factæ, tantum occasionem præbent, qua Deus animæ assistat. Hinc hypothesis hæc dicitur *systema caussarum occasionalium*, item *assistentiæ*. *Caussas* enim *occasionales* vocamus eas, quæ vi agendi proprie destituuntur. Deo tamen agendi occasionem præbent. Ii autem, qui hoc systema defendunt, dicuntur *Occasionalistæ*.

NOT. Defenderunt autem hoc systema *Cartesius* in meditat. de philos. prima. *Malebranchius* in tr. de inquirenda veritate, *de la Forge* in libr. de mente humana, *Sturmius*, alii.

§. 729. Contra hoc systema de quo hodie, vel vix, vel non vix quidem, disceptatur, ut alia plura, ita id inprimis urgetur, quod, stante hac hypothesi, miracula sine necessitate multiplicentur. Dum enim, vi opinionis Cartesianæ, Deus immediate ad motus, in organis sensoriis factos, in anima sensationes, sive ideas producit, & ad decretum animæ motus in corpore ipse ad existentiam deducit, (§. 728.) affectus autem a Deo immediate productus, vocatur *miraculum*, (§. 458.) consequens est, ut, stante systemate Cartesiano, omnis sensatio animæ, & omnis motus corporis voluntarius pro miraculo sit habendus. Cum vero non facile miraculum patrare Deus censendus sit, si eventus via naturali impetrari queat, perspicuum est, quod si naturaliter potest fieri, ut, & cognitiones animæ, & motus in

cor-

corpore producatur, cadat *systema caussarum occasionalium*.

SECT. III.

De systemate harmoniæ præstabilitæ, sive Leibnitiano.

§. 730.

Tandem devenimus ad tertium modum explicandi commercium inter animam & corpus, qui (vi §. 720.) consistit in eo, ut nonnulli opinantur, animam, & corpus ita agere, ut *anima* omnes suas sensationes vi sua repræsentativa producat, idque nexu, & serie continua, & ut corporis motus voluntarii ex vi motrice, & structura ejusdem, secundum leges motus, proveniant, ita tamen, ut admirabilis inter sensationes animæ, corporisque motus voluntarios consensus & harmonia adsit, quæ a sapienti quadam Dei præordinatione, dispositione, & præstabilitione derivari debeat. Hic modus explicandi commercium inter animam & corpus dicitur *systema harmoniæ præstabilitæ*.

NOT. Hæc hypothesis, quæ, nostræ ætate, tam multas excitavit controversias, suam originem repetit a Leibnitio. Cum enim persuaderet sibi Leibnitius, nec influxum physicum posse cum immaterialitate animæ naturæque ordine stare, nec systema caussarum occasionalium, ob infinities multiplicata miracula, turbatumque naturæ ordinem posse admitti, plures annos parturiebat novam, tertiamque de commercio animæ, & corporis, opinionem, donec tandem harmoniam præstabilitam, tamquam fœtum ingenii fecundissimi, eniteretur.

Scilicet, cum per decem fere annos de nova hypothesi cogitasset Leibnitius tandem eam cum

 eru-

eruditis communicabat, & primum quidem omnium in Jornal des Scavans A. clo Iocxcv. d. XXVII. Jun. & IV. Jul. Per id tempus in reliquis suis scriptis eandem identidem proposuit, latiusque eam explicavit cum in Monadologia: tum in Theodicæa §. 61 seqq. Leibnitio, ut in aliis rebus ita in hac quoque hypothesi assentiebatur illustris *Wolfius*, cumque hoc Bilfingerus. alii.

SCHOL. Vocavit autem Leibnitius hanc suam commercii animæ corporisque explicationem *Harmoniam præstabilitam*. *Harmoniam* quidem, quia inter animam & corpus, ex ipsius eruditorumque aliorum sententia, deprehenditur exacta convenientia, consensusque amicissimus. *Præstabilitam* vero ideo nominat, quia putat, hanc harmoniam, & consensum mutuum corporis operationumque animæ non dependere a mutuo influxu, sed a sapienti quadam Numinis præordinatione, dispositione, & præstabilitione per quam ita jam omnia sint coordinata, ut sibi invicem exacte respondeant, animæ scilicet sensationes motibus corporis, motusque corporis decretis & voluntati animæ.

§. 731. Exposita ita origine *Harm. præstab.* historica, enodatisque vocum *Harmoniæ*, & *præstabilitæ* significationibus, nunc in eo erimus, ut ipsam harmoniam præstabilitam, ex mente Leibnitii, Wolfiique, plenius uberiusque interpretemur. Ad quod rite præstandum juvabit ad duas potissimum attendere quæstiones. I. Quæritur, quomodo in Systemate Harmoniæ præstabilitæ anima se habeat in *sensationibus*, sive qua ratione fiat, ut, dum ab objectis externis in organis sensoriis certa quædam contingit mutatio, anima eo ipso momento sibi repræsentet id, quod in organis sensoriis mutationem producit. II. Quæritur, quomodo se habeat corpus in *motibus*, ad decretum animæ factis, sive, qua ratione fiat, & fieri possit, ut, dum anima vult; linguam, & brachium move-

moveri, lingua quoque, & brachium ceteraque membra, moveantur.

§. 732. Ad primam quæstionem, quod attinet; respondent Harmoniæ præstabilitæ defensores, nec corporis fluidum nerveum per motum suum producere ideas, & sensationes in anima, uti in influxu physico; (§ 720.) nec Deum quoque immediate ideam, sive perceptionem imprimere animæ, ut in systemate causarum occasionalium, sed animam agere, quod suum est, ita quidem, ut omnes perceptiones sive sensationes *vi sua intrinseca* producat. Quod ut intelligas rectius, mentem Leibnitii paucis, at perspicuis, positionibus includam.

§. 733. Prima itaque propositio hæc esto: ANIMA VI, SIBI DIVINITUS INDITA, OMNES SUAS SENSATIONES, sive PERCEPTIONES PRODUCIT, ita, ut anima nullas extrinsecus adsciscat ideas, nullas, ex organis sensoriis imagines accipiat, sed ad instar automati, quod internum suarum operationum habet principium, omnes suas sensationes, sive perceptiones ex se ipsa eliciat, & deducat.

SCHOL. Hac propositione se vel maxime distinguit systema H. P. a systemate influxus physici, vel caussarum occasionalium. Si scilicet harmoniæ præstabilitæ defensorem interrogaveris: qui fit, ut, facta in organis sensoriis mutatione, anima sentiat id, quod extrinsecus animam afficit, tum respondet: *Anima sensationem* S U A V I *producit*. Testatur id Leibnitius, ut in aliis pluribus suarum scriptionum locis, ita imprimis in quinto adversus Clarchium scripto §. 84. Ubi, „ *non consentio*, inquit, *communibus philosophorum dictis*, „ *donec imagines*, *verum auxilio sensuum in anima repræsententur*, *vel transferantur*, Conf. Responf. Antibail. p. 70. not. 6. „ Ubi *melius dicitur*, *quod Deus*, *cuicumque animæ virtutem dederit*, *qua totam mundi fabricam in propria*

X 2 na-

natura, quam repræsentat sibi imaginari, vel repræsentari possit. Si de ratione quæras, qua adductus Leibnitius vim animæ tribuit repræsentativam, inter alias eam adduci scito, quod anima sit substantia simplex, omnis autem substantia simplex vi agendi, repræsentandi, adeoque, & sensationes producendi gaudeat. Wolfius vero in Metaphys. Germ. §. 765. hanc in rem ita: *Cum anima propriam virtutem habeat, qua sibi repræsentet mudum, e contra vero omnes naturales mutationes corporis in sua natura, & essentia fundatæ sint, hinc clare patet, quod anima agat, quod in se est, & corpus pariter pro se mutationes habeat, sine eo, quod, vel anima in corpore, vel corpus in anima operetur &c.*

SCHOL. Ex hac assertione, qua animæ tribuitur vis sensationes, & perceptiones producendi, enatæ sunt quædam locutiones, & propositiones, quæ minus commodæ nonnullis videntur. Prima earum hæc est: *Anima est automatum incorporeum, & spirituale*. Conf. Theodicæa Part. I. §. LII. p. 163. Quo sensu autem anima a Leibnitio appellatur *automatum incorporeum*, ostendit definitio automati incorporei, quam suppeditat *Hanschius*: „ Automatum incorporeum, inquit, est ens simplex „ cujus mutationes secundum legem appetituum „ ex essentia ejus successive consequuntur, ut in „ præcedenti mutatione ratio sufficiens existentiæ „ consequentis mutationis contineatur. „ *Princ. phil. Leibn. p.* 54. Negari non potest, compluribus hanc loquendi rationem, qua anima vocatur αὐτόματον fuisse offensioni, & multas excitasse controversias. Quare *Bilfingerus*, cum in *Commentat. de H. P.* tum in *Dilucidat.* maximopere in eo occupatur, ut hanc locutionem ab omni mali suspicione liberet. „ Memento, inquit, animam in „ sensu propriissimo esse αὐτόματον: Αὐτόματον, ex „ mente Lexicographorum, descendit ab αὐτος *ip-* „ *se*, & μαω *desidero*, *vehementer appeto*. Est igi- „ tur αὐτόματον ens se ipsum desiderativum sive,

„ cujus

„ cujus mutationes ab ipso appetitæ sunt. Id animæ competit propriissime, quicquid in illa fit, „ fit per appetitum internum, sive per appetitum „ suum." Quicquid vero hujus fit, nolim tamen ego animam vacare αὐτόματον. Conf. *Bilfingeri* Dilucidat p. 346. seqq. Inconveniens illa quoque videtur esse locutio, qua nonnulli Harmoniæ præstabilitæ defensores utuntur, cum ajunt, *animam omnes suas perceptiones ex se ipsa evolvere*. Quamvis enim norim, nihil aliud hac locutione velle intelligi Harmonistas, quam id, quod anima omnes suas sensationes vi sua intrinseca producat, quodque suarum mutationum principium fit, & caussa, dedit tamen nonnullis ansam sibi persuadendi, Leibnitium cum Wolfio reminiscentiam Platonicam asserere, & affirmare, omnes ideas in anima jam dudum actu delituisse, ita ut tantum opus fit, occasione mutationum, in organis sensoriis factarum, ipsas proferri, ut merces mercatorum e cista, & si volverint ementes, promi pro lubitu, & ostendi solent. Tantum de propositione Harmonistarum prima.

§. 734. Altera propositio, quam Harm. præst. defensores in medium proferunt, hæc est: ANIMA OMNES PERCEPTIONES, sive SENSATIONES CONTINUA SERIE PRODUCIT, ITA, UT SEQUENTES SENSATIONES EX ANTECEDENTIBUS RESULTENT, ET TERTIA FLUAT EX SECUNDA, SECUNDA EX PRIMA.

NOT. Hanc perceptionum, sive sensationum successionem, & seriem, quæ in systemate H. P. admittitur a defensoribus, Leibnitius cum aliis ex eo deducunt, quod animæ status sequens semper in antecedenti sui rationem sufficientem habeat, ita, ut sensatio prima sit caussa sensationis secundæ, & secunda sit caussa tertiæ; sive, ut Leibnitius loquitur, *ut præsens sit gravidum futuro*.

SCHOL. Hanc vero sensationum cohærentiam, & nexum, putant plerique nonnunquam ipsi H. P.

patroni, esse experientiæ sensuique communi prorsus contrariam. Adducam quæ *Cel. Hollmanus* in dissertat. II. de Harm. præst. p. 9. contra hanc sensationum cohærentiam, & successionem erudite profert. „ Cogitemus modo, inquit,, quotiescumque nobis non accidat, ut v. c. in campum „ egressis nobis innumera fere se offerant objecta, „ inter quæ, ne minima quidem deprehendi connexio potest, ideoque nec cogitari quidem, „ quomodo ex una idea reliquæ successive nasci „ queant, cum diversissimæ sint, nec quicquam „ sæpius, nisi communem conceptum ens, commune habes. Videmus enim, & solem, & cœlum, & nubes, & terram, & herbas, flores, „ nunc aves, & apes, muscas, mures, & lepores „ nunc boves arantes, nunc tripudiantes, eaque eo „ omnia ordine, quo excitari ab invicem ideæ ille nunquam possunt.

Ipse Reinbeckius, qui Harm. Præstabilitam distinctius explicavit, & quodam etiam modo defendere videtur, non negat, illam, quæ a Leibnitio aliisque H. P. amatoribus tradatur, illam, inquam, sensationum connexionem, & cohærentiam obstare, quo minus harmonia præstabilita in omnibus accipi ut vera queat. *Stat aliquis*, inquit, *vespertino tempore ante januam suam, & considerat cœlum stellis ornatum. Eodem momento videt volantem Draconem. Immediate post audit a longe exonerare sclopetum. Vix hoc audito, sentit se pungi a musca, & statim vocat ipsum inopinate suus vicinus. Ex his omnibus sequuntur immediate repræsentationes harum rerum in anima; deberent igitur juxta hypothesin non solum illæ, sed etiam istæ res exteriores, quæ sentiuntur immediate, harmoniam habere. Tandem sequuntur quidem immediate exteriores contingentiæ, in quibus tales sensibilitates conveniunt. Verum nullus ostendere poterit quod etiam istæ immediate connexionem, & harmoniam haberent, quod tamen juxta harmoniam præstabilitam*

tam esse deberet. Conf. *Ipsius commentatio de Harmonia præstabil. pag.* 45.

§. 735. Duæ hæ, quas adduximus, propositiones pertinent ad animam, ejusque *facultatem sensitivam*. Nunc eas quoque afferemus positiones, quæ explicant modum, quo in corpore ad voluntatis decretum motus eveniant.

§. 736. Si itaque, quo in corpore motus ad animæ decretum contingant, quis nosse avet, attendat ad has positiones.

I. CORPUS VI STRUCTURÆ SUÆ OMNES MOTUS PRODUCIT.

II, OMNES MOTUS SEQUUNTUR IN CORPORE CONTINUA SERIE, & SUCCESSIONE CONTINUA EX MOTIBUS ANTECEDENTIBUS.

Si ergo ex Harmoniæ, præstabilitæ defensore quæras, qui fiat, ut, dum vis linguam movere; eo ipso momento lingua quoque moveatur, respondebit; Hic linguæ motus ex alio motu præcedenti legibus motus & structuræ convenienter sequitur.

§. 737. Cum itaque anima sentiendo, in systemate H. P. seorsum agat, (§. 733.), & corpus omnes motus serie continua structuræ conformiter producat, (§. 736. mirum videri poterat, duas has substantias, a se invicem diversissimas, nec agentes in se invicem. tam belle tamque exacte in suis operationibus consentire, ita, ut, facto motu in organis sensoriis, extemplo anima sensationem sibi formet, &, ad voluntatis decretum, hic nec alii, sequantur motu in corpore.

§. 738. Hic ergo H. P Patroni ad summam Numinis divini sapientiam, & potentiam confugiunt. *Deus*, inquiunt, *qui prævidit*, *quænam potissimum anima ex mille aliis corpori huic harmonice sociari posset*, *& quodnam vicissim corpus huic animæ*, *Deus hic sapientissimus illud animæ corpus associavit*, *cujus motus voluntati animæ*, *& decretis respondent*, *& eam cuique corpori animam adjunxit*

quæ in perceptionibus suis attemperaretur motibus in organis, en oriis factis.

Illustratur hac, divinitus constitutâ, harmonia exemplo a duobus horologiis, exacte inter se consentientibus desumto. Duo, inquiunt, dari possunt horologia, in quibus conspiciatur, & horarum, & minutorum mensuræ exactissima convenientia. Hæc harmonia, & convenientia potest locum habere, quamvis horologium A, non agat in horologium B, illudque moveat, sed hæc harmonia potest ortum trahere a sapientis artificis ordinatione, qui quo hæc horologia ita construere novit, ut, alterum alteri attemperatum, exactissima servent harmoniam. Quidni itaque pergunt, possibile esset Deo, tales substantias inter se se jungere, in quibus compareret summa mutationum, & operationum omnium consensio, sine mutuo tamen influxu sed a sola sapientia Dei conditoris orta.

§. 739. Hæc sunt fere, quæ ad harmoniam præstabilitam rectius intelligendam pertinent. Restat, ut, & *prærogativas*, quibus hæc hypothesis præ cateris systematibus gaudere dicitur, & difficultates, que eam circumstant, enumeremus.

§. 740. Prærogativæ H. P. quas ostentant defensores, potissimum sunt sequentes.

I. In harmonia præstabilita animæ idea motusque corporis via maxime naturalis explicari, affirmant.

II. In nullo systemate, contendunt, sapientiam divinam ita extolli, quemadmodum in systemata harmoniæ præstabilitæ, ut adeo systeme hoc vocent speculum sapientiæ, & potentiæ divinæ.

III. In systemate H. P. majores virtutes, & perfectiones tribuuntur animæ, omnia vi sua, sine corporis assistentia, & influxu paragenti, quam in cæteris systematibus.

IV. Harmoniam præstabilitam, denique pertendunt, immaterialitatem, & immortalitatem animæ vel

vel maxime adstruere, quam nemo possit negare, qui harmoniam præstabilitam concedat.

§. 741. Quod ad difficultates, quibus premitur Harmonia præstabilita, attinet, earum jam dudum quasdam recensuimus. Restant tamen aliæ, quas attingere nostrum est.

SCHOL. Præcipua, & prima objectio, quæ contra H. P. formatur, nisi fallor, hæc est: (1) In systemate H. P. homo constat ex duplici automato, materiali altero, scil. corpore, altero immateriali, scil. anima. In automato vero sive, machina ubi libertas? *Respondent* Leibnitiani: Quod ad corpus attinet, ei nunquam libertas tribui potest, quia ad libertatem requiritur intellectus, quo corpus destituitur. Animæ vero in systemate Harmoniæ præstabilitæ neutiquam denegatur libertas, cum tantum respectu *sensationum*, non vero respectu cæterarum cogitationum, & appetituum, anima dicatur αὐτόματον. Sensationes vero in nullo systemate sunt liberæ. (2) Si motus corporis in systemate H. P. oriuntur ex motibus præcedentibus, quibus corpus non potest resistere, non sunt liberi; *Respondent* defensores: Motibus corporis in se nec competit libertas, quia libertas tantum tribuenda est animæ. (3) Si corpus motus etiam malos præstat mechanice, sequitur, quod non possit puniri; *Respondent* Harmonistæ: Pœna in corpore exercetur, non propter libertatem ejus, sed ut anima sentiat dolorem. Plura, & graviora dubia qui sibi vult reddere perspecta, is *Bilfingerum* adeat in *Comment. de H. P. & Diluc. philo*. §. 346.

SCHOL. Cæterum negari non potest: Harmoniam præstabilitam a multis esse huc dum defensam, a pluribus vero impugnatam. Defenderunt nimirum eam *Leibnitius*, *VVolfius*, *Bilfingerus*, *Hanschius*, *Thummigius*, *Schreiberus*, & nuper eandem ita explicavit *Reinbeckius*, ut haud obscure prodere videatur, hanc hypothesin, si recte explicetur, omnino posse defendi, certe non debere illam, ut peticu-

riduli plenam, libertatique inimicam, explodi. Eandem vero impugnarunt *Clerckius*, *Bailus*, *Tourneminus*, *Lami*, *Langius*, *Andala*, *Buddeus*, *Wachcrerus*, *Hellmannus*, & nuper etiam *Mullerus*, Profeſſor Gieſſenſis. Et quis omnes illas ſcheudulas ſcriptionesque enarrabit, quæ contra harmoniam præſtabilitam a novis magiſtris, famam, & gloriam aucupantibus, ſunt editæ? Legantur præ ceteris omnibus *Bilfingerus* in locis citatis, *Reinbeckius*, in tr. de harmonia præſtabilita, & *Hollmannus* in duabus diſſertationibus de Harmonia præſtabilita, item in epiſtolis quas vocat amoebæis, *Gotſchedius* in vindiciis.

§. 742. Noſtrum nunc eſſet, de ut his tribus, ſyſtematibus generatim: ita imprimis de Harmonia præſtabilita, ſententiam noſtram exponere. Sed cum de hypotheſi diſputetur, de qua in utramque partem poteſt diſputari, tuo ipſe utere, Lector, judicio, meque meo frui patiare. Quam tibi deprehendis eſſe probabiliorem, eam, ut probabilem aſſumas, quæ minus probabilis tibi videtur, eam, ut minus probabilem, rejicias. Cave vero, eum, qui abs te diſſentit, vel Atheum eſſe putes, vel religionis veræ irriſorem. Non enim de ſalute Græciæ aut reipublicæ, ſed de hypotheſi philoſophica, & problemate diſputatio inſtituitur.

§. 743. Sub finem capitis vehementer opto, ut ſopiantur tandem ſuperfluæ illæ controverſiæ, quæ, de his tribus ſyſtematibus, obortæ, maximorum Theologorum animos diſtraxerunt, &, ſparſis diſcordiæ ſeminibus, multa in rempublicam litteratam mala invexerunt.

CA-

CAPUT III.

De immortalitate animæ.

§. 744.

Accedimus nunc ad animæ immortalitatem, quam permultum intereſt, legitime, & ex principiis rationis ſolide demonſtrari. Cum vero animæ immortalitas recte demonſtrari non poſſit, niſi antea notio immortalitatis fuerit diſtinctius enodata, primum, quid intelligi velimus per animæ *immortalitatem*, ſumus expoſituri.

§. 745. Ut vero notio *immortalitatis* recte formari queat, ita quidem, ut uſus fert loquendi, in notionem mortalitatis antea inquiramus, oportet, &, quid ſit *mori*, quid ſit *interire*, diſpiciamus. Sic enim, oppoſitis juxta ſe poſitis, clarius, quid ſit *immortalitas*, diſpaleſcet.

§. 746. Corpus noſtrum ex uſu loquendi dicitur *mori*, quando omnia ejus membra, & organa a functionibus ſuis penitus ceſſant. Hunc ſtatum comitatur ſanguinis ſtagnatio, ex quo putredo oritur, ex putredine vero provenit partium diſſolutio, qua notione *interitus* continetur.

§. 747. Si itaque anima humana mori deberet, omnes ejus repræſentationes, & appetitiones, ipſaque animæ vis, quæ ejus eſſentiam conſtituit, ceſſaret. Neque per ſolutionem partium, ſi interire deberet, interiret anima, quia eſt ens ſimplex. (§. 695.) ſed, ſi interiret, periret per annihilationem, (§. 286.)

§. 748. *Anima* itaque erit *immortalis*, ſi poſt mortem corporis operationes ſuas, i. e. repræſentationes, & appetitiones continuat. Cum vero repræſentationes, & appetitiones continuari nequeant, niſi vis repræſentandi continuo duret, atque adeo anima, quoad eſſentiam ſuam perſe-

ve-

veret. (§. 715.) consequens est, ut ad immortalitatem animæ recte requiritur, ut ipsa post mortem corporis, qua vim, & essentiam suam, perennet.

§. 749. Si itaque verum est, ad immortalitatis animæ notionem postulari, ut ipsa suas continuet perceptiones, & appetitus, (§. 749.) nostræ autem perceptiones, dum vivimus, sint ejusmodi, ut anima se ab aliis rebus, aliasque res a se invicem discernat, adeoque sui sibi conscia sit, (§. 484. 487.) liquet, ab immortalitate animæ non posse sejungi statum perceptionum distinctarum, & conscientiam sui.

§. 750. Tria ergo immortalitatis requisita cum VVolfio, Bilfingero, Thummigio, aliis, statuimus. I. Ad immortalitatem animæ pertinet, *ut ipsa a morte corporis superfit, & existentiam suam continuet, neque adeo pereat*, (§. 748.) II. Ut anima sit immortalis, postulatur, ut in statu perceptionum distinctarum perseveret (§. 749.) III. Ut sui sibi sit conscia atque adeo statum præteritum possit recordari, eosdemque ad se pertinere agnoscat. His in summam collectis, sequens *immortalitatis animæ* definitio exsurget: *Immortalitas animæ* est perseverantia animæ post mortem corporis in existentia, statu repræsentationum distinctarum, & conscientia sui.

SCHOL. Hanc immortalitatis notionem debemus VVolfio, qui, confusionem indestructibilitatis animæ cum ejusdem immortalitate evitaturus, ita definit immoralitatem animæ: *Est potentia* perseverandi a morte corporis in statu perceptionum distinctarum & conservandi memoriam sui. *Conf. Psychol. Rat. p.* 657. Eandem notionem immortalitatis nos ipsa sacra scriptura edocet, exemplo divitis illius Helluonis, cujus fit mentio Luc. XVI. Hujus anima existere pergebat post mortem, sentiebat enim cruciatus. Perceptiones item distinctas habebat, poterat enim se a Lazaro distinguere, statuum quoque præteritorum recordabatur, eos-
dem-

demque ad se pertinere, agnoscebat, id quod, vel ex eo patet, quod fratrum suorum recoleret memoriam. En tria immortalitatis requisita a nobis allegata. (750.)

§. 751. Quicunque igitur rite demonstrare vult animam esse immortalem, ei demonstrandum (α) est, animam perseverare post mortem corporis in existendo. (β) Animam continuare perceptiones suas, & quidem distinctas. (γ) Animam sui, statusque præteriti esse adhuc conscíam.

SCHOL. Sunt quidem, qui satis habent, demonstrasse, animam post mortem corporis perseverare in existendo, quique adeo arbitrantur, animæ immortalitatem esse demonstratam tum, cum ejusdem indestructibilitas demonstrata est. At fac, te demonstrasse, animam perseverare in existendo; fac vero, animam esse in stupore quodam, & versari in statu obscurissimarum idearum, id quod olim secta Arabicorum opinabatur. Num hæc esset immortalitas? plura ergo, quam sola indestructibilitas animæ, sunt demonstranda, si quidem animæ immortalitas demonstrari debeat. Agendum itaque, singulas propositiones, ad corroborandam animæ immortalitatem pertinentes, perpendamus, &, qua quæque ratione communiri debeat, videamus.

§. 752. *Anima cum corpore interire nequit, sed in existentia post mortem corporis perseverat.*

Demonstr. Cum enim anima sit ens **simplex**, (§. 695.) ens simplex autem ob partium carentiam dissolvi corrumpique, ac interire non possit, (§. 272. 286.) consequens est, ut anima post mortem cum corpore non simul pereat, sed in existendo perseveret.

Poterat hoc theorema ita quoque demonstrari: Anima est ens simplex. (§. 695.) Ens simplex, si interit, interire debet in instanti, (§. 282.) Ergo anima, si interit, interire debet in instanti. Si anima interit in instanti, interit miraculose, quia quod

quod fit in instanti, non habet eventus antecedentes, & naturales. (§. 281. 458.) id vero, quod ex caussis, & statu antecedente concipi non potest, dicitur *supernaturale*, sive *miraculum*, (§. 558.) si vero interit miraculose, sequitur, Deum ejus interitus esse caussam, quia miracula habent rationem sui sufficientem in caussa extramundana, sive Deo. (§. 462.) Quamvis igitur Deus possit animas annihilare & destruere, quæritur tamen, num velit, & num illa destructio, sive annihilatio ex natura, & essentia animæ fluat? Ipsum autem nolle probatur ex fine miraculorum. Inter alios fines, quos Deus in patrandis miraculis intendit, & hic est, ut nos reddat attentos. Nunc vero, dic, quæso, quam familiaria, & vilia apud nos tandem futura essent miracula, si vellet Deus tot perpetrare miracula, quot millia animarum interirent. *Conf. Braunii disp. de statu animæ post mortem. p. 13. seq.*

§. 753. *Anima post mortem perceptiones suas continuat.*

Demonstr. Cum enim anima post mortem in existendo perduret, (§. 752.) consequens est, ut etiam anima post mortem, suam adhuc habeat essenaiam, quia essentia ab ente, cujus est essentia, separari non potest, & omne ens debet habere suam essentiam. (§. 69.) Essentia vero animæ est vis repræsentandi. (§. 715.) Ergo post mortem durat vis repræsentativa, quæ est fons omnium perceptionum, & principium omnium operationum in anima. Si vero vis animæ repræsentativa durat post mortem, & omnis vis transit in actum, nisi impedimentum adsit, (§. 300.) intelligitur, vim repræsentativam animæ post mortem corporis producere repræsentationes, maxime cum nullum impedimentum ne fingi quidem possit, quod fontem perceptionum in anima, puta vim repræsentativam, obstruat.

NOTA Nonnulii Harmoniam suam præstabilitam hic

hic commendant, atque putant, cum per harmoniam præstabilitam corpus nihil ad animæ perceptiones conferat, sed anima easdem vi propria producat (§. 733.) nullam adesse rationem, cur anima, corpore licet in morte intereunte, post mortem superstes non versetur in statu perceptionum, easdemque continuet.

§. 754. *Anima non modo post corporis mortem perceptiones suas continuat, sed quoque in statu perceptionum distinctarum versatur.*

Demonstr. Cum enim omnis confusio in perceptionibus; sive repræsentationibus proveniat a sensuum limitatione, (§. 81. Log.) in morte autem corporis organa sensoria plane a functionibus suis cessent, (§. 746.) limitatioque adeo, per organa sensoria producta desinat, consequens est, ut caussa confusionis sublata, ipsa cesset repræsentationum confusio. Cum autem anima perceptiones suas continuat & libera tamen est a confusione, sequitur, ut animam post mortem corporis versari in statu perceptionum distinctarum, contendamus.

Sunt, qui hoc theorema evicturi, argumentum quoddam adducunt, quod ab *analogia* desumtum est. Sic rationes suas fere conficiunt: *Res naturales* inquiunt, *in vicissitudinibus suis extantioribus perficiuntur potius, quam destruuntur*. Idque comprobare ipsam animam, ajunt, quippe quæ in generatione, una cum corpusculo organico uterum matris intret, ex statu obscurarum perceptionum in statum claritatis progrediatur. „ Hinc colli„ gi debere, existimant, anima in morte corpo„ ris, ubi novam rursus, & magnam subeat muta„ tionem, non modo pristinas, quas in vita ha„ buit, perceptiones claras retinere, sed in majo„ rem quoque claritatis distinctionisque gradum „ progredi. „ De hoc argumento videatur *Thummigius in dissertat. de immortal.* item *Bilfingerus in Dilucidat.* §. 361.

§. 755. *Anima, post mortem corporis, sui adhuc sibi conscia est, seque eandem adhuc esse agnoscit, quæ antehac fuerat in vita mortali, status item præteriti memoriam conservat.*

Demonstr. Cum enim anima post mortem corporis versetur in statu idearum distinctarum, (§. 754.) consequens est, ut anima post mortem corporis se ab aliis rebus resque ipsas extra se, a se invicem discernat, (§. 494.) Quo ipso vero cum sit conscia sibi sui, (§. 484.) dubitari non potest, animam post mortem corporis esse sui sibi consciam, atque adeo agnoscere, se esse eandem, quæ fuerit in hac vita mortali. Si itaque anima post mortem corporis agnoscit, se esse eandem, quæ fuerit in vita mortali, consequens est, ut status præsens, cum præterito connexus, per legem phantasiæ, sive imaginationis, ipsi in memoriam revocet statum præteritum. Adeoque ipsa memoriam conservabit status præteriti.

SCHOL. *Cl. Canzius in usu philosophiæ Leibnit. & VVolfianæ in Theologia hac de re præclare.* „ Præsto est ratio, ut anima perseveret, status enim „ consequens pendet ex statu antecedenti. Atqui „ in statu antecedenti erat idearum distinctarum, „ & conscientiæ fons uberrimus, cur igitur protinus exaresceret? Si anima, sui conscia, post „ obitum existit, ut etiam eandem se agnitura sit, „ quæ antehac fuerit in vita mortali. Consequentes enim fluunt ex antecedentibus. „ Phantasiæ regula poscit, ut, quoties idea offertur, quæ quid commune habet cum alia, olim in diversa serie observata, toties præteriti status memoria animum subeat. Cum igitur in anima separata plures oriantur notiones, ex antecedentibus consecutæ, quæ non possunt non aliquid cum illis habere commune; sentiet profecto anima, se eandem esse quæ fuit ante mortem. *T. I. p.* 284.

§. 756. *Hæc itaque evincunt, animam esse immortalem.*

De-

Demonstr. Cum enim anima post mortem in existendo perseveret, (§. 752.) perceptiones item suas continuet, (§. 753), & denique cum conscientia sui memoriam status præteriti conservet, (§. 755.) hæc tria vero requirantur ad immortalitatem, (§. 750.) intelligis, animam esse immortalem.

SCHOL. Hoc argumentum pro immortalitate animæ vocant *intrinsecum*, quia ex interna animæ vi, natura, & essentia est desumtum. Latius hoc argumentum explicavit *Thummigius* in peculiari dissertatione, quæ inscribitur: *Demonstratio immortalitatis animæ, ex intima ejus natura deducta. Halæ clɔ lc CCXXI*, Non nego, a pluribus plura ad demonstrandam immortalitatem animæ argumenta esse deducta, nec iniri fere eorum potest numerus qui animæ immortalitatem assertum eunt. *Conf. Fabric. in Syllabo scriptorum de veritate religionis Christianæ*.

SCHOL. Cel. Syrtius argumento, quod a desiderio hominis infinito pro animæ immortalitate desumit, plurimum tribuit. Nervus vero, & robur hujus argumenti consistit in his positionibus:

(1) *Quæcumque anima naturaliter intelligit bonum infinitum, illa etiam naturaliter appetit tale bonum.*

(2) *Quidquid naturaliter appetit bonum infinitum, illius desiderium non potest esse frustra datum.*

(3) *Cujus desiderium infinitum non potest esse frustra datum, illud naturaliter destinatum est ad bonum infinitum.*

(4) *Quidquid naturaliter destinatum est ad bonum infinitum, illud etiam tali bono frui potest.*

(5) *Quidquid frui potest bono infinito, illud durare debet in infinitum.*

(6) *Quidquid durare debet in infinitum, illud non potest mori, adeoque est immortale. E.*

(7) *Anima hominis est immortalis*. Conf. Syr-

tii Philosoph. Rat. p. 241. & disputat. ejusdem de desiderio hominis infinito.

NOTA. Quæ contra hoc argumentum moveri excipique cum specie possent, indicat *Canzius in Jurisprudentia Theologia, sive de Civitate Dei*, *pag.* 110. *seqq.*

SCHOL. Aliud, præter recensita, argumentum adhuc adhiberi solet cum animæ immortalitas est demonstranda. Scilicet ita ratiocinari video quosdam; „ Homo sæpe in hac vita agit male, nec tamen accipit pœnas. Ergo aut Deus non est justus, „ aut status post mortem superesse debet, in quo „ bonis bene sit, malis male, „ Contra hoc argumentum, a justitia divina desumtum, nonnulla sunt, quæ monet *Bilfingerus in Dilucidationibus* §. 362. (α) Ex hoc argumento sequi, putat, etiam corporis immortalitatem, (β) non sequi perennem animæ durationem, si quidem fortassis tempore finito pœnæ vel præmia accipi possint. (γ) Sequi ita animæ immortalitatem tantum pro illis, qui præmia bonorum factorum, & pœnas malorum factorum in hac vita non acceperunt.

NOTA. Qua felicitate aut quo tædio anima afficiatur post mortem; aut residietne perpetuo illa in corpore suo, an extra illud commoretur, non subtilius disputabimus hoc loco, cum hæc omnia ex revelatione, quam ex ratione, rectius sciantur. Legatur interim *Braunii dissertatio de statu animæ humanæ post mortem corporis sui, vel beato, vel damnato, ex principiis sanioris philosophiæ deducto, Halæ hab.* 1726.

CA-

CAPUT IV.

De animabus brutorum.

§. 757.

SAtis jam, satis exposuisse nobis videmur animæ nostræ virtutes statumque post mortem corporis. Unicum hic adjungere licebit caput de *animabus brutorum*, quas alio alii modo explicant; Nos vero principia jam dum a nobis stabilita secuti; quod sanior hic tradat philosophia, edocebimus.

§. 758. *Bruta sunt animabus prædita, quæ ab ipsorum corpore prorsus distincta, objecta, in organa sensoria agentia, sibi repræsentant.*

Demonstr. In brutis (α) deprehendimus, experientia teste, organa sensoria, (β) deprehendimus in ipsis quoque cerebrum, cerebro humano simile. Jam vero, cum hunc organorum sensoriorum cerebrique in homine usum, finemque adeo divinum esse, nemo neget, ut per organa sensoria vis repræsentativa animæ limitetur, nobisque perceptiones formare possimus, recte inde colligimus, eundem esse horum membrorum in brutis finem divinum. Atque adeo liquet, brutis æque, ac hominibus, competere animas, quæ res extrinsecus in organa sensoria agentes, sibi repræsentent, & quidem pro mutationibus, in organis sensoriis factis.

§. 759. *Bruta cogitant.*

Demonstr. Cum enim experientia testetur, bruta, ope sensuum, se ab aliis rebus discernere, & res extra se invicem, consequens est, ut bruta, & sibi sui, & rerum extra se positarum sint conscia (§. 484.). Cum autem, qui conscientia sui rerumque extra se positarum gaudet, dicitur *cogitare* (§. 491.) bruta cogitare, dubitari non potest.

§. 760. *Bruta non modo habent ſenſationes, ſed imaginatione quoque, & memoria gaudent.*

Demonſtr. Cum enim quotidiana teſtetur experientia, in brutis, quum duæ ſimul adfuerunt ſenſationes, & una earum reproducitur per ſenſus, reproduci quoque alteram. Ita videmus, in cane, cum dominum obſervat baculum, quo ſemel iterumque fuit percuſſus, elevare, oppido ideam verberum excitari, id quod indicat abitus feſtinatus, & vociferatio lamentabilis. Quæ omnia cum ſint effectus imaginationis, ſive phantaſiæ (§. 509.) dubium non eſt, brutis competere phantaſiam, ſive imaginationem, &, cum conſcientia ſui gaudeant, (§. 759.) mirum non eſt, ipſa quoque noſſe, eſſe reproductas ſenſationes eaſdem, quas olim habuerunt, quod eſt operatio memoriæ (§. 536.)

§. 761. Patet ergo, bruta, ut homines, agere ſecundum legem imaginationis, quod pluribus, ex experientia deſumtis exemplis, poteſt comprobari. De lege autem imaginationis videas §. 509. ſeqq.

§. 762. Bruta gaudent appetitu ſenſitivo, & averſatione ſenſitiva, ipſam quoque legem appetitus, & averſionis ſequuntur, id quod iterum experientia poteſt comprobare.

§. 763. *Bruta carent ideis rerum diſtinctis, & hinc etiam intellectu.*

Demonſtr. Cum enim bruta ſermone, & vocibus articulatis careant per experientiam, ſine ſermone autem, & vocibus articulatis ea, quæ in objecto totali aliquo diſcerni poſſunt, dignoſcere nequeamus, adeoque ad diſtinctas etiam ideas pervenire non poſſimus, (§. 563.) bruta carere ideis rerum diſtinctis, in aprico eſt. Et quia intellectus eſt facultas res ſibi *diſtincte* repræſentandi, (§. 549.) neceſſe eſt, ut intellectum bruto denegemus.

EXEMPL. Canis e. gr. format quidem ſibi ideam

canis

canis hujus, & illius, sed sensibus acquisitam, & confusam. Non vero ita sibi formare potest notionem *corporis*, generatim spectati, ut possit sigillatim sibi sistere, quænam sint notæ characteristicæ, quibus corpus generatim spectatum, ab omnibus aliis rebus discernantur.

§. 764. Cumque abstractio sine ideis distinctis non habeat locum, (§. 560.) notionesque universales formari non possint, nisi mediante abstractione, (§. 111. Log.) evidens est, nec abstractione, nec facultate, notiones universales sibi formandi bruta esse instructa.

§. 765. Ex quo apparet, nec judicia universalia formare ipsis esse datum. Judicia enim sunt combinationes, vel separationes idearum. Ergo judicia universalia sunt, cum notiones universales combinamus, vel separamus. Cum vero notiones universales formare non possint, (§. 764.) palam est, nec judicia universalia ab ipsis posse formari.

EXEMPL. *Canis* e. gr. *equus* &c. non potest sibi universalem notionem, vel *legis*, vel *spei*, vel *virtutis vitiique*, ut homo formare, nec fieri potest, ut equus aut canis ita judicent, *virtus est legi conformis*, *vitium difforme*. Sunt enim hæ notiones universales, sunt hæc judicia universalia, quæ non possunt cadere in quemquam nisi distinctis gaudeat ideis adeoque intellectu.

§. 766. *Bruta nexum veritatum universalium distincte perspicere non possunt.*

Demonstr. Cum enim bruta neque notiones; neque judicia universalia, sibi formare possint, (§. 764. 765.) omnibusque repræsentationibus distinctis careant, (§. 763.) facile patescit, bruta quoque nexum veritatum universalium distincte perspicere non posse.

§. 767. *Bruta carent ratione.*

Demonstr. Cum is gaudeat ratione, qui nexum veritatum universalium distincte perspicere possit,

 (§. 572.)

(§. 572.) bruta autem nexum veritatum universalium distincte perspicere non possint, (§. 766.) perspicuum hinc fit, bruta omni destituta esse ratione, & ita recte dici *irrationabilia*.

SCHOL. Miror, de hac thesi tam acriter inter eruditos fuisse disceptatum. Tota lis oppido componi posse videtur, si, quid per rationem intelligi velis, determinaveris. Negari quidem non potest, casus allegari, ex quibus demonstrari posse videatur, brutis æque ac hominibus, & verius nonnunquam, tribui debere rationem. At si omnes casus rite examinaveris, in quibus ratio brutis tribuitur, si omnia brutorum ratiocinia, & syllogismos excusseris, si omnes eorum operationes, quæ elegantes atque admirabiles tibi videntur, quasque edunt sine prævia institutione; nunquam rationem deprehendes, eo scilicet sensu, quo nos definivimus. Quas enim bruta edunt operationes, aut proveniunt ab instinctu quodam naturali, divinitus ipsis indito, nec consilio, aut prævia deliberatione ipsas suscipiunt, aut regulis diriguntur, quæ in solis sensibus, imaginatione, & memoria brutorum fundatæ sunt. Sic apes favos construunt, & mella conficiunt, formicæ cibum congerunt, & in futuros suos reponunt usus, aves nidos componunt, satis illos quidem artificiose, non tamen cum prævia quadam deliberatione, aut consilio, sed vel ex instinctu quoddam naturali, divinitus ipsis indito, vel regulis diriguntur, sensu, imaginatione, ac memoria nixis.

Quod ad ratiocinia, & syllogismos brutorum attinet, in iis quidem, confuse formatis, nihil, quod rationem probet, reperire potui, sed semper præmissæ in ejusmodi ratiocinio, quod a brutis formari videtur, nituntur aut sensu, aut imaginatione, aut memoria. Cum e. gr. canis videt, dominum elevare baculum, tum canis, reproductis pristinis verberum ideis, oppido aufugit, ita quasi ratiocinatus.

Quan-

Quandocunque Dominus elevat baculum, tum vapulo,
Atqui vero nunc elevat baculum,
Nunc vapulo, sive verbera sentiam, E. abeundum.

In hoc syllogismo *major* propositio nititur imaginatione, *minor* sensu, neutra vero præmissarum habet pro fundamento rationem. Qua itaque ratione ex syllogismo, in quo, neque major neque minor propositio, nititur ratione, probabis rationem? Percurre omnes brutorum syllogismos, quos sibi formare videntur, si vel unicus eorum ratione nititur, tum pertendam, bruta gaudere ratione.

§. 768. *Quamvis brutis nullam tribuendam esse rationem existimem, analogum tamen rationis, quod vocant, ipsis adscribi potest.*

Demonstr. Cum enim, experientia teste, in brutis observemus, ipsis, si duas habuerunt olim sensationes simul, una earum redeunte, alteram etiam redituram videri, (§. 760.) id quod modo exemplo canis comprobatum dedimus, consequens est, ut brutis exspectatio casuum similium tribui possit. In quo quia consistit id, quod vocamus *analogum rationis*, (§. 582.) non video, cur non brutis rationis analogum tribui possit.

SCHOL. Veteres Scholastici cum vocibus his *analogum rationis* nullum fere conjunxerant conceptum. At recentiores, quia vocabula, mente cassa, & voces nihili ex philosophia sedulo proscribendas putant, ita determinarunt, ut per analogum rationis, ubi quis videtur in rebus particularibus nexum perspicere, nihil aliud intellexerint, quam expectationem casuum similium, leges in §. 579.

§. 569. Experientia testatur, in aliis brutis majorem esse docilitatem, minorem in aliis, ita, ut alia aptiora deprehendantur, quæ instituantur, alia ineptiora. Atque adeo sponte hic fluit, alia

bruta aliis meliores sensus, imaginationem, & memoriam habere, ac gradu perfectionis inter se invicem differre.

§. 770. *Brutis competit quidem in agendo spontaneitas.*

Demonstr. Cum enim, id quod experientia quemque condocet, bruta se ipsa ad agendum determinent, is autem, qui ad agendum se ipse determinat, dicatur *sponte* agere, (§. 672.) brutis spontaneitatem denegari non posse, patet. Quia vero ad omnem libertatem requiritur *intellectus*, (§. 676.) bruta vero intellectu destituantur, (§. 763.) manifestum est, brutis libertatem tribui non posse.

§. 771. *Brutorum animæ sunt quidem entia simplicia, sed non sunt spiritus.*

Demonstr. Cum enim brutorum animæ cogitent, (§. 769.) id autem, quod cogitat debeat esse ens simplex, (§. 692.) palam est, brutorum animas esse entia simplicia.

Cum ad omnem spiritum requiratur, ut gaudeat intellectu, (§. 473.) brutorum vero animæ non gaudeant intellectu, (§692.) brutorum animas non posse esse spiritus, certum est.

NOTA. Scholastici animas brutorum esse materiales credebant, Cartesiani bruta meras machinas existimabant. Utrique falso.

SCHOL. Cæterum hinc vides, tertium adhuc dari inter corpus, & spiritum, scilicet dantur adhuc entia, quæ neque sunt corpus, neque spiritus, sunt tamen entia simplicia. Quo referri constat (α) entia simplicia, ex quibus corpora sunt composita, de quibus supra, §. 554. & (β) animas brutorum, uti id ex præsentia §. patet.

§. 772. *Evinci hinc potest, animas brutorum esse ex sua natura indestructibiles.*

Demonstr. Cum enim animæ brutorum sint entia simplicia, (§. 771.) ens simplex autem destrui non possit, (§. 372.) sequitur, ut animæ bruto-

rum

rum destrui non possint ex sua natura, adeoque sint indestructibiles.

SCHOL. Ex eo tamen neutiquam confici potest hæc propositio: *Ergo animæ brutorum sunt immortales*. Plura enim ad immortalitatem requiri, quam solam indestructibilitatem, docet §. 750. *Canzius* qui mentem suam de hoc *in usu philosoph. in Theolog. p.* 176. egregie exponit. *Non interire*, inquit, *post mortem brutorum animas largior*; *immortales tamen esse*, *nego*. Deest scilicet post mortem animabus brutorum tertium immortalitatis requisitum, scilicet, recordatio status præteriti, ejusdemque cum præsenti comparatio. (§. 755.) Quod enim bruta post mortem corporis, non possint recordari status præteriti, id vel ex eo patet, quod bruta, dum vixerunt, non distinctas habuerunt ideas, sed tantum claras, & confusas. Atqui vero, cum anima quædam magnam subit mutationem, & ante illam mutationem tantum claris, & confusis gavisa fuit ideis, non vero distinctis, reperimus, illam post magnam, quam subit, mutationem non recordari posse status præteriti. Duplici exemplo id nunc probare, opportunum erit. Quotiusquisque est, qui eorum, quæ in tenera infantia suscepit, ætate adulta, recordari potest? Nemo profecto. Ecquid vero caussæ? Scilicet, cum in tenera infantia nondum, ob defectum vocum articulatarum, distinctis gaudeamus ideis, sed confusa omnia nobis & obscure repræsentemus, fit, ut anima in alium, eumque perfectiorem, statum provecta, nihil eorum, quæ olim in statu tenerrimæ, & primæ infantiæ novit, meminisse queat. Et profecto, aut fallor ego vehementer, aut eandem rationem, & caussam recte allego in casu illo, quo quis, inter bruta silvestria educatus, ad tempus more brutorum vixit. Relatum legimus, ejusmodi homines, inter bruta in silvis educatos, quando capti fuerunt, & cum hominibus consociari cæperunt, sensim

sen-

sensimque linguam didicisse, & ad cognitionem distinctam pedetentim pervenisse. Quod vero ubi factum est, ubi usum rationis impetrarunt, nunquam potuerunt status præteriti, vitæque, quam vivebant inter feras silvestres, recordari, idque ideo, quia in illo silvestres, & fero vivendi genere distinctis caruerunt repræsentationibus. Cum igitur animæ brutorum caruerint in vita distinctis ideis (§. 763.) quidni negemus, ipsas aliquando status præteriti recordari posse?

§. 773. *Inter hominis brutique animam tanta est differentia, quanta maxima esse potest.*

Demonstr. Cum enim anima hominis gaudeat ideis distinctis, (§. 547.) & intellectu, (§. 548.) abstrahat, (§. 557.) rationem, item habeat, (§. 572.) libertate sit instructa, (§. 671.) hæc omnia autem animabus brutorum non competant, (§. 763. 767.) facile est intellectu, animas hominum, & brutorum maxime inter se differre.

SCHOL. Quæritur vero, utrum gradu, an essentia differat anima brutorum ab anima hominum? Distinguunt hic nonnulli inter *gradum essentialem*, & *gradum accidentalem*. *Gradus essentialis* in repræsentationibus dicitur, ubi totus repræsentendi modus mutatur, e. gr. repræsentatio obscura, clara, distincta. *Gradus accidentalis* est, qui in ipso gradu essentiali deprehenditur, exempl. grat. *obscuritas major & minor, claritas major & minor*: *Gradu igitur essentiali* animas brutorum ab animabus hominum differre ajunt, id est, ita ut, brutorum animabus non nisi ideæ competant *claræ & confusæ*, cum contra humana anima sit capax idearum distinctarum, & universalium, quæ animæ brutorum pertingere nequeant.

Canzius mentem suam de animæ bruti, & infantis differentia sic exponit: „ Anima infantis „ longissime distat ab anima bruti. Namque illa „ rationem sufficientem omnium olim formandarum notionum jam tum in tenella ætate com-

„ ple-

„ plectitur, anima bruti nil tale complectitur. Il-
„ la plura, & sublimiora in se involvit, ad instar
„ cepæ Tuliparum, hæc autem viliora, & indi-
„ gniora comprehendit more cepæ communis (sit
„ venia similitudini ultra tertium non extenden-
„ dæ.) Anima hominis inde ab initio semina fu-
„ turarum idearum distinctarum habet in se recon-
„ dita, qualia bruti anima non habet." *Tom. I.* *p.* 271. De animabus brutorum legas, vel maxime libros duos *Hieronymi Rorarii*, *quod animalia bruta sæpe ratione utantur melius homine. Quos recensuit dissertatione historico-philosophica de anima brutorum annotationibusque auxit Georg. Henr. Riebovius.* Helmst. 178. 820.

Finis Psychologiæ Rationalis.

THEO-

THEOLOGIA
NATURALIS.

§. 774.

THeologia *naturalis* est scientia de Deo ejusque attributis, & operibus.

SCHOL. Hæc disciplina, quam, cum veteres, tum recentiores, philosophi ad Metaphysicam retulerunt, ultimam nobis Metaphysices partem constituit. Conf. §. 5. Wolfius *Theologiam Naturalem* definit per scientiam eorum, quæ per Deum sunt possibilia *Vid. discursus præliminaris Logicæ præmissus* §. 57. Quæ quidem definitio quomodo sit intelligenda, & ab exceptionibus vindicanda, docui in definitiva philosophia, p. 4.

SCHOL. Hæc vero disciplina dicitur Theologia NATURALIS, ideo quia, quidquid hic de DEO ejusque attributis docetur, id omne ex lumine *naturæ*, sive ex ratione scientifica demonstrari debet. Quo ipso distinguitur a Theologia revelata quæ non ratione, sed scriptura sacra nixa, DEUM non modo ratione existentiæ, & attributorum considerat, sed explicat, quoque sublime illud Trinitatis mysterium quod rationem prorsus fugit. Taceo, quod in Theologia revelata remedia allegentur, quæ ad æternam salutem consequendam sufficiunt, quod non item fit in Theologia naturali.

SCHOL. Quod vero Theologia naturalis in pertractandis disciplinis metaphysicis agmen claudat, ratio hæc est: Methodus, qua philosophos uti, par est, postulat, ut præmittantur ea, per quæ subsequentia intelligantur. (§. 30. Log.) Atqui ve-

ro-

ro in Theologia naturali plurimæ propositiones explicari intelligique non possunt, nisi notiones, vel ex Ontologia, vel ex Cosmologia, vel ex Psychologia denique præstruantur, (id quod ex sequentibus uberius patescet,) Ergo Theologiam naturalem demum post Ontologiam, Cosmologiam, & Psychologiam pertractandam esse, liquet.

§. 775. Quod ad methodum, in explicandis Theologiæ naturalis placitis adhibendam, attinet, eam debere esse demonstrativam, & scientificam affirmamus, quod vel ex eo perspicuum esse potest, quod Theologiam naturalem esse scientiam de DEO diximus.

NOT. *Cel. Bilfingerus* cautiones nonnullas tradidit, quæ circa methodum Theologiæ naturalis sunt observandæ, quas vide in Dilucidation. §. 372. seqq.

§. 776. Usus Theologiæ naturalis in omnes fere disciplinas, deductis quasi rivulis, se diffundit, & in conformandis recte dirigendisque hominum moribus tantus omnino est, quantus vix ab alia disciplina potest expectari, Atheismum quoque, & superstitionem per Theologiam naturalem profligari, in aprico est.

NOT. Iis præsertim, qui Theologiæ se addicunt, credi vix potest, quantam utilitatem afferat Theologia naturalis. Qua enim si quis destituitur, neque Atheos ratione convellere, neque religionis Christianæ irrisores poterit ratione labefactare. Quid? quod Theologia naturalis viam nobis sternit manuque sui cultores ducit ad Theologiam revelatam, quæ hoc solidius discitur, quo firmioribus, ex naturali Theologia desumtis, fulcris innititur.

SECT,

SECT. I.

De DEI existentia.

§. 777.

SI existentia DEI rite demonstrari debet, præmittenda est aliqua definitio DEI nominalis; ut ita intelligi queat, quidnam hac voce Dei indicari velimus. Scilicet ejusmodi characteres sunt allegandi, quibus id ens, quod DEUM vocamus, ab omnibus aliis rebus possumus dignoscere.

SCHOL. Cum vero definitio nominalis sit arbitraria, (§. 176. Log.) facile intelligis, ab aliis alias notas characteristicas posse allegari, quæ tamen *notæ* debent esse ejusmodi, ut (1) *Deo soli & semper* competant, (2) ut ex ea attributa Dei nexu commodo & apto possint deduci. Perinde itaque est, si dixeris: *DEUS* est ens perfectissimum, aut: *DEUS* est ens absolute necessarium, virtute propria, & per essentiam suam existens; aut denique: *DEUS* est ens infinitum, & independens. In unaquaque enim harum definitionum nominalium allegantur characteres, Deo semper, & soli competentes. Quarum tamen unam alteramve si in ordine systematico, ubi demonstrationibus locus est, adhibueris, videndum est, num ex definitione adhibita omnia attributa nexu legitimo fluant, ex eaque possint demonstrari.

§. 778. Definitionem itaque DEI nominalem condituri, per DEUM *nihil aliud intelligimus, quam ens absolute necessarium, quod ab hoc universo diversum est, & a quo hic mundus, tamquam a caussa sua, dependet.*

SCHOL. Putaverim hic recenseri ejusmodi characteres, qui nulli rei, nisi DEO, competunt. Quodsi tamen minus placuerit tibi hæc definitio, dic: *DEUS* est spiritus perfectissimus. Item: *DEUS*

e st

eft ens independens, aut, fi mavis, DEUS eft ens infinitum. Idem enim mecum dicis. Quod vero hanc potiffimum, nec aliam, DEI definitionem fuppeditaverim, rationem tum pefpicies, cum intellexeris, omnia Dei attributa, nexu perquam facili, abs me ex hac definitione deduci. Cave vero, ideo hanc definitionem Dei falfam putes, quod non omnia DEI attributa in ea recenfeantur. Non enim hoc opus eft in definitione nominali, quæ ideo præmittitur, ut fit principium demonftrandi, & ut ex ea rei definitæ attributa demonftrentur.

SCHOL. *VVolfius in Theolog. natur. Tom. I.§.67.* eandem fere definitionem profert, ubi, per *DEUM*, inquit, „ intelligimus ens a fe, in quo continetur ratio fufficiens exiftentiæ mundi hujus afpectabilis, & animarum noftrarum " I. e. DEUS eft ens a fe, quod hunc mundum, tanquam cauffa efficiens, produxit. Id enim, quod in fe continet rationem fufficientem, cur alterum exiftat, dicitur *cauffa* alterius, (§. 447.) In metaphyfica Germ. has legimus DEI definitiones: *DEUS eft ens a fe, in quo ipfum fundamentum exiftentiæ Mundi, & animæ reperire eft* §. 945. item §. 1069. ita mentem fuam exponit de DEI conceptu primo: *Igitur dici poteft in quantum Deus cognofci poteft ex confideratione mundi, & in quantum compendium quærit, ex quo reliqua deduci poffunt: Deus quoad effentiam fuam talis eft, qui omnes mundos poffibiles* (i. e. omnes res, non eas modo, quæ exiftunt, fed quæ etiam exiftere poffunt, omniumque rerum connexiones, & relationes) *ictu oculi modo perfectiffimo fibi repræfentari poteft*. Alius fortaffe idem ita expreffiffet: DEUS eft ens, intellectu perfectiffimo præditum. Id enim involvunt charactères, in hac definitione a VVolfio allegati. Dici non poteft, quanto animi impetu, quantaque acerbitate, & vehementia de his quidem recenfitis definitionibus fit difceptatum. Omnes, opinor, controverfiæ evanefcerent, modo adverfarii VVolfii in-

intelligere vellent, nihil his quidem definitionibus VVolfium aliud docere, quam quod DEUS sit caussa mundi, quodque DEUS sit spiritus perfectissimus, perfectissimo intellectu præditus. Verba impugnant, res concedunt. *Conf. Canzius in usu philosoph. VVolf. in Theologia p.* 86. *Tom. I.* ubi historia totius illius controversiæ Logicæ enarratur, *Item philosoph. nostra defin. p.* 171.

§. 779. Quicumque itaque demonstrare vult, dari DEUM, is demonstrare debet, dari *ens aliquod, absolute necessario existens, a mundo diversum, & a quo hic mundus, tanquam a caussa sua, dependet*. (§. 778.) Quod quidem qui demonstravit, eo ipso demonstravit existentiam Dei.

§. 780. *Datur ens absolute necessario existens, ab hoc mundo diversum, & a quo hic mundus, tanquam a caussa sua, dependet.*

Demonstr. Hujus theseos fundamentum, & ratio ut perspiciatur luculentius, sequentibus positionibus totam demonstrationem comprehendemus.

(1) Hic mundus existit (*per experientiam, & sensum communem.*)

(2) Hic mundus, qui revera nunc existit, ita existit, ut etiam posset non existere, atque adeo est contingens (§. 425.)

(3) Cum hic mundus, ob contingentiam, ita existat, ut possit etiam non existere, ut possit alio modo existere, (§. 525. & num. 2.) consequens est, ut debeat adesse ratio sufficiens, cur hic mundus existat potius, quam non existat, cur existat hoc modo, & non alio (§. 32.). Poterat enim etiam non existere, poterat alio modo existere.

(4) Illa ratio sufficiens, cur hic mundus existat potius, quam non existat, cur existat hoc modo, & non alio, aut est in ipso mundo, aut comprehenditur in ente aliquo a mundo diverso (§. 23.)

(6) Si ratio sufficiens, cur hic mundus existat potius quam non existat, cur existat hoc modo, nec

nec potius alio, deprehenditur in mundo ipso, tum mundus est ens absolute necessarium. Quodcumque enim ens ita existit, ut rationem, cur existit, in semetipso habeat, *illud absolute necessario existit* (§. 179.) Cum vero mundus sit ens contingens, (§. 425.) ens autem contingens non possit esse absolute necessarium, (§. 175.) palam est, mundum non posse esse ens absolute necessarium. Adeoque ratio sufficiens, cur hic mundus existat, non est in ipso mondo.

(6) Cum itaque ratio, cur mundus existat, non sit in ipso mundo, (num. 5.) manifestissimum est, rationem, cur hic mundus existat, debere deprehendi in ente aliquo, a mundo diverso.

(7) Hoc ens, a mundo diversum, quod continet rationem sufficientem in se, cur hic mundus existat, aut est ens contingens, aut est ens absolute necessarium. (§. 170.) (Tertium enim non datur.)

(8) Si hoc ens, quod a mundo diversum est, quodque in se continet rationem sufficientem, cur hic mundus existat, est ens contingens, tunc hoc ens contingens, quod continet in se rationem sufficientem, cur mundus existat, ita existit, ut etiam possit non existere. (§. 175.) Atque adeo rationem rursus extra se habebit, cur existat.

(9) Sic ergo hac analysi notionum in infinitum progredieris, ita, ut semper, & sine fine, devenias ad ejusmodi entia, quæ rationem sufficientem, cur existant, habent in aliis rursus entibus extra se, ut tandem subsistendum erit in ente aliquo, quod non amplius rationem sufficientem, cur existat, extra se habet, sed quod rationem suæ existentiæ in semetipso habet.

(10) In infinitum autem non progredi in analysi notionum possumus, quia alias non pervenietur ad rationem plene sufficientem existentiæ nostræ, qua posita, sisti poteſt quæstio, cur existamus (§. 31.)

(11) Ergo subsistendum est in aliquo ente absolute necessario, quod a mundo est diversum quodque continet in se rationem sufficientem, cur hic mundus existat potius, quam non existat, cur hoc modo existat, & non alio.

SCHOL. Dedita opera, & studio totam hanc, quanta est, demonstrationem positionibus, a se invicem sejunctis, comprehendimus, ut ita intelligi queat, quid in quaque propositione insit ponderis, & num quid contra eam excipi queat. Suum cuique robur, suum firmamentum constat. Ad eam vero propositionem, quæ *membro* 9. comprehenditur, quaque progressus in infinitum negatur, quod attinet, fusius demonstrari potuisset. *Wolfius in Cosmologia* §. 93. progressus in infinitum rectilinei impossibilitatem hoc modo evincit. „ Si in serie caussarum contingentium, quæ pro„ gressum in infinitum constituit, continuo as„ cendas, ad aliam continuo caussam contingen„ tem pervenis, quocumque tandem intervallo se„ ries retro continuari supponatur. Quare cum „ caussa ista, ens contingens, rationem suæ exi„ stentiæ in se non habeat, in progressu in infi„ nitum rectilineo, non datur ratio sufficiens exi„ stentis cujuscunque. Progressus itaque in infini„ tum rectilineus esse nequit. Quare progredi in „ infinitum, & progredi in linea recta, sibi mu„ tuo contradicunt. " Alii ita: *Si in serie caussarum datur progressus, aut potius regressus in infinitum, tum in ista serie non datur principium. Ubi vero in serie caussarum nullum locum habet principium, ibi nec locum habet continuatio, ubi nulla continuatio, ibi nullus finis. Series vero, ubi nec principium, nec continuatio, nec finis, plane non est series. Ergo series caussarum, in qua locum habet regressus in infinitum, est series, per hypothesin, & non est series*, (per demonstrata) Quod vero cum sit contra principium contradictionis, (§. 22.) & impossibile, patet, seriem caussarum, ubi locum ha-

habet progressus in infinitum, esse impossibilem: Conf. *Schlosseri Commentatio de analysi contingentium infinita, Vitemb. 1726. edita.*

„ SCHOL. Poteramus existentiam entis absolu-
„ te necessarii, a mundo diversi, brevius quoque
„ ita demonstrare. Hic nexus caussarum, quo mun-
„ dus præcipue hic est mundus, nec alius, (§.
„ 405.) debet habere rationem sufficientem, cur
„ præcise hic nexus sit, nec alius, (§. 432.) hæc
„ ratio sufficiens aut est in ipso caussarum nexu,
„ & serie, aut extra eam. Non potest esse in ip-
„ so nexu, & caussarum serie, alias caussarum ne-
„ xus, & series esset absolute necessaria, (§.
„ 179.) quod esset contra §. 325. " E. debet ratio esse extra eam seriem. Ergo debet ens existere, quod a caussarum serie est diversum, & in quo ratio continetur sufficiens, cur hic præcise, nec alius, nexus adsit. Illud ens, a mundo diversum, non potest esse ens contingens, alias pertineret ad ipsum nexum mundanum, (§. 435.) & non esset a mundo diversum. Ergo debet ens esse necessarium: Ergo datur ens necessarium, quod non potest non existere; quod a mundo est diversum, & in quo continetur ratio sufficiens, cur hic mundus existat.

§. 781. *Datur DEUS.*

Demonstr. Cum enim detur ens absolute necessarium, a mundo diversum; & in quo continetur ratio sufficiens hujus mundi, (§. 780.) illud autem ens necessarium; a mundo diversum, & in quo continetur ratio sufficiens, cur mundus existat, idem illud ens sit, quod vocamus *Deum*, (§. 778.) patet, dari Deum.

SCHOL. Hoc argumentum, quod a contingentia mundi desumitur, & cui recentiores plurimum tribuunt, latius deduximus in peculiari dissertatione Vitembergæ 1735. habita: Si placet; brevissimis hoc argumentum ita concinna. Hic mundus existit. Hic itaque mundus, aut semetipsum pro-

duxit, aut per essentiam suam vi propria *necessario* ab æterno extitit, aut ab alio ente productus est. Illud contra §. 373. istud est contra §. 425. Ergo mundus est ab alio productus. Ergo datur ens aliquod, quod continet in se rationem sufficientem, cur mundus existat.

SHOL. VVolfius, ceteris argumentis pro existentia Dei missis, unico huic argumento, quod a contingentia mundi desumitur, plurimum inesse roboris, contendit, negatque, ullum aliud argumentum, quodcunque etiam proferatur, posse cum successu adhiberi, nisi contingentia mundi fundamenti loco substernatur. In quo quidem rectene ans secus fecerit VVolfius, nunc disquirere non est animus. Hoc certe habeo dicere, illum neutiquam, qui argumenti alicujus robur ad examen Logicum revocat, posse ideo incusari Atheismi. Quod enim si esset, quid tandem fieret de illis, qui VVolfio dixerunt contra? Nonne ipsi de argumenti, pro Dei existentia a VVolfio allati, robore dubitarunt? Nonne maximi quique Theologi etiam nunc argumentum Cartesii, pro existentia Dei prolatum, impugnant? Ecquis vero illos ideo esse Atheos dixerit? Non is statim thesin negare consendus est, qui argumentum aliquod, quo thesis corroboratur, in dubium vocat. Quædam vero illa sint, quæ in nonnullis argumentis desideravit VVolfius, speciatim nunc indicabo, cum potiora, quibus Dei existentia confirmari solet, argumenta adduxerim.

SCHOL. Veteres scholastici quique commonstrabant vias, quibus insisti debeat, si divini Numinis existentia recte debeat demonstrari. *Prima via* concludebatur a moventibus inter se subordinatis ad primum motorem, hunc fere in modum. „ Illud, quod movetur, ab alio movetur. Moventur autem res quædam in hoc universo, per sens. communem). Ergo res illæ, quæ moventur, in hoc universo, ab alio moventur. „ Cum autem in iis, quæ moventur, non possit infinità

fieri

fieri progressio, desinendum erit in uno aliquo *primo*, quod cum reliqua moveat, non tamen ipsum moveatur ab alio, sed immobile existat. Hoc vero illud ipsum est, quod Deum appellamus. *Altera via* concluditur a caussis in subordinatione agentibus, ad causam aliquam primam, & independentem. Cum enim, inquiunt, in caussis, & agentibus subordinatis non possit procedi in infinitum, deveniendum est ad aliquam primam, & independentem caussam, quæ Deus est. *Tertia via* a rerum contingentia ad ens per se necessarium concluditur. Quod ipsum est illud, quo usi sumus, argumentum, paullo aliter a nobis propositum. *Quarta via* concludebatur ex eo, quod detur magis & minus perfectum ad ens aliquod, quod omnes habeat perfectiones, idque hac fere ratione: Aliud alio in hoc mundo deprehenditur perfectius. Ex qua graduum differentia convincitur necessario, dari revera ens summe magnum, summe perfectum, & summe bonum. *Quinta via ita* inferebant: Omnia in hoc universo bene, & sapienter gubernari, videmus. Ergo necesse est, detur gubernator omnium rerum, i. e. DEUS.

SCHOL. Alii argumento a *consensu gentium* desumpto utuntur, de quo videatur *Feverlini* disputatio. Alii ad *notitias* DEI homini *innatas* confugiunt, alii a *morsu conscientiæ*, ac dolore, post peccata patrata, robur argumenti sui petunt; alii ab *ordine* ad ordinantem a *finibus* rerum in hoc universo ad ens aliquod sapientissimum, quod istos fines intenderit, concludunt. Longum foret, omnia hæc argumenta verbosius commemorare, & de cujusque robore, vel imbecillitate dispicere. Quare ea tantum, quæ recentiori ætate VVolfius contra argumentum a finibus rerum ab ordine ad ordinantem desumtum, disputavit, paucis, & brevissimis attingemus. Constat scilicet inter eruditos, inter alia argumenta, quæ ad stabiliendam DEI existentiam adferuntur, hoc non raro occur-

rere, quod a finibus rerum in hoc universo petitur, hunc in modum: *Ubi sunt rerum fines, ibi est, qui propter fines agit eosdemque intendit. Atqui rerum omnium in universo dantur fines. Ergo aliquod ens sit, necesse est, quod propter hos fines agit, quodque eosdem intendit.* Hanc argumentationem vitiosi circuli incusat VVolfius. Qui sic vero? Audias rationem. Si enim minor propositio, inquit VVolfius, probanda est, quod in hoc universo dentur rerum fines, provocabitur necessario ad usus, quos altera res alteri in hoc universo præstat. Si vero probari debet, hos usus in universo esse fines, tum necessario ante evinci debet, dari aliquod ens intelligens, quod hos usus intenderit. *Finis* enim nihil est aliud, quam id, cujus gratia ens intelligens agit, (§. 372.) Adeoque ex mente VVolfii, & ex finis definitione non probari potest existentia finium, nisi sit antea probata existentia entis cujusdam intelligentis. Qui itaque ex existentia finium ens intelligens demonstrare volunt; illi, ex mente VVolfii, revera ens intelligens jam supponunt. Si enim interrogati fuerint, unde constet, dari ens aliquod summe intelligens, sive DEUM, tum respondebunt; *quia dantur fines in hoc universo*. Quæsiti vero, unde constet, dari fines in hoc universo, non possunt non respondere, si ex genuina *finis* notione respondere voluerint: *quia datur ens intelligens*. Hæc ex mente VVolfii. *Conf. Commentatio VVolfii de differentia nexus rerum sapientis, & fatalis §. 7. item Canzius in usu philosophia VVolfiana in Theologia T. I. p.* 15. Hoc argumentum a finibus rerum desumtum, contra VVolfium defendit *B. VVucherer in peculiari dissert. Jenæ* 1725. *habita.* Alterum argumentum, quod emendatione opus habet, ex VVolfii sententia, hoc est: Ubi ordo, ibi ordinans: in hoc mundo est ordo; E Majorem ita limitandam putat: ubi ordo *contingens*, ibi ordinans. Adeoque hoc argumentum, negat quic-

quam

quam probare, nisi antea mundi contingentia fuerit evicta. Alia, ne longus sim mitto. Historiam hujus controversiæ, in quam Wolfius, ob argumenta pro existentia Dei allata, implicitus fuit, legas in *Canzio p.* 109. *seqq.*

SCHOL. Cartesius ab idea entis infiniti sive perfectissimi, eaque innata, sumsit probationem existentiæ DEI. Quod vero argumentum vix credibiles motus turbasque excitavit. Mens autem Cartesii hæc erat: „ Ens, quod perfectissimum concipio omnes habet perfectiones. Necessario, & „ actu existere, est perfectio. Ergo ens, quod perfectissimum concipio, necessario, & actu existit. „ *Vid. Cartesii Philos. prima, meditat.* 3. *Conf. Ruckeri dissertatio de hoc argumento Jenæ habita.* " Contra hoc argumentum eruditi, vel hoc maxime moverunt, quod entis, quod perfectissimum concipitur, conceptus quidem necessariæ, & actuali existentiæ tribui debeat, exinde tamen non sequi, quod illud ens necessario, & actu etiam extra mentem existat. Alii, atque in his Leibnitius & Wolfius, stringere, & valere hoc argumentum, sibi persuadent; dummodo entis perfectissimi *possibilitas* antea recte demonstrata. *Conf. Wolfii commentatio de differentia nexus p.* 12. Quare possibilitatem entis perfectissimi nonnulli ita probant: Cujuscunque nulla contradictio demonstrari potest, illud est, & manet tamdiu possibile, donec demonstretur contradictio. (§. 43.) Atqui nulla contradictio in existentia entis perfectissimi demonstrari potest, ergo ens perfectissimum est, & habetur tamdiu pro possibili, donec demonstretur contradictio, quam vero putant ad Græcas Calendas demonstratum iri. Alii ita: (1) *Ens* perfectissimum est, quod omnes possidet perfectiones, sive realitates. (2) *Ubi* omnes realitates, sive perfectiones, ibi non locum habet defectus, sive negatio ulla realitatis, (3) ubi non locum habet negatio, ibi non locum habet contradictio, (quia

omnis contradictio includit suo conceptu negationem, (§. 20.) Ubi nullum locum habet contradictio, ibi adest possibilitas (§. 44.) Ergo ens perfectissimum est possibile. Si itaque ens perfectissimum est possibile pergunt, sequitur, quod ens perfectissimum eo ipso, dum possibile est, etiam actu, & necessario existat: Atqui est possibile (*per demonstrata*). Ergo etiam actu, & necessario existit. *Consequentiam ita probant*: *Ens perfectissimum* est id, quod omnes habet perfectiones. *Actu*, *&* *necessario existere* est perfectio. Ergo, si ens perfectissimum est possibile, etiam debet actu, & necessario existere. Si enim non actu, & necessario ex isteret, tunc deesset enti perfectissimo aliqua perfectio (actualis enim existentia est perfectio) adeoque esset ens perfectissimum. (*per hypothesin*) & non esset ens perfectissimum, quia ipsi adhuc deesset aliqua perfectio, scilicet actualis existentia. *Leibnitius* eodem fere modo hanc argumentationem proponit. " Entis infiniti, inquit, possibili-„ tatem nihil potest impedire. Possibilitas entis „ necessarii includit ejus existentiam. „ Ergo ens infinitum, idque necessarium actu existat. *Vid.Monadolog.* §. 44.

SCHOL. Qui hoc argumentum, tanquam debile, rejiciunt, has, si recte memini formant objectiones. (α) A posse ad esse vitiose concluditur; (§. 54.) *Respondent* defensores hujus argumenti, a summa perfectione ad actualem existentiam hic concludi. (β) Excipiunt, in hoc argumento id tantum sequi; Si ens perfectissimum est possibile, ejusmodi ens est possibile, quod omnes habet perfectiones, nondum vero actu, sed in possibilitate, quodque adeo etiam possibilem existentiam habet. *Respondent*; Possibilis existentia non est perfectio, idque, quod non nisi possibilem existentiam habet, imperfectius eo est, quod gaudet actuali existentia. Ex instituto hoc argumentum, quod vocant *argumentum a priori* pro existentia DEI,
per-

pertractavit *Hartmannus*, *Professor Marburgensis*, *in peculiari dissertatione*, *de hoc argumento*, *ante paucos annos Marburgi habita*. *Conf. Canzius in Jurisprudent. Theologia t.* 12.

SCHOL. Non ab instituto nostro alienum erit, hoc loco quoque Cel. *Syrbii* argumentum, quod, existentiam DEI demonstraturus, adhibet, paucis attingere. Desumsit autem illud a *desiderio hominis infinito*, ita ratiocinatus: In homine datur desiderium infinitum. „ Hoc desiderium, omnibus „ hominibus innatum, est naturale. Ergo non po- „ test esse frustraneum. Si non est frustraneum, „ sequitur, ut illud, ad quod se refert, existere „ debeat. Refert autem hoc desiderium, se ad bo- „ num infinitum, hoc est, Deum: ergo Deus exi- „ stit, " *Conf. Philosoph. prima p.* 19. *& dissertat. ejus de desiderio hominis infinito*, *Jenæ habita*.

SCH. Supersunt argumenta physica, ad quorum classem referuntur ea, quæ ab admirabili structura & pulchritudine hujus universi petuntur, item, quæ ex artificiosissimo corporis humani contextu & fabrica desumuntur. Hoc argumentum, quod ab artificiosissima corporis humani coagmentatione petitur, pluribus persecutus est *Christ. Hebenstreit* in pecul. differt. de corporis humani machina, divinæ sapientiæ, & providentiæ teste 1725. Fuerunt quoque, qui sigillatim ex singulis membris argumentum deduxerunt. e. gr. *Sturmius* existentiam Dei ex structura *oculi* probavit, *Hambergerus* ex inspectione *cordis*, *Schmid ex aure*, *VVucherer e cerebro*: *Dona ex structura manus humanæ &c. Conf. Buddeus de Atheismo*, *& superstitione*.

§. 782. Quamvis vero veritas hæc, *datur Deus*, tam evidens sit, tamque clara, nihil ut evidentius clariusque esse possit, fuerunt tamen omni tempore, qui eo, vel vecordiæ, vel impietatis, sunt progressi, ut hanc positionem, & in dubium vocare, & negare prorsus, non erubuerint. Ejusmodi homines, qui negant, dari Deum, dicuntur

Athei

Athei, ut adeo, *Atheismum* in negatione existentiæ Dei consistere, pateat.

SCHOL. Atheismi tria constituunt genera. Primus Atheismus eorum est, *qui prorsus, Deum existere, negant*. Secundus eorum, *qui mundum negant a Deo factum esse, etsi Deus aliquis existat*. Tertius eorum est, *qui dicunt, mundum a Deo productum esse, non voluntate sua libera, sed necessitate naturæ*, *Conf. Canzius in usu philos. in Theolog. Tom. II. p.* 322. Quæritur vero: *Num exstiterint unquam, aut revera dentur Athei*.

SCH. Ad quam quidem quæstionem prius distincte responderi non potest, quam, quotuplices sint Athei, fuerit explicatum. Distinguuntur (α) Athei *in theoreticos* & *practicos*. Practici vocantur illi, qui ita vivunt, ita agunt, ut vita sua demonstrare videantur, nullum se credere Deum. Tales Athei sunt omnes impii, quorum numerus iniri non potest. Athei theoretici sunt, qui docent aut credunt, non existere Deum. Quales num dentur, dicidi fere non potest, nisi antea varia Atheorum theoreticorum genera fuerint enumerata. Alii scilicet Athei theoretici sunt *systematici*, alii *personales*. *Personales Athei* sunt, qui quidem non docent in scriptis publicis, non existere DEUM, interius tamen, & in mente sua credunt sibique persuadent, non existere DEUM. De his vero Atheis si quæstio instituitur, num dentur? facile intelligitur, difficulter respondere posse. Ecquis enim est, qui animos hominum interioresque animorum latebras perspexerit? Hoc certe affirmari posse videtur, quod si etiam fuerint, qui sibi in mente sua persuadeant, non dari DEUM, vix posse serio, & ad tempus vitæ tale quid sibi ejusmodi homines persuadere. Veritas enim hæc: *Datur Deus*, est nimis manifesta, & conscientia perpetuo reclamat, aliaque docent omnia, quam quæ vana fert persuasio. De Atheis vero systematicis, i. e. ejusmodi Atheis, qui in publicis scrip-

tis

tis Atheismum proposuerunt, si sermo instituitur, dubitari non potest, eorum plures, quam optaverint cordatiores, reperiri. Magna tamen in his cautio, & provisio adhibenda est, ne in Atheismo, aliis imputando, nimis simus liberales. Vix enim credibile est, quanta inde in rempublicam literariam, vel sacram, importentur damna. Atheorum autem, qui vocantur *systematici*, alii sunt *directi*, alii *indirecti*. Illi totidem verbis negant, dari DEUM; hi per ambages, aliisque doctrinis proferendis, declarant, se negare existentiam DEI. Et directorum, & indirectorum Atheorum plurimos recenset *Jenckius*, *Thomasius in historia Atheismi*, item *Buddeus in thes. de Atheismo & superstitione*. Qui de Atheismo scripserunt, plures sunt, quam ut a me possint recenseri, allegati a *Cel. Fabritio in syllabo scriptorum de veritate religionis Christianæ*.

SCHOL. Aliud adhuc hominum genus est, quod itidem circa DEI existentiam vehementer errat. Quemadmodum scilicet *Atheismus* existentiam DEI prorsus vult sublatam, ita *superstitio* rebus humanis divini quid attribuit, & in multiplicandis Diis peccat. Disputatum est recentius, num superstitio pejor sit Atheismo, numque Atheismus, an superstitio plus inferant damni civitatibus reique publicæ? Qui cum Bailio affirmant, superstitionem plus adferre damni, quam Atheismum, has potissimum rationes adferunt. (α) Superstitiosorum numerum multo ampliorem esse Atheorum turba. (β) Superstitionem totum animum occupare, haud quaquam reclamante conscientia, vel ejus stimulo urgente. Quod contra fieri, putant, in Atheis, quorum nemo unquam adeo induruerit, quin, redeuntibus intervallis, a suo ipsius animo fuerit objurgatus. Qui vero, Atheismum pejorem esse superstitione existimant, ita rationes subducunt: *Satius est, religione duci aliqua, licet superstitiosa, quam nulla, superstitiosos, quippe,*

pe, si nulla alia re, certe tamen metu stulto in officio boni civis contineri. Difficile est, in quæstionibus comparativis certi quid determinare. Negare tamen non possum, mihi hanc controversiam semper perinde esse visam, ac si quis quæreret: Num satius, sit, se gladio, an cultello aliquo subtili interficere? Conf. de hac controversia *Buddeus in thesibus de Atheismo*, & *Superstitione*.

S E C T. II.

De essentia, & *attributis DEI in genere*.

§. 783.

Essentia rei alicujus diximus supra (§ 66.) esse id, per quod res aliqua præcise hæc res est, & non alia, quodque est primus rei conceptus, unde cætera, quæ rei competunt, fluunt, & derivantur. Essentia itaque Dei erit, qua ejus existentia est simpliciter, & absolute necessaria. Per existentiam enim, simpliciter & absolute necessariam, Deus est Deus; (§. 770.) & ex hac absoluta necessitate existentiæ divinæ cetera, quæ Deo tribuuntur, facili nexu deducemus.

SCHOL. Si de eo disceptatio instituitur, quænam sit Dei essentia, de nulla alia re disputatur, nisi de eo, quænam radix attributorum Dei sit constituenda. Alii *independentiam*, alii *infinitatem*, *intellectum perfectissimum* alii, rursus alii aliud quid pro radice attributorum sumunt. Hic itaque quæritur, quinam Dei conceptus primus sit præferendus alteri. Atque adeo omnis hæc controversia philosophica, & logica est. Nos id, quod Deus *absolute necessario* existit, pro conceptu Dei primo assumemus. Atque ex eo quidem conceptu cætera omnia, quæ Deo competunt, deducemus.

§. 784. *Attributa Dei* vocamus quælibet Dei prædicata, quæ de Deo possent dici, sive attributa

buta Dei ſunt ea omnia in Deo, quæ ab ipſius eſſentia ſeparari non poſſunt.

SCHOL. Attributa Dei, ſive ea, quæ de Deo prædicantur, quæque ex primo Dei conceptu ſeu eſſentia neceſſario ſequuntur, neutiquam ab eſſentia divina *realiter* diſtinguuntur, neque a ſe invicem revere differunt. Quicquid enim in Deo eſt, illud eſt ipſe Deus, neque eorum, quæ in Deo ſunt, unum ab altero poteſt ſeparari. *Formaliter* vero differunt attributa Dei, i. e. ſecundum noſtrum concipiendi modum. Cum enim mens humana, ſuis, at exiguis, limitibus circumſcripta, iis viribus non polleat, ut divinitatem uno obtutu perluſtrare, & comprehendere queat, intelligitur, cur cognitione noſtra eſſentiam ab attributis, unum autem attributum ab altero, diſtinguamus.

SCHOL. Attributa Dei, ſive prædicata illa, quæ de Deo enunciantur, ſunt vel *poſitiva*, ſive *affirmativa*, vel *negativa*. Affirmativa e. gr. ſunt omniſcientia, veracitas, benignitas &c. &c.

SCHOL. Negativa vero ſunt ex. gr. independentia, immutabilitas, indeſtructibilitas, infinitas, &c. Hæc vero attributa negativa non ideo dicuntur negativa, quod in re ipſa negationem inferant, ſed quod, ob intellectus humani imbecillitatem, terminis, ac ideis negativis, hic uti debeamus. Attributa poſitiva porro diſtinguuntur in attributa *abſoluta*, quæ de Deo prædicantur, ſine reſpectu ad mundi exiſtentiam, exempl. grat. infinitas, immenſitas, independentia; & *reſpectiva*, quæ jam ſupponunt mundi exiſtentiam; e. gr. omnipræſentia, miſericordia, &c. &c.

SCHOL. Supereſt alia attributorum Dei diſtinctio. Diſtinguuntur ſcilicet ea in attributa ἀνεργητα, ſive *quieſcentia*, quæ in ſuo conceptu nullam inferunt operationem, exempl. grat. æternitas, & *operativa*, ſive ἐνεργητικὰ, quæ operationem aliquam in idea ſua involvunt, ut omniſcientia, omni-

omnipotentia, &c. Nos ita nunc proponemus omnia Dei attributa, & positiva, & negativa, & absoluta & respectiva, & quiescentia, & operativa, prout methodus naturalis id postulat, omnia ex *necessitate in existendo* deducturi.

§. 785. *Deus non opus habet vi entis alterius extra se ad existendum.*

Demonstr. Cum enim Deus sit ens absolute necessarium, (§. 779. 789.) ens autem absolute necessarium rationem sufficientem, cur existat in se, & sua essentia habeat, (§. 179.) consequens est; ut Deus existat, quamvis ens aliud, ab ipso diversum, nullum detur. Atqui adeo Deus vi alterius entis extra se non opus habet ad existendum.

§. 786. Ex quo per immediatam consequentiam fluit, quod Deus vi propria existat, sibique ipse sufficiat ad existendum.

§. 787. *Ens a se* dicitur illud, quod non indiget vi entis alterius, extra se ad existendum, sive, quod idem est, quod vi propria existit.

§. 788. *Deus est ens a se*,

Demonstr. cum enim Deus vi propria existat, nec opus habet alterius cujusdam entis vi ad existendum, (§. 785. 786.) ejusmodi autem ens dicatur *ens a se*, (§. 787.) patet, DEUM esse ens a se.

SCHOL. Dum autem Deum dicimus ens a se; non id ita accipi volumus, ac si Deus esset caussa sui ipsius, sibique ipse existentiam largitus esset, sed eatenus dicitur ens a se quatenus vi propria; & per essentiam suam necessario ab æterno existit.

§. 789. *Deus est ens independens*.

Demonstr. Ejusmodi ens, quod in nullo alio extra se habet rationem sufficientem, cur existat, dicitur *independens*. (§. 338.) Cum vero Deus sit ens absolute necessarium, (§. 778. 780.) ens autem absolute necessarium non habeat rationem

suffi-

sufficientem, cur existat, in alio ente extra se, sed in seipso (§. 179.) consequens est, ut DEUS sit ens independens.

§. 790. *DEUS est immutabilis.*

Demonstr. Cum enim ens absolute necessarium sit immutabile, aliterque esse non possit, (§. 176.) DEUS autem sit ens absolute necessarium, (§. 778.) intelligitur DEUM esse immutabilem.

§. 791 *Æternum* dicitur, quod nec initium, nec finem habet existendi.

§. 792. *Ens, quod absolute necessario existit, debet esse æternum.*

Demonstr. Quodcunque enim nec initium, nec finem habet existendi, illud est æternum. (§. 791.) Atqui ens, quod absolute necessario existit, nec initium nec finem habet existendi: Ergo ens, quod absolute necessario existit, est æternum. Ens enim, quod absolute necessario existit, ita existit, ut oppositum, scilicet non existentia, involvat contradictionem, adeoque sit impossibilis (§. 46.). Fac ergo, absolute necessarium ens habere initium existendi, tum concedatur necesse est, absolute necessarium aliquando non extitisse, adeoque ens absolute necessarium foret ens absolute necessarium, (*per hypothesin*) & non foret simul ens absolute necessarium, quia etiam posset non existere. Quod vero cum sit contra primum principium contradictionis, (§. 22.) intelligis, ens, quod absolute necessario existit, non posse habere initium existendi. Fac porro, ens absolute necessarium habere finem existendi tum rursus concedatur, necesse est, ens absolute necessarium aliquando posse non existere; quod rursus pugnat cum indole, & natura entis absolute necessarii, quippe quod ita existit, ut oppositum, scilicet, non existentia sit impossibilis.

§. 793. *Deus est æternus.*

Demonstr. Cum enim DEUS sit ens absolute necessarium. (§. 778.) ens autem absolute ne-

cessa-

cessarium debeat esse æternum, (§. 792.) palam est, Deum, esse æternum.

§. 794. *Duratio DEI est immensurabilis.*

Demonstr. Dum enim duratio Dei sit æterna, (§. 793.) æternum autem illud sit, quod nec initium, nec finem, existendi habet, (§. 791.) consequens est, ut æternum nullum habeat defectum realitatis, adeoque nullos limites (§. 315.) Quodcunque vero est illimitatum, illud mensurari non potest, quia numerus ille, quoties mensura in toto contineatur, nunquam potest assignari, quod tamen ad τω *mensurari* requiritur. (§. 260.) Ergo æternum, & duratio Dei æterna est immensurabilis.

§. 795. ***Ens primum*** dicitur, ante quod non existit aliud.

Ens ultimum vero appellatur, post quod non existet aliud.

§. 796. *DEUS est ens primum, & ultimum.*

Demonstr. Cum etiam DEUS sit æternus (§. 793.) adeoque nec initium, nec finem, existendi habeat, (§. 791.) perspicuum est, nihil exstitisse prius, quam DEUS extitit, sive ante DEUM non existere quicquam potuisse, item post DEUM non existere quicquam posse. Cum vero ejusmodi ens, ante quod non existit aliud, dicatur *primum*, (§. 785.) & post quod non existit aliud, vocetur *ultimum*, (§. 795.) DEUM, & primum, & ultimum ens esse, patet.

Hoc quoque sensu DEUS appellatur α & ω.

§. 797. *DEUS non potest esse ens compositum.*

Demonstr. Cum enim DEUS ob æternitatem nec initium, nec finem, existendi habere queat, (§. 793. 791.) adeoque nec oriri, nec interire, ens autem compositum per combinationem partium oriri, & per earundem dissolutionem interire, & dividi queat, (§. 254.) consequens est, ut DEUS non possit esse ens compositum.

§. 798. *DEUS est ens simplex.*

Dee

Demonstr. Cum enim DEUS non sit ens compositum, (§. 797.) omne autem ens sit, vel compositum, vel simplex, (§. 376.) relinquitur nihil aliud, quam ut, Deum ens simplex esse, ajamus.

§. 799. Omnia itaque ea, quæ de ente simplici supra, (§. 269. 379.) prædicavimus, de Deo quoque possunt ennunciari.

§. 800. *DEUS non potest habere limites.*

Demonstr. Cum enim omne id, quod possidet limites, debeat esse ens contingens, (§. 321.) DEUS autem non sit ens contingens, sed ens absolute necessarium, (§. 778.) consequens est, ut DEUS non possit habere limites.

§. 801. *DEUS est ens infinitum.*

Demonstr. Cum Deus non possit habere limites, (§. 800.) ejusmodi autem ens, quod non habet limites, sit *ens infinitum*, (§. 323.) evidens est, Deum esse ens infinitum.

§. 802. *Ex quo apparet, Deum debere habere omnes perfectiones actu, quæ in ipso sunt possibiles.*

Demonstr. Cum enim Deus sit ens infinitum, (§. 801.) ens autem infinitum debeat actu habere omnes realitates, vel perfectiones, quæ in ipso sunt possibiles, (§. 327.) liquet, DEUM debere habere omnes perfectiones actu, quæ in ipso sunt possibiles.

SCHOL. Alii hoc theorema ita enunciant: DEUS debet habere omnes perfectiones *compossibiles*, i. e quæ cum essentia ejus, & reliquis attributis non pugnant. *Conf. Bilfingerus in Dilucidat.* §. 407. Memini, ita quoque solere demonstrari infinitatem DEI. „ Aut DEUS tantum quasdam habet perfe„ ctiones, aut nullas, aut omnes compossibiles. „ Nullas habere non potest. Est enim ens absolute „ necessarium, immutabilem, æternum &c. Nec „ *quasdam* habere tantum potest perfectiones. Si „ enim habere deberet *quasdam* tantum perfectio„ nes, tum ratio adesset sufficiens, cur *quasdam*

„ non omnes, possideret perfectiones. (§. 32.) Aut „ itaque ratio sufficiens, pergunt, cur *quædam* „ tantum DEO competant perfectiones, est in „ DEO ipso, aut extra illum. (§. 33.) Si ratio „ sufficiens, cur quædam tantum competant DEO „ perfectiones, esset extra DEUM, tum dependeret DEUS ab alio, (§. 338.) quod est contra §. „ 789. Si ratio sufficiens, cur DEO competant quædam tantum perfectiones, esset in DEO ipso, „ tum in illo deprehenderetur illa ratio, aut quatenus ens est, aut quatenus ens absolute necessarium, sive ens a se est. Non quatenus *ens* est, „ quia essentia entis, ut entis, generatim considerata, infert tantum possibilitatem, (§. 67) possibilitas autem entis non determinat perfectionum numerum, sed majus, & minus, itemque „ pauciores, & plures perfectiones admitti. Nec „ ratio sufficiens, cur DEO competant quædam „ tantum perfectiones, non omnes, latere potest „ in DEO, quatenus consideratur, ut ens absolute necessarium, & ut ens a se. Nam ut ens a „ se, & absolute necessarium rationem suæ existentiæ habet in sua essentia, (§. 177.) adeoque, quod per essentiam suam possibile est, habet actu. Ubi vero limites tibi conceperis, non „ omne id, quod per essentiam entis a se est possibile, habet existentiam (§. 315.) Cum itaque „ hoc assertum: *Deo competunt quædam perfectiones*: omni destituitur ratione sufficienti, id autem, quod omni destituitur ratione sufficienti, „ sit nihil (§. 33.) consequens est, ut certus numerus, & determinatus gradus quarundam tantum perfectionum in DEO sit inter non entia „ referendus: Relinquitur ergo, ut affirmemus, „ DEUM omnes habere realitates sive perfectiones „ compossibiles, sive, quæ cum ejus essentia, & „ attributis reliquis non pugnant: " *Vid. Bilfingerus in Dilucidat.* §. 408. *item Canzius in Usu Philosoph. in Theologia T.* 1. *p. m.* 157.

§ 803.

§. 803. *Deus non modo omnes habet perfectiones compossibiles*, (§. 800.) *sed easdem quoque possidet absolute*, & *sine gradibus*.

Demonstr. Cum enim DEUS sit ens infinitum, (§. 801.) ens autem infinitum omnes possibiles perfectiones, & realitates sine *ullo* gradu possideat, (§. 338.) in manifesto est, Deum omnes possibiles perfectiones non in certo aliquo, & determinato gradu possidere, sed absolute, & sine gradibus.

§. 804. *Deo nihil potest concipi majus*.

Demonstr. Cum enim DEUS nullos habeat limites, (§. 800.) & sit ens infinitum; (§. 801.) eo autem, quod limitibus destituitur, nihil possit concipi majus; (§. 322.) consequens est, ut DEO nihil possit concipi majus.

§. 805. *Immensitas* DEI vocatur incommensurabilitas perfectionum divinarum.

§. 806. *Deus est, quâ perfectiones suas, immensus*.

Demonstr. Dum enim DEUS, ob infinitatem suam omnes compossibiles perfectiones possidet, (§. 802.) nihilque eo concipi majus potest, (§. 804.) manifestum est, DEO certam quandam, & determinatam magnitudinem perfectionum attribui non posse. Cum vero, quidquid non habet magnitudinem, cujus ratio ad aliam datam homogeneam magnitudinem potest investigari, id *mensurari* non possit, (§. 260.) intelligi potest, perfectiones divinas mensurari non posse. (§. 335.) Quæ incommensurabilitas perfectionum divinarum, cum constituat DEI immensitatem. (§. 805.) DEUM immensum esse, liquet.

§. 807. *Est tantum unicus DEUS, nec possunt plures Dii esse, quam unus*.

Demonstr. Cum enim DEUS sit ens infinitum; (§. 801.) duo autem entia infinita nec dentur, nec dari possint, (§. 334.) consequens est, ut tantum unicus sit Deus, nec possint plures Dii esse, quam unus.

SCHOL. Veteres varia pro unitate Dei argumenta adhibebant, quorum quædam adducemus (α). „ Ita argumentabantur : DEUS eſt ens ſimpliciter „ perfectiſſimum. Ens ſimpliciter perfectiſſimum eſt, „ quod ſimpliciter omnia entia ſuperat, " Repugnat autem, rem aliquam ſimpliciter omnes res reliquas perfectione ac bonitate ſuperare, & tamen non unicam eſſe. Ita enim ſimul omnes res, & non omnes res bonitate, & perfectione ſuperaret. *Omnes* quidem per illud, quod eſt ſimpliciter optima ac perfectiſſima. *Non omnes* per hoc, quod non eſt unica ſed habeat æquam ſibi ipſi alteram rem, quam non excedit. Alterum hoc argumentum eſt : „ Deus eſt ſumme magnus. Ergo eſt unus. „ *Conſequentia probatur*. Quia ſumme magnus di„ citur, cui nihil adæquatur. Tertium argumen„ tum huc redit : Si eſſent plures Dii, ſequeretur, „ nullum eorum eſſe omnipotentem. Ratio hæc eſt. „ Si ex pluribus Diis unus creaturam aliquam producere decrevit, aut alter poſſet id impedire, aut minus. Si non poſſet alter id impedire, non eſſet omnipotens. Si autem poſſet impedire, tum is, qui creaturam aliquam producere vellet, non eſſet omnipotens, quia non poſſet afficere id, quod vellet. Plura vide in *Hebenſtreitii theologia naturali p.* 468. *item Steinvvehr in peculiari diſſertatione, ante paucos annos Lipſiæ habita, qua argumenta pro unitate DEI examinantur*. *Conf. Canzius in Uſu Philoſophiæ*, *p.* 151.

§. 808. *Omnia, quæ Deo poſſunt ineſſe, inſunt ipſi ſine* TEMPORIS PROGRESSU, *&* SUCCESSIONE.

Demonſtr. Cum enim DEUS ſit ens infinitum, (§. 801.) ens autem infinitum omnis ſucceſſionis ſit expers, (§. 329.) conſequens eſt, ut omnia, quæ Deo poſſunt ineſſe, inſint ipſi ſine *temporis progreſſu*, & ſine *omni ſucceſſione*.

CA-

CAPUT III.

De intellectu divino, & attributis cum ipso connexis.

§. 809.

DEUS *gaudet intellectu.*

Demonstr. Cum enim DEO omnes, quæ ipsi inesse possunt, perfectiones actu insint, (§. 802.) intellectus autem, per quem ens aliquod res sibi distincte repræsentat, (§. 549.) ex omnium sententia, sit perfectio, dubitari non potest, DEUM gaudere intellectu.

SCHOL. Alii ad hoc theorema demonstrandum sequentes adducunt positiones. In DEO continetur ratio sufficiens, cur hic mundus potius, quam alius, ad existentiam pervenerit (§. 778.) Jam vero plures mundi, sive plures rerum connexiones sunt possibiles, quam hic mundus, sive hæc rerum connexio, ob contingentiam §. 417. demonstratam. Ergo ratio sufficiens adesse debet, cur DEUS hunc mundum, nec potius alium, produxerit. (§. 32.) Si dixeris: *Produxit hunc mundum præ cæteris omnibus possibilibus, quia produxit*, tunc ridicule respondes, nec rationem sufficientem allegas; sin dixeris, produxit hunc mundum præ cæteris mundis possibilibus ideo, quia *voluit* eum producere, tum aliquid dicis, sed nondum rationem sufficientem allegas, in qua plene possim acquiescere. Ut taceam, hanc responsionem deducere facile quemquam posse ad *Absolutissimum*, divina sapientia prorsus indignum. Restat itaque, ut dicas, DEUM hunc mundum ideo produxisse, quia hunc mundum finibus suis convenientissimum distincte sibi repræsentavit. Quod cum inferat intellectum (§. 549.); DEUM gaudere intellectu, patet.

§. 810. *DEUS gaudet intellectu absolute perfectissimo.*

Demonstr. Cum, quidquid DEUS possidet, id possideat ipse non in certo quodam, & determinato gradu, sed absolute, & sine gradibus (§. 803.), Deus autem intellectum habeat (§. 909.), lucidissime apparet, Deum non ejusmodi gaudere intellectu, quo concipi potest major, sed intellectu, omnes gradus prorsus respuente, & absolute perfectissimo.

§. 811. *Dei intellectus non est facultas, sed est actus,*

Demonstr. Cum enim *facultas* sit possibilitas agendi (§. 298.). DEO autem omne, quidquid ipsi inesse potest, actu insit (§. 802.), in aprico est, intellectum DEI non esse habendum pro facultate repræsentandi, sed pro actu.

§. 812. *DEUS non ea modo, quæ actu sunt, & revera fiunt, sed OMNIA quoque POSSIBILIA sibi repræsentat.*

Demonstr. Cum enim DEUS gaudeat intellectu perfectissimo (§. 801.), ad intellectum autem perfectissimum requiratur, ut *omnia possibilia* sibi repræsentet (§. 550.) certum est, DEUM non ea modo, quæ actu sunt, & revera fiunt, sed *omnia* quoque *possibilia* sibi repræsentare.

SCHOL. Alii hoc theorema ita enunciant: *Deus omnes mundos possibiles sibi repræsentat*. Fuerunt, qui hac locutione offenderentur. Fuerunt, qui illam rejiciendam, ut periculosam, putarent. At nihil hic video veneni. Concedisne, DEUM plura scire, quam quæ hoc mundo comprehenduntur? Fieri enim alia omnia possent, quam quæ nunc fiunt, fieri possent in alio nexu. Concedisne, plura ad existentiam posse perduci, quam quæ perducantur? Putasne, hæc, quæ adhuc ad existentiam in alio nexu aliaque caussarum subordinatione perduci possunt, latere DEUM? Jam vero cum congeries rerum, per caussas, & effectus connexarum,

rum, dicatur mundus (§. 366.), quidni, DEUM omnes possibiles mundos sibi repræsentare dicemus? Sin hæc locutio tibi fuerit suspecta, dic: DEUS non ea modo, quæ existunt, revera fiunt, sibi repræsentat, sed ea quoque, quæ existere possunt, quæque, sub hac illave conditione, in hoc illove nexu, futura essent, accuratissime novit. Idem dicis, mutatis tantum verbis.

§. 813. *DEUS non omnia modo possibilia sibi repræsentat* (§. 812.). *Sed ea quoque possibilia DISTINCTISSIME, & ADÆQUATISSIME novit.*

Demonstr. Cum enim Deus gaudeat intellectu perfectissimo (§. 820.) ad intellectum vero perfectissimum requiratur, ut omnia possibilia *distinctissime*, & *adæquatissime* sibi repræsentet (§. 55.), conficitur inde, Deum omnia possibilia sibi distinctissime & adæquatissime repræsentare.

SCHOL. Novit adeo Deus ea, quæ vel existunt, vel existere possunt, non confuse, non superficiarie, ut nos homines plurima novimus, sed interiora rerum, & omnium possibilium σχέσεις, habitudines, & relationes ad se invicem intime perspexit.

§. 814. *Novit DEUS, quidquid novit, vi intellectus perfectissimi: non successive, sed UNICO ACTU & SIMUL.*

Demonstr. Dum enim intellectus perfectissimi natura id postulat, ut omnia possibilia non modo distinctissime, sed unico quoque actu, & simul, sine successione, sine temporis progressu, sibi sistat (§. 550.), Deus autem gaudet intellectu perfectissimo (§. 810.), consequens est, ut Deus omnia possibilia non distinctissime modo, & adæquatissime, sed *unico* quoque *actu*, & simul sine ulla successione, sine ullo progressu temporis, sibi repræsentet.

§. 815. *Intellectus DEI est purissimus.*

Demonstr. Intellectum purum dicimus, ubi res eo distinctionis gradu nobis repræsentamus, ut nulla

confusa repræsentatio sit intermixta (§. 552.). Jam vero cum intellectus Dei omnia possibilia *distinctissime*, *& adæquatissime* sibi repræsentet, (§. 813.) luculenter apparet, in repræsentationibus intellectus divini ne minimam quidem confusionem locum habere posse. Atque adeo perspicitur ratio, cur intellectum Dei purissimum dicamus.

§. 816. *DEUS nec sentit, nec imaginatur.*

Demonstr. Cum enim ad omnem sensionem requiratur, ut res externæ in organis sensoriis corporis producant mutationem, (§. 499.) & ille demum *sentire* dicatur, qui res, corpori suo præsentes, sibi repræsentat (§. 497.), Deus autem non habeat corpus, quia non est ens compositum (§. 797.) sed est ens simplex (§. 798.) clarum est, & evidentissimum, Deum non sentire.

Quia omnis imaginatio oritur ex sensationibus, & ipsa nihil aliud est, quam continuata sensatio, (§. 509.) consequens est, ut, cum Deus non sentiat, nec imaginetur.

§. 817. *DEUS nec abstrahit, nec ratiocinatur.*

Demonstr. Ille *abstrahit*, qui unum absque altero considerat, atque adeo non omnia, quæ potest cognoscere, *simul* cognoscit, (§. 560.) Cum vero Deus omnia possibilia *unico actu*, & *simul* cognoscat (§. 814.) Palam est, Deum non abstrahere. *Ratiocinatur* ille, qui unum ex altero colligit, & ex judiciorum combinatione novum judicium derivat (§. 554.). Quod cum non possit, nisi successive, & progressu temporis, fieri, omnis autem successio, omnisque cognitio progressu temporis acquisita, repugnet intellectui divino (§. 814.), sequitur, ut Deus nec abstrahere, nec ratiocinari dici queat.

§. 818. *Omniscientia* dicitur omnium possibilium distinctissima, & simultanea repræsentatio.

§. 819. *DEUS est omniscius.*

Demonstr. Cum enim Deus repræsentet sibi, & sciat (α) *omnia possibilia* (§. 812.) (β) *distinctissime*,

ſime, (§. 813.) (7) *ſimul*, & *unico actu* (§. 814.), repræſentatio autem omnium poſſibilium diſtinctiſſima, & ſimultanea ſit *omniſcientia*, (§. 818.) perſpicuum eſt, Dum eſſe omniſcium,

§. 820. Novit itaque DEUS diſtinctiſſime non præterita modo, & præſentia, ſed futura quoque, & hæc tam certo futura, quam ſub conditione, nunquam exiſtente, futura, (Theologi vocant *futuribilia*) novit, qui ordo ſucceſſionis futurus ſit in futuris. Et cum omnia poſſibilia unico actu Deus & ſimul repræſentet (§. 812. 814.) omnia futura ipſius intellectui ſunt præſentia. Novit abſtruſiſſima quæque, & ipſas hominum cogitationes occultas.

§. 821. Quatenus Deus cognoſcit mere poſſibilia, quæ nunquam exiſtent, dicitur habere *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ*, ſive *neceſſariam*. Quatenus ea novit, quæ actu fiunt, & revera exiſtunt, dicitur habere *ſcientiam viſionis*, ſive *liberam*. Quatenus novit ea, quæ ſub conditione, licet non exiſtente, futura, dicitur habere *ſcientiam mediam*, item *præſcientiam*. *Conf. Kremayeri diſſertatio de præſcientia contingentium*.

§. 822. *DEUS gaudet ratione ſumma*, & *puriſſima*.

Demonſtr. Cum enim omnia poſſibilia, & omnium poſſibilium connexionem Deus perſpiciat diſtinctiſſime, (§. 812.) is autem, qui veritatum nexum perſpicit diſtincte, dicatur gaudere *ratione*, (§. 752.) conſequens eſt, ut Deus gaudeat ratione. Quia vero quidquid in Deo eſt, ipſi ineſt abſolute, & ſine gradibus, (§. 572.) ratione ſumma, & puriſſima (§. 575.) Deus gaudeat neceſſe eſt.

§. 823. *Intellectus divinus eſt fons eſſentiarum*.

Demonſtr. Dum DEI intellectus omnia poſſibilia ſibi repræſentet, (§. 812.) conſequens eſt, ut, quidquid DEI intellectus ſibi non repræſentat, id non ſit poſſibile. Ergo ratio, cur quicquam ſit

poſſi-

possibile, ex intellectu DEI erit derivanda. Id, in quo alterius ratio continetur, dicitur alterius *principium* sive *fons* (§. 339.). Ergo intellectus divinus est fons, sive principium possibilitatis rei. Possibilitas rei constituit ejusdem essentiam. (§. 67.) Ergo intellectus divinus est principium, & fons essentiarum.

SCHOL. *Bilfingerus* in eo multus est, ut originem essentiarum, ab intellectu divino unice derivandam, recte explicet, negans, possibilitatis, & essentiarum fontem esse in voluntate DEI, & libero ejusdem decreto quærendum. Vid. Dilucidationes. §. 19. 34. Ita ipse inter alia: „ Necessarium dicitur, cujus oppositum involvit contradictionem, quidquid enim non involvit contradictionem, id est possibile,) igitur possibilia sunt „ necessaria. Quod necessarium est, id ex necessario fonte pullulat, nec arbitrario; neque enim „ in principiato plus esse debet, quam in principio. 17.

SCHOL. *Cæterum* obstupescamus, necesse est, immensitatem, & infinitatem intellectus divini; satis magnus satisque vastus esset intellectus, si ea tantum, quæ hac rerum universitate comprehenduntur, quæque ad existentiam perveniunt, sibi repræsentaret. Cum enim multitudo sit innumerabilis corporum mundi totalium, partialium, corpusculorum, elementorum atque aliarum substantiatum immaterialium, quæ constituunt hoc universum, cum porro minimum quodque spatiolum innumeris repleatur particulis, quæ, ob principium indiscernibilium, semper sibi sunt dissimiles, & stupendam adeo varietatem inferunt, intelligitur, ejusmodi intellectum, qui hæc omnia distinctissime unico actu, & simul sibi repræsentat, attentiores non posse non in admirationem sui rapere. Cum vero DEUS non hæc modo, quæ hoc universo comprehenduntur, sed omnia quoque, quæ in alio nexu hic & nunc possent accidere, distin-

ctis-

ctissime, & adæquatissime noverit, stupore defixi, & attoniti hæreamus, oportet, in inexhausto illo repræsentationum divinarum oceano. VVolfius, si quis alius, immensitatem intellectus divini explicare proponit, *in specimine Phys. ad Theolog. applicatæ*, subjuncto Thummigii meletematibus p. 343. Hic ad immensitatem intellectus divini aliquo modo intelligendam considerare nos jubet „ (α) multitudinem partium mundi majorum, minorum, & „ minimarum, quas quidem homines pervestigare „ possunt, (β) stupendam vastitatem illius spatii, „ quod mundus noster replet, atque alii mundi „ possibiles replere possent. (γ) multitudinem mu- „ tationum, sibi succedentium (δ) infinitam va- „ rietatem serierum, quas contingentia, in syste- „ mata redacta, producunt, (ε) porro infinitarum „ serierum necessariarum infinitatem, quam mathe- „ sis considerat (ζ). Comparare nos vult intellectus „ finitos cum infinito. Quibus omnibus rite per- „ pensis, aliquo modo magnitudinem intellectus di- „ vini adumbrari posse, putat VVolfius.

CAPUT IV.

De volantate Dei, & attributis cum ea de connexis.

§. 824.

DEUS *gaudet voluntate.*

Demonstr. In DEO continetur ratio sufficiens, cur hic mundus existat. (§. 778.) Ratio itaque sufficiens, cur hic mundus existat, aut quærenda est in essentia DEI, aut in actu. Non autem ratio quærenda est in essentia DEI, alias mundus esset DEI attributum (§. 77.) esset absolute necessarius, & immutabilis, (§. 80. 81.) quod est contra §. 417. Ergo ratio quærenda est in actu

DEI

DEI. Cum vero plures mundi, præter hunc, sint possibiles, (§. 418.) necesse est, ut ille actus DEI sit talis, ubi Deus ex pluribus illis mundis possibilibus præsentem *elegit*, & reliquis possibilibus prætulit. Cum vero electio sit actus voluntatis, (§. 669.) consequens est, ut Deus gaudeat voluntate.

SCHOL. Alii ita: Intellectus DEI repræsentat distinctissime omnie bona, & omnes bonorum gradus, (§. 812.) atque adeo tendit in omnia bona, distincte cognita, sive, quod idem est, *vult*, omnia bona distincte cognita. (§. 601. 669.).

§. 825. *DEUS habet voluntatem perfectissimam*.

Demonstr. Cum enim Deus, quidquid habet, id possideat absolute, & sine gradibus. (§. 802.) Deus autem habet voluntatem, (§ 824.) certum est Deum habere voluntatem perfectissimam.

NOTA. Ut vero facilius intelligi queat in quo consistat voluntas perfectissima, perfectiones voluntatis, generatim spectatæ, sunt volvendæ.

§. 826. Hoc perfectior est voluntas, (1) quo ad *plura* bona ipsa fertur. (2) si bonum appetit pro *exacta bonitatis mensura*, i. e. si majora bona vehementius: quam minora, appetit, & si præstantius bonum bono majori præfert. Hoc ipso enim servatur consensus, & proportio inter quantitatem boni in re, quæ appetitur, & inter actum volendi ipsum. (3) Si voluntas prior, & posterior circa idem objectum semper *sibi consentit*, ita ut ea non aversetur post aliquod tempus, quæ antea appetiit.

SCHOL. Bilfingerus in Dilucidat. §. 300. hæc ad perfectionem voluntatis, generatim consideratam, requirit ". Ex mea, inquit, sententia perfectio " voluntatis quadruplicem complectitur consensum. Unum præsupponit, eum scilicet, qui est " inter repræsentationem objecti; ab intellectu " factam, & rem ipsam. Duos includit, alterum " inter actum volendi, & repræsentationem mo-

" ti-

„ tivorum agendi; alterum inter volitionem unam „ & alteram. „ Quartus quasi consequens est inter volitionem, & potentiam, & ut nihil velit, nisi quod possit. Hæc Bilfingerus.

§. 827. *Perfectissima* itaque *voluntas* est, quæ (1) fertur in *omne* bonum, (2) pro *exacta bonitatis mensura*, (3) semper sibi *consentanea*, ut nunquam prior, & posterior actus volendi secum pugnent.

§. 828. DEUS *vult omnia, quæ bona sunt*.

Demonstr. Cum enim DEUS gaudeat voluntate perfectissima, (§. 825.) perfectissimæ autem voluntatis requisitum primum sit, ut feratur in *omne bonum*, (§. 827.) patet, DEUM velle omne bonum.

Ponamus, DEUM non omnia, quæ bona sunt appetere; Ergo darentur bona, quibus nondum delectaretur. Cum vero perfectionibus divinis nihil addi possit, ipseque DEUS, quidquid habere potest, actu habeat, & quidem absolute ac sine gradibus, (§. 803.) consequens est, ut nullum bonum detur, in quod voluntas divina non feratur. Ergo DEUS omne appetit bonum.

SCHOL. Hominis quidem anima etiam nil, nisi bonum, appetere dicitur, at (α) ob confusam boni cognitionem, anima sæpius quid pro bono habet, quod est revera malum. DEUS autem bonum cognoscit distinctissime. (813.) (β) Homo appetit bonum *generatim* tantum, non vero semper *in individuo, hic & nunc*, quia in individuo non semper cognoscit bonum, cum tamen bonum adsit.

§. 829. *Deus vult omne bonum pro exacta bonitatis mensura*.

Demonstr Dum enim voluntas perfectissima requirat, ut bonum omne appetat pro *exacta bonitatis mensura*, (§. 827.) DEUS autem voluntate gaudeat perfectissima, (§. 825.) manifestum est;

DEUM

DEUM velle omne bonum, pro exacta bonitatis mensura.

Ponamus, DEUM non velle omne bonum pro exacta bonitatis mensura, id est ita, ut bonum majus præferat minori, tum non adesset consensus inter actum volendi, & inter quantitatem boni in objecto. Dum vero, ubi deest consensus, ibi desit aliqua perfectio, (§. 201.) DEUS non omnes, haberet perfectiones, quod est contra §. 802.

§. 830. *Deus non vult quicquam sine distinctissima boni repræsentatione, sive motivo.*

Demonstr. Aut enim DEUS vult bonum, quia *vult*, aut quia *potest* illud velle, aut quia id, tanquam bonum, sibi distinctissime repræsentat: *Illud* cave dicas: ridicule enim responderes, si quæsitus; cur vult DEUS bonum, responderes; *quia vult*. *Istud* item non valet: *a posse enim ad esse non valet consequentia*. (§. 54.) Ergo affirmandum, Deum ideo velle aliquid, quia illud sibi repræsentat, tanquam bonum. Repræsentatio boni, voluntatem ad appetendum determinans, dicitur *motivum*. (§. 619.) Ergo patet, Deum non quicquam velle, sine motivo.

Ponamus, Deum aliquid velle sine motivo, sive repræsentatione boni, tum concedatur, necesse est, esse in DEO actum volendi, cui nulla tamen bonitas in objecto responderet. Deestne hic consensus inter actum volendi, & bonitatem objecti, sive rei appetitæ? Atque adeo DEI voluntas non esset perfectissima, quod est contra §. 825.

NOTA. Miror, nonnullos, cum de ratione, sive motivo, DEUM ad appetendum determinante audiunt, adeo effervescere ira. Annon in omnibus compendiis systematibusque Theologicis occurrit hæc quæstio? Quænam fuit caussa impulsiva redemtionis generis humani? Quænam caussa impulsiva creationis hujus mundi? Quænam item caus-

causa impulsiva, quæ DEUM movet ad quosdam salvandos? Nonne idem dicis, ac si diceres: Quænam ratio objectiva, quodnam motivum adest, quod DEUM determinat ad quosdam salvandos? Quid? quod si rationem objectivam, si motiva, ab objectis desumta, negas, evitare non potes, quin in pestilentissimam illam incidas opinionem, qua DEO tribuitur *absolutum* quoddam *decretum*.

§. 831. Quamvis Deus velit omne bonum seorsum spectatum. (§. 828.) cum tamen sæpius fiat ut omnia bona, ob collisionem, (§. 207.) obtineri nequeant; finibusque præterea divinis non sit conveniens, omnia bona ad existentiam perduci, DEUS, cum bonum in nexu cum omnibus reliquis bonis spectat, vult, sive decernit optimum, sive quod finibus suis est convenientissimum.

§. 832. *Deus ex iis objectis, quæ perfectione, & bonitate inæqualia sunt, non potest id, quod imperfectius est, finibusque suis non adeo est conveniens præferre ei, quod perfectius est, finibusque suis est convenientius.*

Demonstr. Si enim DEUS ex iis objectis, quæ perfectione, & bonitate inæqualia sunt, imperfectius, sive id, quod finibus suis non adeo est conveniens, præferret ei, quod perfectius est, finibusque suis convenientius, tum Deus id, quod imperfectius est, magis vellet, & id quod perfectius est, minus vellet, atque adeo inter actum volendi, & quantitatem boni in obiecto non daretur consensus, Deusque non appeteret bonum pro exacta bonitatis mensura. Cum vero DEUS, ob voluntatem suam perfectissimam, velit bonum pro exacta bonitatis mensura, (§. 829.) consequens est ut DEUS in obiectis, quæ bonitate, sive perfectione inæqualia sunt, non possit imperfectius præferre ei, quod perfectius est.

NOTA. Si te offenderint vocabula: *Imperfectius* & *perfectius*, dic: *DEUS semper eligit*, *vult*, & *decernit id*, *quod finibus suis*, *quod sapientiæ*, & *glo-*

gloriæ suæ est convenientissimum. Non video, quid in hac positione, ὀρθοδόξοις Theologis familiarissima desiderari aut jure carpi queat.

§. 833. *Ex iis objectis, quæ bonitate, vel perfectione sunt æqualia, Deus vel neutrum eligit, vel utrumque*.

Demonstr. Ponamus enim, DEUM præferre unum alteri, ex objectis, perfectione, & bonitate æqualibus, tum circa objectum A, se magis exsereret voluntas ejus, quam circa objectum B, cum tamen objectum B, sit objecto A, ratione bonitatis, & perfectionis, æquale. Atque adeo si Deus ex iis objectis quæ bonitate, vel perfectione sunt æqualia, unum alteri præfert, tum tollitur consensus inter actum volendi, & objecti bonitatem, nec DEUS vult bonum pro exacta bonitatis mensura, quod est contra §. 829. Ergo restat, ut dicamus, Deum ex iis objectis, quæ bonitate, vel perfectione sunt æqualia, vel neutrum eligere, vel utrumque, neutiquam vero alterum alteri præferre.

§. 834. *Ex his omnibus colligitur, Deum ex omnibus possibilibus rerum connexionibus mundum optimum, sive rerum nexum finibus suis convenientissimum elegisse, & produxisse*.

Demonstr. Cum enim Deus nunquam id, quod est imperfectius, possit præferre ei, quod est perfectius, sive finibus suis convenientius, (§. 832.) sed ex pluribus bonis eligat, & producat id, quod finibus suis est convenientissimum, sive optimum, (§. 832.) intelligi potest, Deum, ex omnibus possibilibus rerum connexionibus, sive mundis, mundum optimum, sive rerum nexum, finibus suis convenientissimum, elegisse, & produxisse.

SCHOL. *Cum* itaque, vi hujus theorematis, DEUS, ex pluribus possibilibus mundis elegerit illum mundum, qui finibus suis est convenientissimus, sive optimus, hic autem mundus, qui nunc existit,

ſtit, ſit idem ille mundus, quem Deus, ex innumeris aliis poſſibilibus elegerit; & ad exiſtentiam perduxerit, inferunt inde nonnulli, *hunc mundum qui nunc exiſtit, omnium poſſibilium mundorum eſſe optimum, eſſe perfectiſſimum*. Alii pro mundo optimo ita argumentantur: *Aut DEUS non potuit, aut non voluit, mundum optimum, ſive perfectiſſimum producere. Si non potuit optimum mundum producere, non eſt omnipotens DEUS, ſi non voluit mundum optimum producere, non eſt omni ſapiens, nec gaudet voluntate perfectiſſima, quippe quæ ſemper fertur in optimum, vi* §. 831. 832 Utrumque eſt abſurdum. *Ergo Deus mundum optimum ſive perfectiſſimum produxit.*

SCHOL. De quæſtione: *Num hic præſens mundus ſit optimus, omniumque poſſibilium mundorum perfectiſſimus?* recentiori ætate vehementiſſime eſt diſputatum. Non diſquiremus nunc, num veteres Philoſophi, Plato exempl. gr. Cicero, Plinius, mundum optimum aſſeruerint. *Vid. Ribovius. In der fernerem Erlauterung, latina autem in uberiori explicatione p.* 286, *ſeqq.* Leibnitius, originem mali contra Bailium recte explicaturus, Deique bonitatem, & ſapientiam in mali permiſſione contra irriſores vindicaturus, inter alia incidit in dogma de mundo optimo, quod propoſuit in Theodicea paſſim, maxime vero parte I. §. 8. ubi *Summa ſapientia*, inquit, *juxta ſuam etiam infinitam bonitatem, nihil aliud, quam optimum eligere potuit. Nam ſicut malum minus aliquod bonum eſt, ſic etiam minus bonum aliquod malum eſt ſi comparetur majori bono. Et poſſet in operibus Dei aliquid taxari, ſi inveniri poſſit medium, ex quo opus a Deo creatum meliorari poſſit.* Cum Leibnitio idem ſentit Wolfius. Hic enim in Metaphyſica Germanica ita: *Inter innumeros mundos poſſibiles Deus unum tantum elegit, & aliis antepoſuit, ut hic mundus exiſtens ſuam exiſtentiam obtinuerit. Ex hoc clare patet, quod exiſtens mundus præ aliis*

possibilibus sit optimus. Nam vocamus optimum mundum, in quo summa perfectio reperire est. Si perfectior mundus, quam existens possibilis fuisset, fieri non potuisset, quod imperfectiorem illi praelegisset. Nam si quis praeligeret minus perfectum prae perfectiori, contingit hoc ex ignorantia, vel ex stultitia, quia non posset ostendi sufficiens fundamentum, cur hoc faciat, si scienter, vel cum plena voluntate hoc faceret. Quia autem Deus omnes mundos possibiles perfectissime cognoscat, hunc minus perfectum mundum perfectiori ignoranter, vel inscienter non praeligere potest. Wolfii Leibnitiique sententiam de mundo optimo cum alii plures proposuerunt, & defenderunt, tum vero vel maxime *Bilfingerus*, in integro libro de origine, & permissione mali, item in Dilucidationibus. *Anonymus* in dissertatione in Class. VIII. Fascicul. I. Bibliothec. Bremens. p. 74. 76. *Canzius* in Usu Philosoph. Leibn. in Theolog. p. 212. seqq. & nuper S. *Reinbeckius*, qui contra Palmium, Theologum Hamburgensem, multa de mundo optimo disputavit. Addatur Georgii Friderici *Moelleri*, Advocati Berolinensis, scriptum, nuper contra Bertramum editum, quod inscribitur: *Certum est, quod ex hac propositione hic mundus non est optimus certe, nonnisi absurda fluent*. 1737. Quindecim absurda ex positione hac: *Hic mundus non est optimus*: Auctor ducere allaboravit.

Qui mundum optimum defendunt, sequentes potissimum positiones sibi volunt concedi.

(1) Præter hunc mundum, qui nunc existit, multi alii mundi fuerunt, & sunt etiam nunc possibiles. Quod enim nisi esset, hic mundus, qui nunc existit, unice esset possibilis, adeoque esset absolute necessarius, (§. 172.) quod foret contra §. 417.

(2) DEUS omnes possibiles mundos, & rerum nexus, licet non ad existentiam pervenerint, ab æterno sibi distinctissime repræsentavit. Quod

enim

enim si negatur, negaretur intellectus DEI perfectissimus. (§. 812.)

(3) *Ex innumeris possibilibus mundis, sive rerum connexionibus* DEUS hunc potissimum mundum, & rerum nexum, qui nunc est, elegit, & ad existentiam perduxit.

(4) Cum vero DEUS semper optimum eligat, (§. 831.) nec possit imperfectius perfectiori praeferre, (§. 832.) colligitur inde, DEUM ex omnibus possibilibus mundis optimum mundum elegisse.

(5) Bonum dicitur illud, quod fini est conveniens, (§. 696.) ergo *optimum* illud dicitur, quod finibus divinis est convenientissimum.

(6) Cum hic mundus, qui nunc existit, sit ille mundus, quem DEUS elegit, & ad actum perduxit, consequens est, ut hic mundus sit optimus, sive divinis finibus convenientissimus.

SCHOL. Ex his patescit, mundi optimi defensores non unice per vocem *mundi* intelligere Systema hoc terraqueum, & artificiosam structuram cœli, & terrae, corporumque in his contentorum. Neque, qui mundum optimum defendunt, per *mundum* intelligi volunt partem tantum aliquam, & periodum mundi, exempl. grat. statum paradisiacum Adami, sed per vocem *mundi* indicant totam illam, quanta quanta est, congeriem caussarum, & effectuum, inter se connexorum, connexionem statuum praeteritorum cum statibus praesentibus, & praesentium cum futuris, ita, ut ad mundum pertineant non modo corpora terrestria, & caelestia eorundemque connexiones, sed etiam omnes eventus physici cum suis effectibus, omnesque actiones creaturarum intelligentium morales cum suis consequentiis, post multa demum saecula insecuturis. Paucis: Considerant mundum, tanquam ens successivum, cujus partes, periodi, statusque, sigillatim, & seorsim spe-

ctati, non efficiant ipsum mundum: sed omnes simul, & in toto suo nexu. Vox *optimi* a mundi optimi defensoribus non eo sensu accipitur, quo usurpari solet ab iis, qui optimum vocant, in quo nihil est mali, nulla macula, nullus defectus &c. Sed optimum, ut dixi eo sensu sumitur, ut significet, id, quod finibus Dei gloriæque ejusdem amplificandæ est accommodatissimum. Eadem ratio est vocis *perfectissimi*. Non enim, cum de mundo perfectissimo disputant Leibnitiani, eo sensu perfectissimum vocant, quo DEUM vocamus ens absolute perfectissimum, neque ita hic hanc vocem accipi volunt, ut per perfectissimum mundum intelligant mundum, in quo nullæ plane imperfectiones, nullumque peccatum, & labes reperiatur. Sed *perfectissimum* mundum illum vocant rerum nexum, ubi omnia ita coordinata sunt, ut fines divini, gloriæ scilicet divinæ manifestatio, & creaturarum felicitas, obtineantur. Cum itaque hanc positionem defendunt: *Hic mundus est optimus*, nihil aliud affirmant, quam hoc: *Hic mundus* est speculum gloriæ divinæ, in hoc mundo tam admirabiliter tamque sapienter administrantur connexaque sunt omnia, ut ultimato ex tota illa admirabili sapientissimaque omnium rerum connexione gloriæ divinæ manifestatio emergat. Aut fallor ego vehementer, aut certum mihi est, idem docere Theologos ad unum omnes. Qui etiam docent, non modó per peccatorum permissionem, sed in ipsis quoque damnatis adhuc patefieri justitiam sapientiamque DEI: Quo quid aliud est, quam hoc, quod Dei gloria, permittendis peccatis, amplificetur? Equidem negari non potest, res & partes mundi seorsim spectatas, actiones item hominum sigillatim & extra nexum consideratas, sæpissime quidvis potius, quam gloriam DEI amplificare, videri. At si totum perspicere posses nexum omnium

rerum,

rerum, obstupesceres, quam admirabili harmonia; quam suavi concentu, ultimato omnia ad gloriam DEI dirigantur, & collineent.

SCHOL. Plures fuerunt, qui mundum optimum impugnantes, & Leibnitium, & VVolfium confutare allaborarunt. Contra Leibnitium edebat Jenae *B. Buddeus* dissertationem de origine peccati, in qua Leibnitii Theodicaeam aggressus, multa contra mundum optimum monebat. *VVeismannus*, Theologus Tubingensis, peculiare conficiebat schediasma de providentia Dei circa malum, in quo mundus optimus itidem impugnabatur, *Zimmermannus* dissertationem conscripsit de mundi existentis imperfectione, Jenae 1725. ut taceam Langium, Bertramum, & Palmium, qui nuper demum, cum Reinbeck congressus, plurima contra mundum optimum monuit.

SCHOL. Plurima sunt, quae contra mundum optimum monita, quae autem nunc ad animum occurrunt, sunt sequentia (1). *Objicitur*, „ In quocumque mundo innumera continentur mala, ille „ non est optimus sive perfectissimus. Atqui in hoc „ mundo innumera continentur mala. Ergo hic „ mundus non est optimus, sive perfectissimus. " *Respondent* Patroni mundi optimi: In quocunque mundo innumera continentur mala, ille non est optimus, si vox *optimi* significet id, in quo nihil est imperfectionis, nullus naevus, nulla macula. Cum vero *mundus optimus* sumitur pro eo nexu omnium rerum creatarum, & simul existentium & successive se excipientium, in quo gloria DEI manifestatur maxime, major propositio, si contra mundum optimum disputari debet, nunc ita erit instruenda. In quocunque rerum creatarum nexu innumera deprehenduntur mala, in illo nexu non omnia ita ordinari possunt, & cohaerere, ut ultimato gloria DEI amplificetur. Unde vero hoc probabitur? Qui hoc probare audet, ille universum nexum omnium rerum creatarum, inde a principio,

 usque

usque ad finem, ita distincte perspicere debet, ut determinare queat, num partiales illæ imperfectiones, num mala illa particularia, nexui implicata, non ultimato ita dirigantur, ut gloria DEI inde emergat, ut perfectiones divinæ inde manifestentur. Supra jam monuimus, imperfectionem partis, sæpius facere posse ad majorem totius perfectionem, non id ita tamen, ut ex imperfectione partis, in se, & seorsum spectata, resultet perfectio totius sed imperfectio partis, in toto *nexu* considerata, sæpius tribuit quid ad perfectionem totius. *Conf.* §. 215. Non mala, in se, & seorsum considerata, promovent gloriam DEI, sed, intra nexum cum aliis rebus ita diriguntur, ut tandem admirabili quadam, & vix exspectata ratione gloriæ, & majestatis divinæ splendor eluceat. Quod ut quodammodo capi possit, illustrationis gratia adjiciatur admirabilis nexus ille vitæ fatorumque Josephi.

Fratres Josephi ipsi invidebant, ipsum in foveam projiciebant, vendebant, &c. Nihil hic boni, omnia mala. Nihilominus hæc omnia in toto illo vitæ fatorumque Josephi nexu ita dirigebantur, ita se invicem insequebantur, ut tandem ex hoc toto nexu gloria *quædam* divina insigni modo elucesceret. Idem perspiceres, si totum nexum mundanum, cui innumera mala implicata sunt, posses perspicere, si posses animadvertere, quomodo omnia tandem, ex consilio DEI, cum fine DEI ultimo conspirent. Stat illud firmum inconcussumque, quod sacra tradit scriptura: *Consilium DEI est mirabile, sed omnia ad gloriosum exitum perducit* (2). *Objicitur*: DEUS vult mundum optimum: mundus optimus continet malum. Ergo DEUS vult malum. *Respondent* Fautores mundi optimi! Non sequitur: Volo librum hunc ob eruditionem, exinde consequendam, sed liber hic est macula conspurcatus. Ergo volo quoque maculam. Non sequitur: Volo medicinam, ob sanitatem inde impetrandam, medicina continet amaritudinem. Ergo volo etiam

ama-

amaritudinem (3). *Objicitur :* Mala tamen, ex sententia Leibintii, ad creati mundi perfectionem quid conferunt. *Respondent* Leibnitiani: Non ita est. Mala, sive peccata, sunt quidem *in* mundo optimo, non sunt *de* mundo optimo, ut impii sunt *in* ecclesia, non sunt *de* ecclesia. Atque adeo mundus, QUI malo, & peccato infectus est, est optimus, non QUIA peccatis infectus. Additur, illustrationis gratia, sequens exemplum. Sint studioso Theologiæ oblati duo libri, chymicus alite, alter dogmata theologica ordine concinno & apto complexus. Ecquem librum studiosus Theologiæ eliget? Nonne eum, qui finibus suis est convenientissimus? Puto theologicum. Fac vero, librum oblatum theologicum esse insigniori macula conspurcatum, fac porro, librum chymicum esse nitide compactum, & purioris chartæ. Num putas, theologicum librum, studiosi Theologiæ fini, & scopo accommodatissimum, esse ideo accommodatissimum, quia macula conspurcatus est? Non puto. Num puta, Theologiæ studiosum ideo eligere librum, *quia* macula conspurcatus est? Non puto. Eligit librum, *qui* macula inquinatus est, non *quia* macula pollutus est (4). *Objiciunt:* Si DEUS non potuit non eligere optimum, cadit ejus libertas. *Resp.* Quasi vero electio optimi non stare posset cum libertate. Conf. §. 679. Cajo offeruntur plures libri, diversi pretii. Eligit illum, quem optimum judicat. Num putas, libertatem ita Caii, dum eligit optimum, cadere? *Conf. Banzius in Usu Philos. in Theologia p. 212. seqq.*

§. 835. *Voluntas Dei est immutabilis.*

Demonstr. Cum enim Deus sit immutabilis, (§. 790.) ipsa quoque voluntas Dei erit immutabilis. Quidquid enim est in Deo, illud est ipse Deus. (§. 784.)

Ponamus, voluntatem Dei esse mutabilem, tum aut Deus, id, quod ante voluisset, post aliquod tempus aversari posset, aut vellet nunc id, quod

 ante

ante multum tempus aversatus est. Consequentur Deus id quod antea, tanquam bonum, sibi repræsentasset, repræsentaret sibi nunc, tanquam malum, & v. v. Cum vero sibi omnia possibilia distinctissime repræsentet, (§. 813.) fieri nequit, ut id, quod, tanquam bonum, sibi repræsentavit, post aliquod tempus sibi repræsentet, tanquam malum. Magnam enim id imperfectionem intellectus, & confusionem involveret.

SCHOL. Poteſt hæc positio ita quoque demonstrari: Quæcumque voluntas est perfectissima, illla appetit bonum, & aversatur malum sibi consentanee (§. 827.) Atqui voluntas Dei est perfectissima; (§. 825.) Ergo voluntas Dei appetit bonum, & aversatur malum sibi consentanee. Quæcunque voluntas appetit bonum, & aversatur malum sibi consentanee, illa ita appetit bonum, ut nunquam idem aversari possit (§. 825.), sive quod idem est, illa est immutabilis. Ergo Dei voluntas est immutabilis.

§. 836. *Voluntas Dei est liberrima.*

Demonstr. Cum enim (1) DEUS bonum, quod eligit, sibi distinctissime repræsentet, (§. 813.) (2) ob independentiam suam a nemine ad appetendum vel agendum cogi possit, (§. 789.) adeoque sponte eligat bonum, (§. 672.) (3) semper ob voluntatem suam perfectissimam eligat optimum ex pluribus possibilibus (§. 831.), hæc tria autem ad libertatem, vere talem, requirantur (§. 625.) patet, Deo competere libertatem, vere talem. Cumque Deo, quidquid ipsi inest, insit in absolute summo gradu, seu absolute potius, & sine gradibus, (§. 802.) consequens est, ut Deo tribui debeat libertas absolute summa. Atque adeo voluntas Dei est liberrima.

§. 837. *Voluntas DEI est principium omnium existentiarum rerum contingentium.*

Demonstr. In DEO continetur ratio sufficiens, cur totus hic mundus existat, (§. 778.) totus autem

tem hic mundus omnia ea complectitur, quæ contingenter, & mutabiliter existunt (§. 396.). Ergo in Deo continetur ratio sufficiens omnium existentiarum rerum contingentium. Illa ratio sufficiens non continetur in Essentia divina, (§. 823.) Ergo in actu volendi. Id, in quo continetur ratio sufficiens alterius, dicitur principium alterius (§. 339.). Ergo voluntas DEI est principium existentiarum omnium rerum contingentium.

§. 838. Exinde colligi potest.

I. Quidquid DEUS non vult, illud non potest ad existentiam pervenire.

II. Hinc patere satis nunc potest tibi via, voluntatem DEI a *posteriori* cognoscendi, attendendum scilicet est ad id, quod est, vel fit. Quidquid scilicet est, vel fit, id vult etiam DEUS, scilicet vel *approbative*, ut res ipsa etiam ipsi placeat, vel *permissive*, ut illam operationem suspendat, vel deneget, qua interposita factum ab agente non produceretur.

III Cum vero semper rationem sufficientem habeat objectivam, cur quicquam velit, (§. 830.) non satis est philosopho, in reddendis rerum caussis, cur existant, cur existant sic, nec aliter, ad solam voluntatem Dei provocare, sed ratio sufficiens ex objecto quoque ipso petenda.

SCHOL. Leibnitius eorum philosophiam, qui rerum rationes redditurі, unice ad voluntatem DEI confugiunt, vocat *philosophiam ignavorum*. Non enim multi laboris est, hoc modo omnium rerum rationes reddere. Sic, cum rationem reddere jussus fueris, cur magnes attrahat ferrum? Cur fluxus, & refluxus maris detur? Cur stomachus concoquat? dic; *Quia Deus ita vult*. Magno te labore liberasti. Voluit Deus, nos interiores rerum rationes indagare, & librum naturæ, oblatum cuivis, diligentius pervolvere.

§. 839. Datur adhuc alia via voluntatem DEI a priori naturaliter cognoscendi. Quia scilicet Deus

sem-

semper eligit optimum sive perfectissimum, (§. 831.) inquirendum tibi est, an res aliqua sit perfectionibus divinis conveniens. Tum negative certus esse potes, quidquid perfectionibus divinis minus est conveniens aut consentaneum, illud non vult Deus.

§. 840. Superest tertia via voluntatem DEI cognoscendi, si scilicet Deus *immediate* voluntatem suam homini significet, quod vocamus *revelationem*.

SCHOL. Non nostri nunc est instituti, nec hujus loci, determinare, num ulla unquam extiterit, aut etiam nunc existat, revelatio. Nec definiemus nunc, quænam sit vera revelatio, inter tot revelationes jactatas. Criteria tantum veræ revelationis ex data definitione eruemus, &, sana ratione in subsidium adhibita, notas ejusdem explicaturi sumus. Plurimi, nostra ætate, necessitatem revelationis cujusdam demonstrarunt, quorum argumentum huc redit: Deus vult, ut homines sint summe, & perpetuo felices, Deus ergo etiam vult serio, ut homini sint media perspecta, ad summam illam perpetuamque felicitatem perducentia. Qui enim vult finem, vult etiam media. Hæc media, ad salutem perducentia, ratio ignorat. Ergo necesse est, Deum eadem homini revelasse. Ergo detur, necesse est, revelatio.

§. 841. *Revelatio divina, pro actu revelandi sumta, est miraculum.*

Demonstr. Cum enim, quidquid DEUS immediate facit, sit *miraculum*, (§. 458.) revelatio autem sit, cum DEUS *immediate* voluntatem suam homini significat, (§. 840.) consequens est, ut revelatio, quatenus scilicet sumitur pro immediata Dei significatione voluntatis suæ, sive pro actu revelandi, sit miraculum.

§. 842. *Revelatio debet continere veritates supra rationem.*

Demonstr. Ponamus enim, Deum, immediate significare

gnificare veritates homini, quæ ipsi jam ex ratione sint notæ, aut ex ea certe cognosci possint, tum Deus faciet quid sine ratione sufficienti. Ea enim homini immediate revelare, quæ ipse propriis viribus indagare, & scire potest, id vere est, actum agere. Cum vero Deus sine ratione sufficiente nihil velit, nihil suscipiat, (§. 830.) consequens est, ut veritates, quas Deus revelare debet, sint supra rationem. Ergo revelatio debet continere veritates, supra rationem positas.

SCHOL. Alii ita: In revelatione defectus, sive hiatus cognitionis naturalis suppleri debent. Ergo in revelatione tradi quædam debent, quæ ratio, sibi relicta, plane non assequi potest. Illæ vero veritates, quarum existentiam, vel possibilitatem ratio cognoscere nequit, dicuntur *supra rationem* positæ. Ergo in revelatione contineri debent veritates supra rationem positæ.

§. 843. Veritates, supra rationem positæ, sive quarum possibilitatem, vel existentiam ratio cognoscere nequit, dicuntur *mysteria*.

§. 844. *Revelatio in se continere debet mysteria.*

Demonstr. Cum enim revelatio continere debeat veritates, supra rationem positas, (§. 842.) ejusmodi autem veritates, quæ sunt supra rationem, sint *mysteria*. (§. 843.) manifestum est, revelationem debere in se continere mysteria.

NOTA. Possunt quidem, ob majorem perspicuitatem, & nexum cum aliis veritatibus, variæ veritates, quæ ex ratione possunt cognosci, admixtæ esse mysteriis, princeps tamen finis, ob quem revelat nobis DEUS voluntatem suam, est, ut veritates, eæque supra rationem positæ, & ad salutem æternam consequendam sufficientes, nobis innotescant.

§. 845. *Quamvis veritates, in revelatione contentæ, sint supra rationem, (§. 842.) non possunt ta-*

tamen esse contra rationem, *i. e. non possunt esse contraria veritatibus*, *ex ratione cognitis*.

Demonstr. Cum *idem* non possit sibi contrariari, & adversum esse. (*per princ. contrad.*) Consequens est, ut veritas veritati non possit adversari. Ergo veritas revelationis non potest esse contraria veritatibus rationis.

SCHOL. Potest hoc quoque theorema ita stabiliri: Omnes veritates originem suam repetunt ab intellectu divino (§. 823.) si itaque veritas revelationis veritatibus rationis foret contraria, tum DEUS sibi ipse contradiceret, quod esset contra perfectionem intellectus divini, quæ omnem respuit dissonantiam sive contradictionem (§. 801. 802.)

SCHOL. Lebnitius in discursu præliminari, *de Concordia Rationis*, *& fidei*, in eo totus est, ut rationem scripturæ sacræ neutiquam adversari, probet. Leibnitii mentem brevibus his verbis complectitur *Canzius in usu Philos. in Theolog. p.* 8.,, „ Aut ea, quæ a ratione possunt revelationis dog„ matibus obverti, invicta demonstratione nitun„ tur, aut non. Si prius, veritas veritati erit con„ traria. Nam, quidquid demonstratione invicta „ nititur, veritas est æterna, nulli obnoxia dispen„ sationi. Si posterius autem eveniat, probabilis „ tantum est rationis revelationi oppositæ objectio. „ Atqui ejus generis argumenta nihil adversus fi„ dem proficiunt. Quis enim nescit, revelationem „ omni verosimilitudine esse superiorem " ? Idem Canzius, consensum revelationis, & rationis illustraturus, elegantem adducit comparationem, quæ hujus est sententiæ. Quemadmodum aqua aquæ non contrariatur sive adversatur, sed altera alteri insinuatur, & amica est, quamvis altera, ex lacu hausta, vel de cœlo delapsa, deterioris sit conditionis, limumque vehat, altera vero, ex limpidiori hausta scaturigine, generosioris sit conditionis. Sic veritates rationis, & revelationis, tantum abest, ut

pu-

pugnent, & adversentur sibi invicem, ut amicissimo potius nexu conspirent, quamvis veritates rationis sint vilioris conditionis, quam veritates revelationis, p. 8.

§. 846. *Uti veritates revelationis non possunt adversari, & repugnare veritatibus rationis, & v. v. sic ipsæ quoque veritates, in revelatione contentæ, non possunt sibi invicem contradicere.*

Demonstr. Cum enim veritates revelationis habeant suam originem a Deo (§. 840.), veritates revelationis non possunt sibi invicem contrariari. Quod enim si esset, Deus ipse sibi non constaret, maximaque in ipsius intellectu reperiretur imperfectio.

§. 847. *In revelatione divina nihil occurrere debet, quod perfectionibus divinis sit indignum.*

Demonstr. Cum enim DEUS nihil velle possit, quod perfectionibus suis est contrarium, (§. 828. consequens est, ut nihil quoque possit revelare, quod suis perfectionibus est minus consentaneum. Atque adeo in revelatione divina nihil occurrere debet, quod perfectionibus divinis sit indignum,

Hinc fluunt hæc consectaria; Ergo stilus in revelatione debet esse castissimus, sanctissimus; item ea sit stili in revelatione auctoritas, quæ hominum animis reverentiam erga Deum imprimat.

§. 848. *In revelatione, si scripto fiat, & verba certos significatus; & phrases certum determinatumque habeant sensum.*

Demonstr. Cum enim revelatio fiat ideo, ut homo perveniat ad cognitionem voluntatis divinæ, quam ope rationis, non poterat cognoscere, (§.840.) consequens est, ut revelatio sit perspicua. Quod enim nisi esset, voluntas Dei non posset cognosci. Revelatio autem non potest esse perspicua, nisi verba certos significatus, & phrases certum determinatumque habeant sensum.

§. 849. *Revelatio debet in se continere media ad salutem sufficientia.*

De-

Demonstr. Cum enim non sine ratione nobis revelat, suam voluntatem, (§. 830.) consequens est ut debeat finis esse, cur homini revelet quicquam. Quem cum nullum alium esse, quam salutem hominum, comprobet benignitas DEI, patet, revelationem debere in se continere media ad salutem sufficientia.

NOTA. Hæc sunt præcipua revelationis criteria, quæ num recte quadrent in librum illum, quem nos *Biblia* vocamus, quemque habemus pro vera revelatione, non est hujus loci, uberius disquirere.

§. 850. Viis ita ad voluntatem Dei rite cognoscendam monstratis quædam adhuc attributa Dei, cum voluntate ejus connexa, sunt exponenda. Huc pertinet *sapientia*, *bonitas*, *Justitia*, *omnipotentia*.

§. 851. Qui id eligit, quod optimnm est, sive finibus suis convenientissimum, ille dicitur *sapiens*. Sapientia autem est perfectio, qua quis id, quod finibus suis est convenientissimum, & optimum, eligit. Alii sapientiam definiunt per scientiam media, & fines sibi invicem recte subordinandi.

§. 852. Ex his intelligi possunt gradus sapientiæ, & quando quis magis minusve dici possit sapiens. Quo *plura* quis ad finem novit media, eo est sapientior. Sapientior ille etiam recte putatur, qui per eadem media *finem ampliorem* obtinere novit, item: qui finem eundem mediis paucioribus, & simplicioribus obtinere scit, qui denique plura media, & fines ita novit sibi invicem subordinare, ut unum idemque simul, diverso tamen respectu, medii finisque locum sustineat. Quæ omnia si in summo adsunt gradu, tum illa sapientia dicitur summa.

§. 853 *Deus gaudet sapientia summa.*

Demonstr. Cum enim Deus, ob voluntatem perfectissimam, semper eligat id, quod optimum est, & finibus suis convenientissimum, (§. 831.) ejusmodi

modi autem perfectio, qua quis eligit optimum, sive finibus suis convenientissimum, dicatur *sapientia*, (§. 851.) consequens est, ut Deus gaudeat sapientia. Et quia, quidquid Deo inest, id ipsi inest absolute, & in summo gradu, (§. 800. 802.) consequens est, ut DEUS possideat sapientiam, eamque summam.

SCHOL. Potest hoc theorema ita quoque demonstrari: DEUS gaudet intellectu perfectissimo, (§. 810.) & omnia possibilia distinctissime cognoscit; (§. 813.) quicunque vero omnia possibilia distinctissime cognoscit, ille novit quoque omnes mediorum & finium subordinationes, sive; ille novit, qua via quibusve mediis fines optimi possint impetrari. Scientia fines, & media sibi invicem recte subordinandi dicitur *Sapientia*. Ergo Deus habet sapientiam, eamque summam.

§. 854. *Deus ergo ad quemlibet finem omnia media possibilia novit, finesque amplissimos mediis simplicissimis scit obtinere.*

Demonstr. Cum enim ad summam requiratur sapientiam, ut ad quemlibet finem omnia media possibilia sciat, finesque amplissimos mediis simplicissimis norit obtinere, (§. 852.) Deus autem summa gaudeat sapientia. (§. 853.) manifestum est, Deum ad quemlibet finem omnia possibilia media nosse, & mediis simplicissimis fines amplissimos scire obtinere.

§. 855. *Bonitas* est promptitudo aliis perfectiones conferendi. Quo *intensius* itaque est studium, aliis perfectiones conferendi, quo *plures* perfectiones aliis conferre nitimur, quo denique *plures* sunt, quibus perfectiones conferre cupimus, hoc *major* est *bonitas*.

§. 856. *Maxima itaque, & summa bonitas* est studium intensissimum, entibus omnibus perfectiones omnes, quas capere possunt, conferendi.

§. 857. *DEUS habet summam bonitatem.*

Demonstr. Cum enim Deus velit omne bonum, (§. 828.)

(§. 828.) consequens est, ut Deus quoque velit creaturarum perfectiones, atque adeo studium in Deo est creaturis tribuendi perfectiones. Quod cum sit id ipsum, quod vocamus *bonitatem*, (§. 855.) intelligitur, Deum habere bonitatem. Quia vero, quidquid Deo inest, inest ipsi in gradu absolute summo (§. 800. 802.) sequitur, ut Deus habeat bonitatem summam.

§. 858. Quamvis Deus pronus sit, vi suæ bonitatis infinitæ, ad omnes omnino perfectiones cuique creaturarum conferendas, (§. 856.) cum tamen fieri nequeat, ut creatura quicquam recipiat, quod essentiæ suæ non congruit, intelligitur, quid sit, quod Deus singulis creaturis tantum conferat perfectionis, quantum potest capere earundem essentia, & natura.

§. 859. Non itaque bonitati divinæ adversatur, cum magna bonorum inæqualitas in mundo obvia reperitur. Tantum enim creaturæ cuique largitur Deus, quantum capere ipsa potest, & quantum sapientia Numinis, nexum, & convenientias rerum spectans, permittit.

§. 860. *Justitiam* definimus per bonitatem, cum sapientia connexam, sive administratam.

SCHOL. Definitio hæc, quam VVolfio debemus, quamque copiosius evolvit *Cel. Bilfingerus in Dilucidat.* §. 445. prorsus convenit cum veterum definitione, qua justitiam dicebant voluntatem, suum cuique tribuendi, *bonitas* enim tribuit unicuique, *sapientia* autem ostendit, quid sit illud tandem, quod tribuere liceat, aut negare oporteat, pro rei convenientia,

§. 861. *Justitia* ergo *summa* est bonitas summa, secundum sapientiæ perfectissimæ leges temperata, sive administrata.

§. 862. *DEUS habet justitiam summam, sive est justissimus.*

Demonstr. Cum enim Deus bonitate summa gaudeat, (§. 857.) sapientiam item summam possideat, (§. 853.)

(§. 853.) sapientia autem in Deo cùm bonitate amicissime conspirare debeat, (ob perfectiones divinas summas, quæ omnem repugnantiam, & dissonantiam respuunt.) (§. 800.) consequens est, ut Deus justitia summa gaudeat,

NOT. De hæc Justitiæ divina notione commodissime legi possunt Bilfingeri Dilucidat. §. 445, & Canzius in Usu Philos. in Theolog. p. 342.

§. 863. *Potentia* dicitur facultas possibilia perducendi ad existentiam. *Summa* itaque *potentia*, *sive omnipotentia* est facultas omnia possibilia perducendi ad existentiam.

§. 864. *DEUS est omnipotens*, *sive Deus gaudet summa potentia*.

Demonstr. Dum enim Deus hunc mundum, & quidquid in eo est, ad actum perduxerit (§. 778.) intelligitur, Deum possibilia ad actum perducendi vi gaudere. Quæ vero vis, possibilia ad existentiam, sive actum perducendi dicitur *potentia*, (§. 298.) Ergo Deus habet potentiam. Quia vero, quidquid Deus possidet, id possidet absolute, & in summo gradu, (§. 800. 802.) consequens est, ut Deus habeat summam potentiam, sive omnipotentiam. Deus ergo est omnipotens.

§. 865. *Impossibilibus omnipotentia Dei non potest largiri existentiam*.

Demonstr. Fac enim, Deum largiri impossibilibus existentiam posse, tum efficere poterit Deus, ut impossibilia sint possibilia. Id omne enim, quod actu existere debet debet esse possibile. (§. 52.) Quod vero cum sit contra principium contradictionis (§. 22.) vides, fieri non posse, ut producat Deus, & ad existentiam perducat impossibilia.

SCHOL. Impossibile autem quid est, vel ratione *DEI*, vel ratione *rei*. Ratione *DEI*, id est impossibile, quod cum essentia, cæterisque perfectionibus divinis pugnat. E. gr. *peccare*, *mentiri*, est impossibile ratione DEI, quamvis non in se, &

sua natura. Ratione vero rei id vocatur impossibile, quod in se, & sua natura involvit contradictionem. Exempl. grat. facere, ne bis duo faciant quatuor.

§. 866. *DEUS facere potest, quidquid vult.*

Demonstr. Dum enim omnia possibilia Deus ad existentiam potest perducere, (§. 864.) inter omnia autem possibilia necessario referatur, id quod optimum est, finibusque divinis convenientissimum; consequens est, ut Deus id quoque, quod optimum est, finibusque suis convenientissimum, possit producere. Deus autem nonnisi vult optimum, quodque suis finibus est convenientissimum (§. 831.) Ergo Deus facere potest, quidquid vult.

§. 867. *Non autem vult Deus omnia perducere ad existentiam, quæ potest ad illam perducere:*

Demonstr. Dum enim Deus tantum vult optimum, (§. 881.) plura autem possibilia sunt, quam id, quod optimum est, palam est, Deum, qui omnia possibilia ad existentiam deducere potest (§. 864.), non velle omnia ad existentiam perducere, quæ potest.

§. 868. *Sanctitatis* vox generatim indicat quamcunque separationem, sive immunitatem. Sic majestas regia dicitur *sancta*, quia ab omni læsione privata est separata, item vasa, cultui divino consecrata, sunt *sancta*, quatenus ab usu vulgari sunt separata. *Sanctitas* autem. de Deo prædicata. significat absolutam exclusionem omnium imperfectionum in Deo.

§. 869. *Deus est sanctissimus.*

Demonstr. Cum enim Deus omnes possibiles perfectiones possideat, (§. 802.) vi oppositorum necessario sequitur, omnes omnino imperfectiones absolute ab ipso excludi. Quæ absoluta omnium imperfectionum exclusio, cum sanctitatem Dei constituat (§. 868.) manifesta est ratio, cur, Deum sanctissimum esse, ajamus.

§. 870

§. 870. Ex his intelligitur, intellectui divino eatenus tribui sanctitatem, quatenus omnia possibilia necessario cognoscit, omnemque ignorantiam a se excludit. Voluntas autem DEI eatenus sanctitatem habet, quatenus omne bonum semper, & ubique appetit, & omne malum aversatur.

NOTA, *Vide Hoeferi dissertatio de Notione Sanctitatis divinæ, VVittembergæ* 1729. *habita*.

§. 871. *DEUS non habet affectus*.

Demonstr. Dum enim affectus oriantur ex confusa boni malive repræsentatione, (§. 619.) DEUS autem non nisi distinctissime, atque adeo sine omni confusione, sibi omnia repræsentet (§. 813.) consequens est, ut Deus omnibus careat affectibus.

§. 872. *Deus est spiritus perfectissimus*.

Demonstr. Cum enim Deus habeat intellectum perfectissimum, (§. 810.) item voluntatem perfectissimam, (§. 825.) substantia autem, intellectu perfectissimo, & voluntate perfectissima prædita, dicatur *spiritus perfectissimus*, (§. 474.) confitendum est, Deum esse spiritum perfectissimum.

§. 873. Explicata ita voluntate divina, attributisque, cum eadem connexis, intelligi nunc poterit quid sint *decreta divina*.

§. 874. *Decretum* Dei est ipsa executio, ipse actus, & determinatio voluntatis, qua id, quod contingens est, existens redditur.

SCHOL. Theologi decretum ita definiunt: Est actus voluntatis divinæ, quo Deus aliquid serio omnibusque circumstantiis consideratis vult ad existentiam perducere. Ea autem inter voluntatem decretumque Dei differentia assignatur. Voluntas Dei omnibus bonis delectatur, vultque omnia bona; cum vero, ob collisionem, omnia bona non possint obtineri, sapientiæque præterea divinæ repugnet, omnia, quæ bona sunt, ad existentiam perduci, *Decernit* Deus tantum optimum. Illa voluntas, qua Deus omnia bona vult, dicitur

antecedens, hæc autem, quæ Deus tantum decernit, & vult ex pluribus bonis optimum, appellatur *voluntas consequens*.

SCHOL. Voluntas illa, qua DEUS mundum hunc perducere ad existentiam voluit, dicitur *decretum* DEI *universale*, quod tantum unum est, quia unus est mundus. Atque hoc sensu definit *Thummigius decretum* instit. Philos. VVolfianæ p. 229. ubi, *Decretum*, inquit, est Numinis voluntas de universo ad actum perducendo. Decretum vero hoc universale, ad quod omnia totius universi, maxima, minima, pertinent, accipit nomen *decretorum particularium*, quatenus hoc decretum universale ad hoc illudve individuum refertur. Quatenus exempl. grat. Deus vult, ut Cajus in æternum salvetur, eatenus hæc voluntatis determinatio, respectu hujus individui, Caji, audit decretum Dei particulare.

§ 875. Cum ergo decreta sint determinatio voluntatis Dei (§. 874.) sequitur, ut, quidquid de voluntate Dei dictum est, idem quoque de decretis divinis dici debeat.

§. 876. (1) Cum voluntas divina sit immutabilis, (§. 835.) decreta quoque Dei sunt immutabilia.

(2) Voluntas divina est principium, & fons existentiarum rerum contingentium, (§. 837.) nihil potest ad existentiam pervenire, nisi quod Deus vult. Ergo nihil potest evenire, nisi quod Deus decrevit.

(3) Voluntas Dei est liberrima, (§. 836.) Ergo decreta Dei sunt liberrima.

(4) Decreta Dei certo executioni dantur. Quod enim nisi esset, aut mutaret Deus sua decreta, quod est contra num. I. aut ab alio impediretur, quod est contra independentiam, §. 789. demonstratam.

(5) Decreta Dei sunt æterna. Quod enim nisi esset, fuisset aliquando tempus, quo Deus nondum

dum decrevisset, id quod postmodum decrevit: Sic Deo aliquando non omnia ipsi infuissent, quæ ipsi inesse possunt; quod est contra (§. 802.) & simul successio daretur in Deo, quod est contra §. 808.

(6) Voluntas Dei semper ratione objectiva movetur ad appetendum. (§. 830.) Ergo nihil absolute Deus decernit, sed ob rationem, in objecto deprehensam, hoc illudve ab æterno decrevit;

CAPUT V.

De operibus divinis:

§. 877

DEcreti Dei universalis exsecutio se, vel maxime exserurit tum, cum Deus hunc mundum *crearet*, sive ad existentiam perduceret. *Creatio* autem nihil aliud est, quam productio rei ex nihilo.

SCHOL. Ad opera divina; sive executiones decretorum divinorum dum aggredimur, notandum est; actiones Dei esse, vel *immanentes*, vel *transeuntes*. Illæ sunt, quarum objectum est ipse Deus; Hæ vero, quæ extra Deum terminantur. Inter actiones DEI transeuntes primo loco referenda est creatio, qua Deus hoc universum, cum antea nihil esset, existens reddit. *Bilfingerus* aliam adhuc format notionem *creationis*. Mea quidem sententia, *inquit*, *foret etiam illa* veri nominis creatio, si Deus ab æterno realitatem illi largiretur, quod ex sese nullam habet, adeoque de se ipso nihil est. *Conf. Dilucidat. philos. p.* 186.

§. 878. *DEUS liberrime mundum creavit*.

Demonstr. Cum enim voluntas Dei sit liberrima, (§. 836.) ratio autem sufficiens existentiæ hujus mundi non contineatur in essentia Dei, sed in ejus voluntate, (§. 834.) facile intelligi-

tur, DEUM, dum hunc mundum produxit, egisse liberrime.

§. 879. *Finis, cur DEUS hunc mundum creavit, est perfectionum suarum manifestatio.*

Demonstr. Cum enim Deus, ob sapientiam suam infinitam, finem in creando mundo habuerit, necesse sit, (§. 853.) consequens est, ut finis hic, a DEO in creando mundo intentus, aut sit in ipso mundo, aut in Deo. In mundo ipse esse non potest, mundus enim id ipsum est, per quod finis promoveri, & obtineri debet. Ergo finis creationis mundi in Deo sit oportet. Cum vero Deo ejusque attributis ex creatione universi nihil detur, aut dari queat: Deus enim, quidquid in ipso est possibile, actu possidet, (§. 802.) restat ut affirmemus, nihil aliud Deum in condendo mundo intendisse, quam suarum perfectionum manifestationem, sive, quod idem est, gloriæ suæ illustrationem. *Gloria* enim *Dei illustratur*, cum ejus perfectiones patefiunt, & manifestantur.

SCHOL. Cæterum de creatione mundi variæ in medium proferuntur quæstiones, quarum sequens vel maxime turbas concitavit. Quæritur scilicet, num mundus hic creari potuerit ab æterno? Non recensere hic omnia ea licet, quæ de hac quæstione ultro citroque ad eruditissimis viris sunt disputata. Ratio quidem determinare non potest, quo præcise tempore mundus hic sit creatus, nec definire ratio valet, quamdiu hoc universum duraverit. Id tamen ratio ex notione creationis colligere potest aliquando, cœpisse mundum. Ubi enim aliquid existens redditur ex nihilo, ibi initium existentiæ statuatur necesse est. Atqui in omni creatione &c. Ergo. Quocunque etiam modo tibi conceperis *creationem*, quocunque modo tibi repræsentaveris *quod creatum est*, nunquam profecto fieri poterit, ut id quod creatur, sive creatum est, sine initio existendi tibi con-

concipias. Hinc judicari poterit, num mundus potuerit creari ab æterno? Nego & pernego. In re ipsa enim hoc involvit contradictionem, *creari* & tamen *ab æterno* esse, *Conf. Bilfingerus in Dilucidat. p.* 187.

§. 880. Creationem excipit *providentia* DEI. Quam vero qui intelligere capit, is verò antea ea, quæ notionem providentiæ ingrediantur, rite perspecta habeat, & explorata. Quare, quid sit *conservatio*, quid *concursus*, quid denique *gubernatio*, paucis ante definiemus.

§. 881. *Si res creatæ existentiam suam continuare debent, necesse est, ut Deus voluntatem suam de creaturarum existentia continuet.*

Demonstr. Solum ens necessarium existit per essentiam suam, §. 177.) & est atributum entis a se, ut vi propria existat (§. 787.). Cum vero attributa rei sint incommunicabilia, (§. 81.) fieri nequit, ut DEUS creaturis, quippe quæ non sunt entia a se, aut necessaria, sed contingentia, (§. 410.) existentiam per essentiam det. Atque adeo necesse est, ut si creaturæ existentiam suam continuare debent, DEUS voluntatem suam de creaturarum existentia continuet.

§. 882. *Conservatio* est continuatio voluntatis divinæ de rei creatæ existentia.

§. 883. *DEUS conservat omnia, quæ creata sunt.*

Demonstr. Experiundo novimus, creaturas suam continuare existentiam. Dum vero creaturæ suam existentiam continuare nequeunt, nisi DEUS suam voluntatem continuet de earundem existentia, (§. 881.) continuatio autem voluntatis divinæ de rerum creatarum existentia dicitur *conservatio* (§. 882.) palam est, Deum omnia, quæ ab ipso creata sunt, conservare.

SCHOL. In qualibet autem re, quam DEUS conservat, duo sunt a se invicem distinguenda, (α) *Reale*, & (β) *Limitatio*, sive defectus aliquis, qui

qui τῷ *reali* adhæret. Sic e. gr. in anima humana est vis repræsentativa, hoc est *reale*, & ab hoc *reali* omnes veniunt repræsentationes. At hæc vis adjunctas habet limitationes, ex quibus oriuntur repræsentationes *confusæ*, *errores*, *præjudicia*. Illud, quod *reale* est, DEUS conservat, limitationes autem τῷ *reali* adhærentes, & in mera privatione, sive defectu ulterioris realitatis consistentes, non indigent influxu aliquo conservatorio, atque adeo DEUS limitationes non conservat.

§. 884. *Concursus Dei generalis*, qui extenditur ad omnes creaturas, est actio voluntatis divinæ; qua Deus id, quod in re quapiam reale, in vi activa conservat, & ad agendum creaturam aptam reddit.

SCHOL. *Wolfus in Theol. Natural. Tom.I.p.*873: *concursum* ad actionem alterius definit per actionem, quæ in se continet aliquid rationis, cur agens agat, vel egerit.

§. 885. Ex hac definitione patescit; concursum divinum a conservatione non, nisi in eo, differre, quod conservatio sit continuatio voluntatis divinæ de continuatione existentiæ alicujus rei., concursus autem tendat ad id, ut vis rei cujusque activa permaneat.

§. 886. *Deus concurrit ad actiones creaturarum, quatenus sunt actiones, non vero concurrit ad actionum limitationes, a quibus provenit, ut actio aliqua sit præcise hæc actio, nec alia.*

Demonstr. Cum enim quævis actio, quatenus est actio, proveniat a vi agendi, tanquam principio, & fonte suo, (§. 300.) consequens est, ut, dum DEUS conservat vim agendi, ipsam quoque actionem patrari velit. Conservatio illa, qua DEUS vim agendi in subjecto quodam vult existere, dicitur concursus DEI generalis. (§. 884.) Ergo Deus concurrit generatim ad actiones creaturarum, quatenus sunt actiones, & a vi agendi proficiscun-

ſcuntur. Cum vero Deus limitationes rerum non conſervet (§. 883.). Concurſus autem DEI ſit ſpecies conſervationis, (§. 875.) manifeſtum eſt, nec Deum ad limitationes actionum concurrere. A limitationibus vero virium provenit, ut aliqua actio ſit præciſe hæc actio, nec alia, (nam, dum vis agendi eſt limitata, non poteſt ſimul ad omne niti.) Ergo Deus non concurrit ad actionem, quatenus hoc illove modo per limitationem determinata eſt.

SCHOL. Theologi hanc poſitionem ita exprimunt: DEUS concurrit ad actionis *materiale*, non vero ad actionis *formale*, ſive ad actionis *ἀταξίαν*.

§. 887. Per *gubernationem* intelligimus directionem mediorum, & actionum ad certum aliquem finem.

§. 888. *Deus omnia gubernat.*

Demonſtr. Cum DEUS ſit ens ſapientiſſimum, (§. 853.) ſumme autem ſapiens cum finibus optimis connectat optima media, (§. 851.) conſequens eſt, ut DEUS omnia dirigat ad certum finem; Quod cum conſtituat Dei gubernationem, patet, Deum omnia gubernare.

§. 889. Qui omnia conſervat, ad omnes creaturarum actiones concurrit, omnia denique gubernat, ille omnium quoque curam gerere exiſtimandus eſt.

§. 890. Curam DEI pro creaturis dicimus *Providentiam divinam*, quique curam gerit creaturarum, iis *providet*.

SCHOL. *VVolfius* Providentiam divinam definit per decretum Dei de conſervatione, & gubernatione rerum omnium in hoc univerſo, & concurſu ad earundem actiones. *Theolog. Natural. p.* 896.

§. 891. *DEUS providet omnibus creaturis.*

Demonſtr. Cum enim Deus omnia conſervet; (§. 883.) ad omnes creaturarum actiones concurrat, (§. 886.) omnia quoque gubernet, (§. 888.) is autem, qui omnia conſervat ad omnes creatu-

rarum

rarum actiones concurrit, omnia denique gubernat, omnium rerum curam gerere dicatur, (§. 889.) confiteamur, necesse est, Deum, omnium rerum curam gerere. Is, qui omnium rerum curam gerit, *providet* iis. Ergo Deus providet omnibus creaturis.

SCHOL. Hæc providentia, qua DEUS omnium creaturarum vult existentiam continuari, qua item vires activas creaturarum conservat, sive ad illas concurrit, qua denique gubernat omnia, & ad finem certum, modo sapientissimo, dirigit, hæc, inquam, providentia dicitur *providentia generalis*. *Specialis* vero *providentia* est cura DEI pro bono, & contra malum. Hæc specialis providentia cuique fiet manifesta, qui expendet, mentes hominum divinitus ita esse conditas, ut malum non possint non aversari, & bonum non possint non appetere, qui item considerabit, Deum ita omnia connexuisse in hoc universo, ut ex bonis actionibus boni, & jucundi effectus, tanquam præmia naturalia, nascantur, & ex malis actionibus mali & injucundi eventus, tanquam pœnæ naturales, proveniant. Ut alia his taceam providentiæ DEI specialis contra malum illustria documenta.

NOT. *Id* tamen videri poterat providentiæ DEI speciali prorsus adversari, quod tam multa tamque enormia peccata, sive mala in hoc universo deprehendantur, quodque DEUS in hoc mundo innumera mala permiserit. Hic, quid sentiant recentiores, atque in his maxime Leibnitius, paucis recensebo.

(α) Leibnitius malum dividit in *malum metaphysicum*, *morale*, *physicum*.

(β) *Malum metaphysicum* constituit in limitatione, sive in defectu ulterioris realitatis.

(γ) Cumque omnis creatura non possit non esse limitata, ipsaque limitatio fluat ex essentia creaturæ, quatenus est creatura, colligit hinc Leibni-

ni-

nitius, non posse non omnem creaturam esse malo metaphysico obnoxiam, malumque metaphysicum fluere ex essentia creaturæ, quatenus est creatura.

(δ) Malum morale constituitur in transgressione legis.

(ε) Hoc malum morale, qua *possibilitatem suam*, recentiores deducunt ex ipsa limitatione atque essentia creaturæ. Quatenus enim creatura limitata est, eatenus non omnia distinctissime cognoscit, & adeo confusas habere potest ideas. Quatenus vero potest ideas habere confusas, eatenus potest errare. Quodcunque errare potest, illud potest bonum pro malo, & malum pro bono habere, adeoque peccare. Ergo creatura, quatenus limitata est, potest peccare. En! originem mali moralis, qua *possibilitatem suam* deductam ex ipsa limitatione, sive essentia creaturæ.

(ζ) Hoc tamen malum morale, quamvis intellectus limitatio adsit, posse evitari, si ratio, & intellectus recte adhibeatur, existimant.

(η) Malum physicum, quod in perpessione doloris consistit, oritur, ex sententia recentiorum, ex malo morali.

(θ) Ad DEUM auctorem mali metaphysici, moralis, & physici originem non referri debere, ajunt, permisisse tamen DEUM malum, addunt.

(ι) Affirmant, malum metaphysicum non potuisse impedire DEUM, quia limitatio essentiæ creaturarum adhæreat; Adeoque si DEUS impedire voluisset malum metaphysicum, debuisset non creaturas, sed DEOS, creare, quod dictu est inconveniens.

(κ) Malum morale, inquiunt, DEUS permisit ob rationes suæ sapientiæ convenientissimas, & ob bona majora obtinenda. Si convenientius fuisset, malum morale impedire, impedivisset potius illud, quam permisisset. Quicunque enim non potest minus bonum præferre majori, ille nec potest ma-

malum permittere, nisi ubi ex permissione mali majus oritur bonum, quam ex impeditione. Atqui DEUS, &c. Ergo, &c. *Conf. Leibnitii Theoditæa, passim.*

§. 892. Quemadmodum corpori nostro id *præsens* esse, diximus, (§. 499.) quod in id agit, sic spiritui id esse præsens, patet, quod spiritus sibi repræsentat.

§. 893. *Deo omnia sunt præsentia.*

Demonstr. Cum enim Deus sit spiritus perfectissimus, (§. 872.) & omnia possibilia sibi repræsentet, (§. 810.) id autem, quod spiritus sibi repræsentat, sit *spiritui præsens*, (§. 892.) palam est; Deo omnia esse præsentia.

§. 894. Id contra *præsens* alteri dicitur, quod in alterum operatur.

§. 895 *DEUS itaque est omnibus rebus præsens:*

Demonstr. Cum enim Deus omnes creaturas conservet, (§. 883.) ad omnes creaturarum actiones concurrat, (§. 886.) omnia denique gubernet (§. 888.), adeoque circa omnes creaturas operetur; is autem, qui in alium operatur, sit alteri *præsens*, (§. 499.) evidentissimum est, Deum esse omnibus rebus præsentem.

§. 896. Duo itaque momenta ad *omnipræsentiam* requiruntur, scilicet (α) distinctissima cognitio omnium possibilium, sive *omniscientia*, (β) *omniioperatio* divina, qua ad actiones omnium omnes concurrit.

NOT. *De hac notione omnipræsentiæ videatur Canzius in Usu philosoph. in Theologia p.* 331. Requirit scilicet Canzius ad omnipræsentiam τὸ *repræsentare omnia*, & *operari omnia*. Hinc definit omnipræsentiam per statum operandi omnia in omnibus creatis.

CA-

CAPUT VI

De proprietatibus quibusdam divinis, quæ ex antecedentibus demonstrantur.

§. 897.

D*Eus est ens actuosissimum.*

Demonstr. Cum enim DEUS vi propria existat, (§. 786.) omnis autem vis, nisi impedimentum adsit, agat, (§. 300.) sequitur, ut Deus continuo sit actuosus. Quis enim vim Dei agendi inhibere poterit, cum Deus a nemine dependeat (§. 789.)?

§. 898. Atque in hac actuositate continua, qua Deus per intellectum infinitum repræsentat sibi omnia possibilia, (§. 810.) &, propter voluntatem infinitam, vult omne, & solum bonum, (§. 823. 828. 830.) consistit *vita Dei*.

§. 899. *Majestas DEI, sive gloria divina* consistit in complexu omnium attributorum, sive divinarum perfectionum. Cum igitur DEO omnes, quæ modo possibiles sunt, perfectiones competant, (§. 802.) manifestum est, DEO competere summam majestatem, sive gloriam.

§. 900. *Deus est beatissimus, sibique sufficientissimus.*

Demonstr. Cum DEUS omnia distinctissime cognoscat, seipsum quoque distinctissime cognoscat, necesse est. Si itaque Deus seipsum omnesque suas perfectiones distinctissime cognoscit, exinde non potest non in Deo oriri summa voluptas (§. 585.), quæ, quia ob DEI independentiam turbari a nemine potest, semper, & perpetuo durat. Cum vero in summa, semperque duratura voluptate consistat *summa felicitas*, (per def.) Deum esse beatissimum, patet.

Porro, quia Deus omnia habet actu, quæ habere

potest, (§. 802.) intelligitur, Deo nihil deesse Deumque adeo sibi esse sufficientissimum.

§. 901 *DEUS est Dominus omnium rerum.*

Demonstr. DEUS omnia conservat, (§. 883.) ad omnes creaturarum actiones concurrit, (§. 886.) omnia denique gubernat; (§. 888.) DEUS porro a nemine dependet, (§. 789.) atque adeo nemini rationem reddere tenetur: A DEI denique voluntate, tanquam fonte omnium rerum existentium, dependent omnia (§. 837.). Ex his conficitur, DEUM esse dominum omnium rerum. Eum enim merito dicimus *dominum*, cujus voluntati aliqua res ita subjecta est, ut nemini rationem reddere teneatur.

§. 902. Has ergo perfectiones, quibus majestas exsplendescit, qui distinctius pieque considerat, non poterit non ad sanctam aliquam Dei reverentiam, ad cultum religiosum, amoremque Numinis benignissimi incitari. Quem quidem religio sum DEI cultum, ex diligentiori perfectionum divinarum consideratione oriundum, in doctrina morum, suo tempore, sumus exposituri.

Interim TIBI, sanctissimum, rebusque humanis propitium, Numen, gratias, quas possum, submississimas persolvo, quod perclementer mihi adesse volueris, ut laborem hunc, variis interruptum laboribus, feliciter ad finem perducere potuerim.

Finis totius Metaphysices.

CA-

CATALOGO.

Il Malmantile riacquistato di Lorenzo Lippi 8. Vale Paoli 2 : 5.

Il Conquisto di Granata di Giroiamo Graziani 8. tomi 2. Vale Paoli 5.

Poesie Scelte del Secolo XVI. 8. Vale Paoli 2 : 5.

Ritiramento Spirituale in preparazione alla morte 12. Vale Paoli 1 : 5.

Riflessioni gramaticali dell' Idioma Italiano paragonato col Francese 12. Val Paoli 1.

Raccolta di meditazioni, *riflessioni* e pensieri morali da praticarsi da ogni Cristiano che desidera condurre una buona vita, ad uso particolarmente de' confessori e direttori di comunità religiose 8. tomi 4. Vale Paoli 14.

Le Odi di Orazio Flacco nuova traduzione in versi di vario metro da Giuseppe Ottavio Savelli, bella edizione. 8. Vale Paoli 3.

Il Diritto Romano esposto da Giuseppe Cirillo tradotto da Giovanni Selvaggi, arricchito di considerabili annotazioni utili e necessarie per uso della studiosa gioventù. 8. tomi 2. Vale Paoli 5.

Ars recte cogitandi, & intelligendi, sive præcipua Logicæ-criticæ Hermeneuticæque rudimenta ad usum studiosæ juventutis. 8. Tomi 2 Vale Paoli 5.

Difesa dell' originario diritto de' Sovrani nei loro rispettivi dominj secondo il genio di fra Paolo Sarpi. 8. tomi 2. Vale Paoli 10.

Vita di Jacopo San ovino Scultore e Architetto della Repubblica di Venezia descritta da Giorgio Vasari e da lui ampliata, riformata, e corretta. Edizione II. bellissima in 4. stragrande. Vale Paoli 4.

Prato Spirituale, ossiano vite de' Santi Padri descritte da' SS. Girolamo ed Atanasio. 4. Val Paoli 3.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

COncediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* di poter ristampare il Libro intitolato *M. Friderici Christiani Baumeisteri &c. Institutiones Metaphysicæ &c. ristampa*, osservando gli ordini soliti in materia di Stampe, e presentando le Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data lì 12. Giugno 1788.

(*Girolamo Ascanio Giustinian K. Rif.*

(*Zaccaria Vallaresso Rif.*

(*Francesco Pesaro Kav. Proc. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 160. al N. 1435.

Marcantonio Sanfermo Seg.



